

V
B
J
C
22445

3/9

brakuje tu popiersia Lubieńskiego.

Buzdeski Floryan autor



VITA
VENERABILIS
SERVI DEI
MATHIÆ
LUBIENSKI
CANONICI REGULARIS
S. SEPULCHRI
AC TANDEM.
ARCHIEPISCOPI
GNESNENSIS



VITA
VENERABILIS SERVI DEI
MATHIÆ
LUBIENSKI

Canonici Regularis Sancti Sepulchri, postea Episcopi Chełmensis, tandem Posnaniensis, mox Vladislaviensis & Pomeraniæ, ad extremùm Archi-Episcopi Gnesnensis, Legati Nati, Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ, Primatis, Primiquè Principis

VIRTUTE & TITULIS

ILLUSTRISSIMI,

SANCTITATE & HONORIBUS

CELSISSIMI,

Triginta Capitibus comprehensa.

In qua

Prosapia & Viri Illustres Nobilissimæ Lubiensciane Domûs; Res in Polonia gestæ; Historia Ecclesiastico Polona; incrementa Ecclesiarum Cathedralium; Chełmensis, Posnaniensis, Vladislaviensis ac Metropolitanæ Gnesnensis, tum aliarum Collegiatarum & Parochialium, Fundationes & dotationes; status Ordinis Canonicorum Sancti Sepulchri in Polonia; aliæquè res, ad majorem elucidationem hujus vitæ spectantes, scitû necessariæ, incidenter recensentur.

Additus est Index Nobilitatis Polonæ, atque Virorum Illustrium Regni Poloniæ, qui in hoc Libro continentur.

AUTHORE

FLORIANO BUYDECKI, Polono

Sacræ Theologiæ Doctore, Prothonotario Apostolico, Canonico Metropolitano & Præposito Sancti Joannis Gnesnensi, Ordinis Canonicorum Sancti Sepulchri, Custode Generali.

CONSCRIPTA.

Anno Domini 1752.

CALISSII,

Typis S. R. M. Collegii Caliss. Soc. JESU.

IN STEMMA ILLUSTRISSIMÆ DOMUS
ŁUBIENSCIANÆ



Si Majestatem CAPITIS non cernis? & amplam
Illius sedem, noscere ritè nequis?
Hanc de MATHIA Primate & PRINCIPE Regni,
Collige de Magno Præsule, Patre, DUCE;
Hanc ex Ipsius descripta conspice VITA;
Hanc de narratis moribus infer, ama;
Quantus erat PRIMAS, PRINCEPS & PRÆSUL ovilis!
Et CAPITIS fulget gloria tanta sui;
Quanta fuit cæli præceptis consona VITA,
Tanta est ŁUBIENIÆ publica fama DOMUS.



ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO

DOMINO DOMINO

ALEXANDRO

à Lubna

ŁUBIENSKI

CASTELLANO GNESNENSI

Totique Amplissimæ DOMUI

DOMINIS

BENEFACTORIBUS FAVENTISSIMIS



Uo sunt eaque gravissima rationum momenta, quæ me in eam traxêre sententiam, ut Opus hoc, Vitam Venerabilis Servi DEI MATHIÆ ŁUBIENSKI *Universi Ordinis Nostri Supremi Capitis, nec non totius, quantum quantum*

tum est, Regni Poloniæ Primatis Primique Principis, ex authenticis monimentis accuratè collectam comprehendens; Tibi principáliter Senator Amplissime dedicarem. Horum utrumq; ex singulari quodam emergit necessitudinis vinculo: uno quidem, quod Te inter & MATHIAM, altero verò quod Tua inter & MATHIÆ nunquam satis laudabilia gesta intercedit. Primum persvasit, nulli acceptius jucundiusve fore Vitæ Łubienianæ Monumentum, quam illi, quem sangvinis necessitudo Łubieniani Nominis effecit participem: siquidem nemini gratius gloriosiusve esse potest, quod præclara alicujus facinora, secuturæ posteritati legenda imitandaque proponantur, quàm ei, qui sicut Nominis Ejusdem, ita & exinde redundantis gloriæ Hæres est. Alterum evicit, convenientissimum esse, ut Tuo, Opus hoc eximia Mathiæ complexum rectefacta, Honori militet Senator Illustrissime, qui id omne, quod conatus meus legendũ, laudandũ, atque sectandum in Vita Mathiæ proponit, ceu viva quædam Ejusdem Imago, in Te ipso etiam videndum exhibes universis. Loquuntur Fasti miram Mathiæ dexteritatem in decidendis quibusvis rebus, Episcopalis suæ Authoritatis altissimo subjectis judicio: nec Tuam silet in componendis maximi momenti negotiis æquitatem peritissimam, æquissimamque peritiam, Areopagus Calissiensis; qui Te Subjudice gaudebat & Supremo Justitiæ gloriabatur Arbitro. Suspexit in MATHIA rarum boni publici amorem, Suprema Ortodoxorum Sarmatiæ Moderatorum Potestas, cui vicaria Regni Poloniæ credidit gubernacula: nec Tuum latere potuit erga Sartam tectamque conservandam Rempublicam studium, felicissimè ad præsens imperantem Lechiæ Serenissimum AUGUSTUM III. qui Te in numerum adscivit Patrum Patriæ. Sensêre munificam MATHIÆ manum, perenniter Divino dicatæ servitio Religiosæ familiæ; experiuntur & Tuam piam liberalitatem & liberalem pietatem, specialiter, laudibus Divinis sinè intermissione vacantes Sacræ Virgines, quæ ad leges propositi sibi à Divinissima Clara Seraphici Patriarchæ Instituti, mores componere student; harum enim Calissienses ædes vetustate temporum ad ruinam inclinatas, non modo

ad

pristinam reducere firmitatem, Verùm etiam solidiùs munire, & elegantiùs adornare ad hæc usque tempora non desistis. Profitentur ardentissimum Mathiæ Zelum in fovenda pietate Christianâ, multæ à primis excitatæ fundamentis, plures affabrè factis condecoratæ structuris, Divorum Basilicæ; prodit & Tuos in eodem conatus Sanctissimos, recens erecta supradictarum Calissiensium Monialium Ecclesia, prodit Religiosissimorum Ejusdem instituti sectatorum, Immaculatæ Virginis Sanctuarium, splendidissimô ornatum Mausoleô, (quod Tibi Tuæque Illustrissimæ Consorti, humanæ mortalitatis memor optimè, tempestivè erigi procurasti,) & exstructô, Te Authore ac Fundatore, propter clarissimâ Prosapiâ Tuam aucta sepulchrô; prodit denique eosdem conatus ac simul erga MATHIAM Proavum, *testatur affectum Metropolitana Gnesnensis Cathedra, cui non postremum decus attulit, magnificum illud monumentum, in quo grande Mathiæ Nomen, Ejusdem Cathedræ Archipræsulis immortalitate legendum visitur. Amplissimæ, Primatis pientissimi, virtutes, quantum Illustrem Orbi Christiano Mathiam effecerunt, probe novimus. Quæ de Tè, pace tua Senator Amplissime, formare omina jubent tua excellentissima rectefacta? quorum tanta copia ac multitudo est, ut si singula ad calculum vellem revocare, infinitus sim, necesse est. Unum proinde duntaxat multis ab annis inauditum, Sanctissimis proprium Viris, omnem excedens laudem venerabundus recolo excelsæ perfectionis Tuæ specimen; ex quo ceu è latice Fontem, aut ex radio solem sublimem Sanctitatem Tuam, facili quisque negotio metiri poterit. Et hoc est, extraordinaria illa, communis recordatio fati, quô evenire assolet: ut omnes, quotquot vitâ hâc temporali præditi numeramur, circumscriptum à Superis emensi curriculum, tandem nolentes volentes, à Societate omnium terrenorum divellamur, & à momentaneis ad æterna transferamur. In hac recordatione Sancta, quam præcellens Christianæ perfectionis ratio sita est; loquantur illi, qui ipsius ope depravatos mores ad amussim Divinarum legum revocantes, Supremum Sanctitatis apicem adepti sunt; aut ii, qui ejusmodi recordationi debent, quod ab omni graviori*

 culpa

culpa immunes semper, vitæ Sanctioris prototypi effecti sunt. Ea verò recordatio quam Tibi assidua ac familiaris sit Senator Amplissime, luculenter indicant soliciti conatus, quos tempestivè impendis, circa Tui, rerumque omnium necessariarum, exemplarissimam dispositionem, ad inevitabile illud naturæ tributum exsolvendum, adeò, ut miro quodam eventu, omnes excedens vires, mortis cum vita conjunctio, in Te effecta esse videatur; cùm vitâ adhuc fruens, iis indigeas, quæ tantummodo separatorum ab animabus corporum propria censentur esse. O utinam! boni superi, qui ex essentiali justitiæ suæ perfectione, nullum suarum Creaturarum meritum, condignô carere præmiô patiuntur, in compensationem præmaturæ istius solicitudinis Tuæ, nec non in Patriæ ac Illustrissimæ Prosapiæ decus, in Ordinis Nostri, meique particulare solatium & ornamentum, Vitæ Tuæ decursum retardare dignentur.


Ita precatur

ILLUSTRISSIMI ac EXCELLENTISSIMI Nominis Tui,


Devinctissimus

Author Operis.

PRÆFA-



PRÆFATIO


Ierusalem Nostram, splendor æterni luminis DEUS, cujus lucerna est Agnus, dignatus est in fine sæculorum illuminare, cum illi providerit Viros, doctrina & pietate conspicuos, qui sanctitate sua, eruditione & omnium virtutum plenitudine, eandem illustrârunt, & toto orbe celeberrimam reddiderunt. Horum sanctitatis incunabula, ille, qui è terra Sancta ortum suum ducit, fuit & est Conventûs Miechoviensis, ex quo, ac si ex quodam fertilissimo agro, sanctitatis semina, fructus virtutis & perfectionis, plurimi Viri prodiêrunt & excreverunt. Admiratus eorum sanctitatis eminentiam Serenissimus, ac Potentissimus Poloniarum REX SIGISMUNDUS, & in suo diplomate, super libera electione Præpositorũ Generalium Ordinis Nostri, Conventui Miechoviensi clementer dato, de Actu, & data Lomzæ, Feriâ tertiâ post Festum Trium Regum, Anno Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Regni verò sui Trigesimo secundo, conscripsit sequentia: *Cupientes animi nostri propensionem, erga Venerabiles & Religiosos, Præpositum, Fratresq; Conventûs Miechoviensis declarare, propterea quod ex eo Conventu, Nobis scientibus, non pauci Viri vitæ integritate, morum probitate, ac eruditione conspicui, pro Regni Nostri splendore, Reipublicæ Christianæ utilitate prodierunt, indiesq; prodire solent &c* Hoc idem alter in throno Successor, Invictissimus Poloniarum, & Svetiæ Rex SIGISMUNDUS Tertius, in literis suis, ad Martinum SZYSZKOWSKI Episcopum Cracoviensem, & Ducem Severiæ, de actu & data Varsaviæ, Vigesimâ Tertiâ Decembris, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Decimo septimo directis, testatur, dum sic scripsit: *Equidem quæ fuerit nostra de substituendo Monasterio illi, Ordinique Universo Custodum Sepulchri Domini, cujus a prima fundatione, claruit semper eximia Sanctitas, Religionisque Catholicæ propagandæ Studium, Præposito Voluntas, declaravimus Sinceritati vestræ Literis nostris &c.* Idem planè

VLADISLAUS IV. Poloniarum, tum Svecorum, Gottorum, Vandalorumq; Rex Gloriosissimus, in Literis ad Capitulum Canonicorum Nostrorum Miechoviense, de data Varsaviæ, Nonâ Aprilis, Anno Millesimo Sexcentesimo, Vigesimo quinto scribit, dum Conventum Miechoviensem, *Collegium, non solum vetustate, verum etiam pietatis Notâ insigne, fuisse declaravit.* Adstipulatur his & Ludovicus Rex Poloniæ, Hungariæ, Dalmatiæ & Croatiæ, qui in Diplomate suo Conventui Miechoviensi dato, de data Cracoviæ in crastino Beati Martini Confessoris & Pontificis, Anno Domini Millesimo Trecentesimo Octogesimo primo, Conventum Miechoviensem, ingenti meritorum excellentiâ, apud se commendatum dixit, scribens ibi: *Cum Ecclesia Religiosorum Virorum, Monasterii & Conventûs Miechoviensis, Sepulchri Domini Hierosolymitani, Ordinis Sancti Augustini, Diœcesis Cracoviensis, ingenti meritorum excellentiâ apud Nos recommendetur.*

Hujus Conventûs Virorum Sanctitatem, plurimis non solùm testimoniis, verùm etiam prodigiis, Deus revelare voluit, dum Anno Millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, Die nona Julii, noctu, columnam lucidam super Capellam Sancti Joannis apparere fecit, videntibus id plurimis hominibus fide dignis, & igne Capellam ardere, Deumquè alicujus Nostri Canonici, quorum ibi multa Corpora sunt sepulta, sanctitatem revelari aliquando velle, existimantibus. Ex hoc itaq; Miechoviensi Collegio, tanquam ex quodam Sanctitatis nido, plurimi prodierunt Viri, omni virtutum perfectione ornati; inter quos Martinus primus, natione Gallus & Nobilis, ad plantãdum hunc Ordinem, de Hierosolymitana Patriarchali Ecclesia, per Jaxam Polonum, Principem Serbiæ, in Poloniam advectus, quem Samuel Nakielski, pro certo & indubitato, Virum fuisse sanctitate conspicuum testatur, & cui ob eandem sanctitatem, a Principibus Regni, Satrapis, Clero, & Populo Polonico, plurimus honos exhibitus fuisse perhibetur, referente eodem Nakielski, libro de Sacra antiquitate Ordinis. Stanislaus Stoiconis, Præpositus Generalis in Ordine duodecimus, qui singularis virtutis, devoti in Deum animi, vitæq; Sanctissimæ & per omnia innocentissimæ fuisse scribitur, ac sicut lilium inter spinas, odorem exempli boni spirans, in Conventu Miechoviensi perseveranter claruit. Felix Soiecki, qui amore Divino erga Sanctissimum Sepulchrum Christi accensus, memor suæ vocationis personaliter idem Sepulchrum Christi Hierosolymis invisit, tandem Hierosolymis reversus Vicarium ob summam humilitatem, ad Sanctam Hedvigim Cracoviæ agens, Anno Millesimo Sexcentesimo Duodecimo, die vigesima sexta Septembris, exuvias corporis sui ibidem deposuit. Bernatus Pasrillus, qui in Conventu Miechoviensi Professus, summæ virtutis & perfectionis fuit, ex qua factum, ut in magna austeritate vitæ, observatione Regulæ, mortificationibus corporis, disciplinis usque ad sanguinem quotidianis, amore Divino fervens vixerit, Dæmonibus terribilis

ribilis

ribilis, a quibus multa passus, & cujus aspectu de corporibus humanis exire cogebantur, tandem in matura ætate, ob majorem usque & usq; perfectionem vitæ, habitâ ad id suorū Superiorū licentiâ, ad ordinem Prædicatorum translatus, in quo majora suæ perfectionis incrementa posuit, ac tandem relictis ibidem Sanctitatis & eruditionis documentis. nempe libris contra Arrianos & Schismaticos a se compositis, ac typo vulgatis, sanctissimè & religiosissime, Cracoviæ, Spiritum incontaminatum, Creatori suo reddidit, Anno Millesimo sexcentesimo Trigesimo, sepultus ad Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis Cracoviæ. Leonardus Słonczewski, Ordinis nostri Canonicus, postea Episcopus Camenecensis, in hac Diæcesi multarum Ecclesiarum, Plebanatuum & Xenodochiorum Fundator, Orphanorum Pater, pauperum & pupillorum munificentissimus defensor, disciplinæ Ecclesiasticæ acerrimus Promotor, jurium sui Ordinis apud Regem & in Senatu Protector, tum alii Viri pietate eximii, sanctitate & quavis virtute conspicui.

Inter hos sicut dignitate, ita & sanctitate Mathias Lubienski primatum obtinet, cujus solius (prætermissis nunc aliis, ulteriori tempori, meo tamen labori & calamo ad describendum relictis) vitam, acta, & res gestas, describere & connotare aggredior. Motus, ut Juventuti, Ordini meo Canonico quæ superventura est, forte exemplum relinquerem, rerum nempe nostrarum studia, extraneis laboribus anteferri opportere; tum ne in censuram illam devenirem, quam Samuel Nakielski, Vir in Ordine nostro doctissimus, Ordinis Nostri Scriptoribus, in sua Miechovia comminatus est, scribens ibi: *Ingratus, ne dicam impius Ordo Noster meritò esset censendus, si usquam ejus viri memoriam, pateretur apud se ingrato silentio obliterari, cujus animū candidum ac benevolum, munificentissimamquè manum, toto tempore quoad vixit, erga se expertus est.* Tum quod plurimi Authores gravissimi, id, quod nos nunc de Nostro Mathia tractamus, optaverunt, imo ea aliquando in lucem edi debere prophetarunt. Ex quibus idem Noster Nakielski, cujus ne Nomen ipsum, sine laude esse potest, ob doctrinam toti literario orbi notissimam, qui connotatis in sua Miechovia, sat compendiosè, Mathiæ Nostri gloriosissimis factis, a reliquis conscribendis per omnem ejus ætatem amplissimis, supersedit, & aliis hunc laborem reliquit, dum sic scripsit: *in ea re quam par est, breviores voluimus esse, cum alioquin Mathiæ præclara facta, sunt per omnem ætatem amplissima, quæ volumine prægrandi potiùs, quàm hac brevi annotatione indigeant.* Hoc ipsum Damalewicz, in, Serie Archiepiscoporum Gnesnensium, notavit, dum Mathiæ Nostri vitam, religioso veneratus silentio, aliis scribendam commendavit, dicens ibi: *Vitam & mores ego, Illustrissimi & Reverendissimi Domini Primatis & Primi Principis Regni, religioso venerabor Silentiô, innuere contentus ea, quæ citra suspitionem assentationis, & scribi & legi possunt, scribent olim alii, quibus aliqua posteritatis cura*

Ut igitur horum Authorum desideriis, & meæ erga pientissimum, æque ac munificentissimum Fundatorem, (Mathiam Nostrum intelligo) obligationi satisfaciam, memor pariter beneficiorum in Ordinem meum, Illustrissimorũ LUBIENSCIORUM, qui pares fuerunt primis Nostris in hoc Regno Fundatoribus, Nomen Ipsorum in Republica Polona meritissimum, Sanctitate in Mathia, aliisq; ex hac Familia Viris Celeberrimum, pro tenuitate ingenii mei, innuam potiùs quàm describam, more pictorum, qui in brevi tabella, ingentes terrarum tractus, vastasque Regiones, magis adumbrant, quam depingunt. Ut autem accuratè hanc vitam describerem, omnes planè Polonos Authores, præsertim eos, qui stante vita Nostri Mathiæ, & post mortem ejus usque ad hoc tempus, suas lucubrationes scripserunt, revolvi, omnes lustravi, & quid quid erat ad nostram materiam spectans, notavi. Præter Authores, evolvi acta Capituli Miechoviensis, aliorumq; Capitulorũ, Consistoriorum variorum, visitationes Diæcesum collegi. Perspexi præterea Erectiones Ecclesiarum, & Capellarum, Inscriptiones & Epitaphia varia, Literas & Epistolas Authenticas, Diplomata, Privilegia, tabulas appensas, vota nuncupata, præ oculis habui, res oculis subjectas, attentè consideravi, Traditiones Seniorum, tum nostrorũ Canonicorum, tum Familiæ LUBIENSCIANÆ, & variorum hominum fide dignorum, notavi, Constitutiones Regni sub SIGISMUNDO III. VLADISLAO IV. JOANNE CASIMIRO; Constitutiones Provinciales, & variarum Diæcesũm in Regno; Statuta Ordinis mei, sub ipsius regimine conscripta; tum privata, privatorum fide tamen dignorum Virorum manuscripta, omni diligentia priùs acquisita, trutinavi, ad extremum Principem in Regnò & publicam Bibliothecam ZAŁUSCIANAM, noviter Varsaviæ erectam consului, & in ea tanquam in inæstimabili gazophilatio, quas gemmas reperi, & communicatas habui, illas in coronam Nostri Mathiæ inserui, & sic tandem Opus hoc, magna sedulitate confeci, & elaboravi. Accipe igitur Amice Lector, utcunquè elaboratum hoc Opus, in quo præstantissimã Sanctitatem, singularissimas & heroicas virtutes, incorruptissimos vitæ mores, Mathiæ Nostri admiraberis. Si in hoc opere aliquid a me erratum putas, age mecum, ut tecum alios agere velles, si ingenii tui partus, vulgus aspexerit. Interim ex scriptis meis, major DEI Gloria, Beatissimæ Immaculatè Conceptæ honor, & Sanctorum Patronorum Ordinis mei, Cultus perennis.

APPRO-

APPROBATIO ARCHIDIÆCESANA

JOSEPHUS ANTONIUS *de Iwanie* IWANSKI Juris utriusq; Doctor, Ecclesiarũ, Metropolitanæ Gneſnen: & Cathedralis Vladislavienſis Canonicus, Collegiatæ Czarnkovienſis Præpoſitus Sede Vacante Archiepiſcopatûs Gneſnenſis Generalis Adminiſtrator.

OPUS cui Titulus: VITA VENERABILIS SERVI DEI, MATHIÆ ŁUBIENSKI, Canonici Regularis Sancti Sepulchri, poſtea Epiſcopi Chełmenſis, tandem Poſnanienſis, deinde Vladislavienſis, ad extremum Archiepiſcopi Gneſnenſis doctè & ſolidè, à *Perilluſtri & Admodum Reverendo* FLORIANO BUYDECKI, *Sacræ Theologiæ Doctore, Præpoſito* Sancti Joannis Gneſnenſi, viro perquam erudito, & in hiſtorica notitia verſatiſſimo concinnatum, ac ſtylô hiſtoricô præcellente conſcriptum, cum nihil orthodoxæ Fidei, ac bonis moribus contrarium in ſe contineat, imo a Theologis per Nos ad ipſum legendum expoſitis, ſummam commendationem habeat, proinde cenſemus dignum, ut mediante typo, in lucem publicam prodeat. *Datum* LOVICII, 3tiâ Menſis *Junii* Anno Domini 1749.

JOSEPHUS ANTONIUS IWANSKI
Adminiſtrator Generalis mpp. **L. S.**

CENSURA DOCTORUM ORDINIS.

Ex Commiſſione Reverendiſſimi D. JACOBI RADLINSKI, Sacræ Theologiæ Doctoris, Præpoſiti Generalis Infulati, Ordinis Canonicorum Regularium, Cuſtodum Sanctiſſimi Sepulchri, legi librum ſub titulo: *Vita Venerabilis Servi DEI* MATHIÆ ŁUBIENSKI *Canonici Regularis Sanctiſſimi Sepulchri, poſtea Archiepiſcopi Gneſnenſis Regni Poloniæ, M. D. L. Primatis Primiquè Principis &c. &c.* A ſatis erudito Doctore ejuſdem Ordinis, in Facultate Theologica & peritia hiſtorica, Perilluſtri FLORIANO BUYDECKI Prothonotario Apoſtolico Canonico Eccleſiæ Metropolitanæ Gneſnenſis, ibidem Præpoſito Conventûs Sancti Joannis, conſcriptum. In quo cum nihil Fidei Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac bonis moribus diſſonum reperi, ſed opus, honore Celſiſſimæ Domus Łubienſcianæ illuſtre, virtute, meritis, piiſſimi Archipræſulis & Primatis Regni ſublime, notitiâ olim profeſſi Ordinis Noſtri & Præpoſiti Generalis, ac Benefactoris conſpicuum, dignum cenſeo, ut ad remonſtrandam ſanctitatem, quæ relucet etiam in Præſulibus Regni Noſtri, ad ornamentum inſignis Domûs ŁUBIENSCIANÆ, ad decorem Ordinis Noſtri, ad perennem authoris elaborati memoriã, typis mandetur, ſi illis ad quos pertinet ita videbitur. Datum in Conventu Generali Miechovienſi Die 28. Menſis Auguſti Anno Dni 1746.

VENCESLAUS MURATOWICZ *S. Theol: Doctor, Ordinis S. Sepulchri Cuſtos Generalis Præpoſitus Conventûs Prevorſcenſis.* **L. S.**

HOC opus cui Titulus: *Vita Venerabilis Servi* DEI, MATHIÆ ŁUBIENSKI. *Canonici Regularis Sancti Sepulchri, tandem Archiepiscopi Gnesnensis & Primatis Regni &c. &c.* Ab Emeritissimo & Laboriosissimo Ordinis Nostri Viro, qui otiari nescit, scilicet *Perillustri & Reverendissimo Domino* FLORIANO BUYDECKI, *Sacræ Thliæ Doctore, Canonico Metropolitano & Præposito Sancti Joannis Gnesnensi*, Prothonotario Apostolico, in Ordine Nostro, à multis annis, tam in Cathedris Theologicis, quàm in aliis gradibus elaborato, ad Sanctam Sedem Apostolicam nuper Procuratore Generali, diligenter legi & perlegi. Quod egregium opus cum nihil in se contrarium, Fidei & bonis moribus contineat, quinimo, vitæ Sanctitatem, virtutes, morum exemplaritatem, magni olim in Ecclesia DEI Archiantistitis Łubienii, è pulveribus, in exemplar & consolationem Ecclesiæ Dei, ac normam, emolumentum & utilitatem Ordinis Nostri, excitet. Ideo cum dulcedine lectionis, utilitate legentium, profectu, normam vitæ hujus Primatis spectantium, hoc opus, dignum esse prælô judico, salva majorum Authoritate. Datum in Conventu Cracoviensi Sanctæ Hedvigis Die 23. 7bris 1746.

VALENTINUS WCISŁOWSKI, *S. Thliæ Doctor, Canonicus Regularis S. Sepulchri, Præpositus Conventûs Sanctæ Hedvigis ad Cracoviam, Curatus Wrociriensis.*

APPROBATIO ORDINIS

JACOBUS RADLINSKI, Sacræ Thliæ Doctor, Ordinis Canonicorum Regularium, Custodum Sanctissimi Sepulchri, Præpositus Generalis Infulatus.

LIbrum cui Titulus: *Vita Venerabilis Servi DEI*, MATHIÆ ŁUBIENSKI, *Canonici Regularis Sanctissimi Sepulchri, &c.* Ab Emerito Doctore Ordinis Nostri, FLORIANO BUYDECKI, Prothonotario Apostolico, Canonico Cathedrali & Præposito Sancti Joannis Gnesnensi, nuper Procuratore Generali Ordinis, laboriosissimè conscriptum, ex plurimis Historicis Polonis, manuscriptis, actis, & monimẽtis variis, summâ diligentiâ & solicitudine collectum, cùm nihil Fidei & bonis moribus, in se contrarium contineat, sed potius vita exemplari, quam describit, ad vitam similem Canonicos sui Ordinis & omnes Fideles excitet, resquè gestas Poloniæ, & multorum Episcopatuum, ac Religionum Prærogativas, clarissimè referat, cum a Doctoribus Ordinis Nostri, ad illum legendum expositis, testimonium sufficientissimum, de sua utilitate & præstantia habeat, ideo eundem, etiam a nobis cum summa animi delectatione, perlectum & revisum, typis dandum esse censemus, si illis ad quos spectat, ita videbitur. Datum in Conventu Generali Miechoviensi, Die 3. Mensis Octobris, Anno Domini 1746.

JACOBUS RADLINSKI, *Sacræ Thliæ Doctor, Ordinis Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri Præpositus Generalis.*

L.S.

CAR-

CARMEN VOTIVUM.

Beatiſſimæ Mariæ Virgini Częſtochovienſi ſacrum.

PRO

Venerabili Seruo DEI,

MATHIA ŁUBIENSKI

Canonico Sancti Sepulchri, Archiepiſcopo Gneſnenſi, Primate Primoquè Principe Regni Poloniæ, ut interveniente eadem Beatiſſima Virgine MARIA, Sanctorum Numero, inſcribi valeat.

Lucæ picta manu Chriſti Veriſſima Mater,
Atque Paleſtini gloria prima ſoli,
Tum Conſtantini, belli per fulmina magni,
Munus ſupremum, Matris amore datum.
Bełzenſis poſtquam ſubiiſti tecta ſub arcis,
Illum dotaſti per tua dona locum.
Ad Lechici tandem veniſti climata Regni,
Et clari montis culmina ſumma tenes.
In quo te ſupplex Urbs Częſtochovia, prono
Cultu proſequitur, ſpectat, adorat, amat.
Sed cum mons clarus, condigna ſede careret,
Quæ majeſtatem poſſet habere tuam
Ille tibi ſedem, pretio, ſumptuque paravit,
Qui vitam Solymæ debuit, atque dedit,
Et qui Cuſtodum, ſuſcepit vota ſepulchri,
Ac Tumulo Chriſti Sanctior ortus erat,
Et qui de dicto Surrexit ab ordine Primas,
Prorex & Princeps Primus in Orbe Lechi.
Hic inquam Præſul ŁUBIENSKI gente Paterna
Gneſnenſis Cathedræ Paſtor & omne decus,
Ampla tibi ſtruxit venerandi tecta Sacelli,
Ac exornavit marmore, corde magis.
Poſtquam de fundo, ſurrexit fabrica grandis,
Ac auro gemmis, cuncta venuſta forent,
Te propriis manibus, Sacratis intulit Aris,
Ac in eis ſcripſit vota profunda ſui;
Nam cùm Te Matrem proprio ſub corde ferebat,
Theſaurique Tui, pondere dives erat,
Noluit hoc donum ſoli ſibi ſponte tenere,
Illud propoſuit Gentis Utrique Polo;
Ut Te Sarmaticus conſtanter mundus adoret.
Cuncta ſimul Lechico proxima Regna Throno.
Te pariter ſupplex Cuſtodum totus adorat
Ordo ſubmiſsè, poſtulat atque petit;
Ut quem vox populi, Sanctum compellat & optat.
Hunc pariter Sanctum, prædicet ipſe Petrus,
Comprobet ipſius vitam Romana Poteſtas.
Inſcribat faſtis, facta ſtupenda ſuis.
Inſcribat numero Divûm ŁUBIENSCIA geſta.
Atque Caput Pomian Principis aſtra ferat.
Qui Tibi plura Parens radiantia Templa paravit,
Qui multas aras, Cor, animumque dedit,
Hic aras inter Templorum, luceat orbi,
Hunc Sanctum, populi publica vota canant.

SERIES Capitum Libri vitæ MATHIÆ
ARCHIEPISCOPI



CAPUT I.

De Prosapia ŁUBIENSCIORUM.



ETSI ŁUBIENSCIANA Domus, tum generis Nobilitate, tum rebus a se præclarè gestis, non tantùm Poloniæ, verùm toti Europæ notissima, celebratissimaq; existat, etsi quàm gloriosa in Polonia fuerit, palam vetusti Polonorum annales cunctis testatam faciunt, & quàm piissima, Ecclesiæ & Monasteria, ab illa magnificè erecta, cum laude deprædicant, tamen & mihi liceat, aurum auro addere, & hujus Nobilissimæ Domûs Prosapiam, originemquè describere, ut saltim hoc exili conatu meo, gratitudinem præcelsæ Domui manifestarem, quæ tantùm Virum, Mathiam Łubieński, Ordini meo per Professionem inscripsit, ex cujus Nobilissimis & heroicis virtutibus, sanctitate admirabili, dignitate in Regno Poloniæ prima, eaquè suprema, Ordo meus plurimùm incrementi sumpsit. Tum quod hæc Domus pientissima, in Divorum Templa ad munificentiam profusa, Ordinem meum per prædictum Mathiam & Fratrem ejus Stanislaum Łubieński Episcopum Płocensem, in Regno Poloniæ erectâ in villa Regali Wągczow Ecclesiâ & Conventu a fundamentis, illâq; dotatâ, & Ordini meo incorporatâ, fundavit, exemplô priscorum illorum Heroum, qui primitùs Ordinem nostrum de Hierosolymitana Cathedrali, ac Patriarchali Ecclesia, evectum, tam in Regno Poloniæ, quàm per totam Europam pia liberalitate fundârunt.

Ac imprimis, gloriosa Łubieńsciorum Stemmata, seu insigne Gentilitium Łubieńscianæ Domûs, taliter apud Authores delineatum cõperio: *Pomian, est caput nigrum Zubronis, seu Uri, gladium Nudum retinet, in campo Cæruleo; super Coronam, est armata seu loricata manus extensa, cum gladio vibrato.* A quo Stemmate Pomian dicto, Łubieńscii dicuntur Pomianii, & Prothoparentes Łubieńscianæ Domûs, Pomianii nuncupabantur. Verum dum altiùs cogito, & initia Domûs Antiquissimæ scrutor, authoresque omnes, quos in hac materia scripsisse cognovi, revolvo; invenio item prædictum Nobilitatis Stemma

seu Domum Pomianeam, ab altero Stemmate Vieniava dicto, suam habuisse originem, seu potiùs Vieniavios Viros marte & pietate claros, initia Domui Pomianeæ dedisse. Quod omnes Authores Poloni scribunt, Długossus, Paprocki, Okolski, Trzebicki, in vita Stanislai Lubieński Episcopi Płocensis, tum Damalewicz in Serie Archiepiscoporum Gnesnensium, inferiùs adducendi; & insuper Historiographus rerum Polonicarum, & Ordinis mei Samuel Nakielski, Canonicus Sancti Sepulchri in sua Miechovia fol: 66. in Catalogo Stemmatum, præcipuorum Benefactorum, in initio Ordinis mei in Regno Poloniæ, sub Stemmate Vieniava Gentilitio, Rudgieri Episcopi Vladislaviensis, Summi Benefactoris in sui exordio Canonicæ Nostræ Miechoviensis, dum post commemorationem æternâ memoriâ digni Rudgieri Episcopi Vladislaviensis Vieniavii, sic de eadem Domo inquit: *Gratulor etiam ego tibi Gens & Domus Illustris Lubiensciana, quæ ad hos Authores Stemma Paternum & sangvinem refers, felix origine, felix imitatione, felicissima virtute, ac laude propria. Insigne autem Vieniava dictum taliter a scriptoribus Polonicis describitur: Vieniava est Caput Uri atrū, cum cornibus ad modum Lunæ mediæ elatis, in naribus habet circulum, seu Annulum ex virgis arborum constructum, campus coloris flavi, super Coronam magna differentia videtur, Alii enim ponunt leonem, eadē arma tenentem, ut habet Paprocius in Nido virtutum; Alii leonem cum vibrato gladio, & hoc contigit inferioribus temporibus*, Anno Millesimo quadringentesimo Septuagesimo, *dum Leszczynii de Goluchow in Leszno, Comitatum, per Raphaelem Aulicum & Secret: Cæsaris Friderici, obtinuerunt, in legatione componēdæ pacis inter Cæsarem & Serenissimos Reges Hungariæ & Poloniæ. Alii super coronam, deferunt arma Prus primo.* Et ita Okolski, in Libro titulat: *Orbis Polonus*.

Qualiter autem & qua occasione, Stemma Vieniava, in Stemma Pomian, a quo præclarissima Pomianorum Domus; suum insigne sumit, commutatum fuerit? Varii Scriptores variè, licet minus solidè, opinantur & scribunt. Et primi quidem Lasthek Hebdam de Grabie Germanum Fratrem Zarandi, Decani Gnesnensis, initia Domui Pomianeæ dedisse adstruunt, his verbis. *Pomianii, pro insigni habent Caput Zubronis nigrum cum gladio in signum Genealogiæ Confusionis, circulo in Naribus depēdente sibi ablato, Erat enim Clenodium Unum, cum Clenodio principali Vieniava, quod ex Baronibus signiferum Moraviæ, ortum ducens, in familiam Numerosam crevit, sed cum Lasthek Hebda de Grabie, Germanum Fratrem Zarandum Decanum Gnesnensem, in villa Lubania, Zelo invidiæ & ambitionis tyrannicè occidisset, per Judicium Vladislai Regis Secundi, in querela deduxit, divortium inter illos factū est & una parte, qua se Vieniava seu Perstenen vocant, in suo Originali clypeo remanente, alteri circulus ademptus, & gladius in signum tyrannidis datus est.* Quod scribit Długossus & Paprocki, & hos sequitur

Okolski,

Okolski, Bielski & alii. Tandem Andreas Trzebicki, Scholasticus Płocensis, in Vita Stanislai Łubienski, Episcopi Płocensis, idem plane scribit, his verbis: *Genus vetustum & Nobile, Bisontis, sive Bubali caput, transverso gladio transactum, insigne gerens, Pomianum vulgo nuncupatum, eo quod Vieniavius, Familiæ hujus author, fraternæ cædis Decani Vladislaviēsis reus, expiato tū piis, tū præclaris pro Patria factis, (ut tum belli erant tempora) scelere, villâquè illius hæreditaria Lubanie, Ecclesiæ Vladislaviensi adjudicatâ, insuper Principis jussu, avitum Stemma Vieniava, Bisontis sive Bubali capite, ense transfixô mutaverit.* Damalewicz verò hoc ipsum negat, in Serie Archiepiscoporum Gnesnēsium, & positis solidissimis rationibus & fundamentis, prædictam narrationem Originis Pomianeæ impugnantibus, aliam originem Domûs Pomianeæ assignat, dum inquit: *A Dlugosso ego Stemmatis originem, a fraterna derivatam cæde, non pertinax impugno, sed antiquitatem illius, postquam in his ipsis authoribus teneo, diligentius ipsam cædem cuperem examinari, ne in tanta caligine antiquitatis, vergat in partem detestandi Sacrilegii, quæ laudabiliter potiùs in Uri Caput transjectum, armati militis manu, cujus vestigium in galea est, (contra hominem extra bellum, satis fuit armari gladio,) in venatione Principis referri queat.*

Hoc ego utrumque assertum, innixus fundamentis inferius adducendis nego, motus tum gratitudine: quàm Domui munificentissimæ, Fundatrici Ordinis mei debeo, tum ne originalis culpa, detestandi Sacrilegii, Presbytericidii & Fratricidii, à prætenso Parente Domûs, in Domum Nobilissimam propagari queat, tum præcipuè motus veritate, tot gravissimis rationibus mox afferendis probata. Quomodo enim Lasthek Hebda de Grabie, veluti occisor Zarandi, sive alterius Nominis Decani Gnesnensis, sive Vladislaviensis, in villa Lubania, tēpore Vladislai Secundi, Regis Poloniæ, dicatur Author Domûs? Cum Vladislaum Secundum, Regem Poloniæ, & consequenter Lasthek Hebdam de Grabie, constat vixisse, ex variis Scriptoribus Annalium Poloniæ, & præcipue iisdem, circa annum Domini, Millesimum Quadringentesimum; iam autem longè ante hunc annum, Domûs Pomianeæ Viri, in Cathedris Pontificum, Infulata Numina, in curulibus Palatini, Togâ Sagôque inclyti, meritis in Ecclesiam & Patriam honoribusquè illustrissimi longè inquam ante præexistebant. Jam Vlostiborius Pomianus, quem ipse Paprocius sub armis Bodula & Pomian Pomianeum dicit, Anno Domini Millesimo ducentesimo septuagesimo nono, electus Archiepiscopus Gnesnensis vigesimus tertius, hoc Stemmate claruit; qui qualis quantusq; vir fuerit, vel ex eo colligere fas est, quod pluris Ecclesiæ tranquillitatem, quàm suæ dignitatis reputationem æstimavit, cum enim vidisset plus incommodi rebus afflictis Ecclesiæ, afferri posse, propter offensum sibi, Premysli Ducis

Majoris Poloniæ animum, si electioni suæ firmiter adhæreret, itaq; ut illa furibūda Principis tempestate jactari desineret, ultrò, in manibus Legati Sedis Apostolicæ Metropolitanam dignitatem a se abdicavit, majorem inde modestiæ laudem, serâ posteritatis memoriâ consecutus, quàm Regiminis inter tot fluctuum æstuosos impetus, fuisset consecuturus. Jam Nicolaus Hebda de Nieviesz, Pomianorum Familiæ, utriusque pagi Łubna, in Palatinatu Siradiensi Possessor & Hæres, sub tempus Venceslai Bohemiæ & Poloniæ Regis, Palatinatûs Siradiensis, circa Annum Domini Millesimum Ducentesimum Nonagesimum Sextum, honoribûs floruit, vir alias omni æstimandus pretio, qui egestati Patriæ, de suo succurrit ærario. Jam plurimi alii Nobilissimi Viri, pietate & virtutibus eximii, bello & marte clarissimi, gente Pomianea oriundi, a me inferiùs mox adducendi, ante hunc Annum Millesimum quadringentesimum, vitam agebant gloriosè, prout & sepulchra Ecclesiarum plurium, teste Damalewicz, Pomianeis Stemmatibus signata, & Capella ipsius Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis, antiquitùs Hebdarum, Stemmatis Pomian dicta, nunc Łubiensciana, ab insigni restauratione, dotatione nuncupata, tum erectio Ecclesiæ Parochialis & Conventualis Wągczoviensis, luculenter testantur; in qua erectione, licet in Anno Millesimo Sexcentesimo Vigesimo Nono, facta, ante hunc Annum, majores Pomianorum Domûs, a quadringentis annis, in illa Wągczoviensi Parochia, genus suum propagavisse, & vitâ functi sepulturam in eadem Ecclesia habuisse, describuntur.

Deinde villam Lubania, in qua Lasthek Hebda veluti occidisset Zarandum fuisse hæreditariam prædicti Lasthek Hebdæ, & modò primùm post patratum scelus, Ecclesiæ Vladislaviensi adjudicatam esse, scribunt hi, qui originem Domûs Pomianeæ, a prædicto Lasthek Hebda, deducunt. Quod iterum quam sit alienum a veritate, patet ex ipsis documentis Archivi Ecclesiæ Vladislaviensis, ubi eandem villam, multo antequam Hebda veluti occidisset Fratrem, sub Rege Vladislao secundo ad Ecclesiam Vladislaviensem, testamento pervenisse constat, ut in vitis Episcoporum Vladislaviensium, ostendit Damalewicz, in vita Volimiri Episcopi.

Alterum assertum a Damalewicz admissum, acsi Domus Pomianea a quodam milite Vieniavio, uri caput in venatione Principis, armata manu trajiciente, Originem deducat, pariter non approbo. Rationes aliunde non quæro, sed illas ex ipsa delineatione, stemmatis Pomianei assumo; Si enim Domus Nobilissima Pomianea, a Milite Vieniavio, in venatione Principis, Urum gladio trajiciente, originem suam deduceret, deberet dari ratio, quare in prædicto stemmate Pomian, manus armata & loricata, extensa cum gladio vibrato, a prima sua origine, delineatur & adumbratur? Sed non potest dari ratio, non enim potest

dici, quod prædicta manu armatâ & loricatâ, miles Vieniavius sauciaverit Urum? quia ulterius quæram, nunquid oportuit, aut decuit, ad venationem prædictam Principis, militem Vieniavium taliter armari, & lorica militari indui? quid promeruisset ille miles Vieniavius, consultò ad venationem, contra unam feram, lorica militari armatus cum gladio, an gloriam immortalem, derivatam etiam ad suos posteros? an potiùs risum? quomodo hanc venationem absolveret, & in tam gravi ferrea aut ænea lorica, fugientem urum, aut aliam velocem feram insequeretur? per juga, per sylvas vagaretur? insidiis & cursu feras agitaret? nunquid non satis fuit contra feram armari gladio?

Unde potiùs, probabiliùs, certiùs & in Domum Nobilissimam gloriosiùs dicendum est. Domum Pomianeam, priscis illis temporibus, a quodam Heròë Vieniavio, strenuò & armato, in defensione Patriæ, hostium insultus arcente & capita inimicorum Patriæ trajiciente, aut potius decollante, & postea eundem gladium loco circuli, ad priùs Stemma Vieniava, voluntate Principis, in præmium & coronam heroicæ pro Patria virtutis assumente, manumquè victricem de hoste, armatam & lorica militari indutam, cum vibrato gladio, in signum victoriæ supra coronam monstrante, originem ducere, eundemque Heròëm, Domûs gloriosissimæ Pomianeæ, primum Protoparentem esse. Unde ulteriùs, Stemma prædictum Pomian, suam denominationem, non ab illo vocabulo polonico *pomni nań*, (ut authores primæ sententiæ volunt) deducit, sed potiùs ab hoc vocabulo: *Pomienił*, id est mutavit circulum, in victorem gladium. Ratio autem sufficientissima ex ipsis armis Pomian desumi potest. Cum enim in prædictis armis, cernatur Caput Uri evidens est, quod Domus Pomianea procedat ab Heròë Vieniavio, & hoc omnes Authores supra citati concedunt. Quod autem prædictum Caput Uri, gladium retineat, & insuper quod manus armata, & lorica militari induta, vibratum monstret supra coronam gladium; ratio evidentissima est, quod prædicta manus, non contra personam spiritualem, aut in venatione contra Urum, ut frustra supponunt Authores, sed ad prælium, contra hostes Patriæ pariter ferro instructos, armata fuerit. Ac præcipuè cum priscis illis temporibus belli erant tempora. Et ita ad rem nostram scribit Joannes Dionysius Lobczynski, Ordinis Sancti Pauli Primi Eremitæ, in Concione Polonica, tit: *Translatio triumphalis, miraculosissimæ Imaginis, Beatissimæ Virginis Mariæ, Anno Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo quarto* dum inquit: *Cernendo gladium, in immanis Uri Capite ambas in partes transactum, facilis conjectura de initiis hujus Stemmatis, quòd pro magna aliqua heroica virtute, Protoparentibus hujus Domûs, dari debuerat; unô verbô: dignum clenodium fortissimorum Heroum.* Quodsi verò Fratricidium, aut Presbytericidium commisisset, aut in venatione sauciasset Urum, esset ne magna heroica virtus? potiùs esset

ſet ſcelus, aut ex venatione, dulce & amænum otium.

Ab hoc itaquè Heròé Vieniavio, Domûs Pomianeæ Protoparente glorioſiſſimo, procedunt Pomianii, qui retento ſive noviter aſſumpto nomine Hebdarum, Poſſeſſiones opulentiſſimas, dignitates in Regno primarias, & miniſteria Regni ex æquo merebantur. Iidem in Senatu Polono Principes, in Cathedris Præſules, in variis Palatinatibus & terris Dignitarii creabantur. Hinc inter Senatores Poloniæ numerabatur, in Anno 1346. Hebda Pomianus Caſtell: Breſtenſis Cujavienſis, de quo literæ Caſimiri Regis in erectione Civitatis Bidgoſtienſis, in Hiſtoria Collegii Bidgoſtienſis, teſtantur. Item alius Hebda Pomianus in Anno Milleſimo Trecenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Caſtellanus Siradienſis prout ex literis ejuſdem Caſimiri Regis apud Olſzovſcium de Primatu in Załuſcio colligitur. Item ex his ſive alius diſtinctus ab eis Hebda Pomianus in Anno Milleſimo Trecenteſimo Sexageſimo Palatinus Siradienſis, ut ex literis memoratis Caſimiri Regis ibidem apud Olſzovſcium legitur. Nicolaus Hebda Pomianus pariter Palatinus Siradienſis, quem in Anno Milleſimo Quadringentiſimo occiſum, Nieſiecki tom. imo, in Serie Palatinorum Siradienſium ſcribit dubitat tamen de Anno, quem nos ſub Anno Milleſimo Ducenteſimo nonageſimo ſexto, ex aliis Authoribus, paulo ſuperiùs in hoc Capite poſuimus. Quid de aliis graviſſimis Viris, opibus, Fortuna, & honore præſtantibus commemorem? Paprocki fol. 427. Epitaphium ſe deſcripſiſſe teſtatur Gneſnæ Joannis Hebda de Niewielz, Archidiaconi Sac: Rom: Eccl: Decani Cujavienſis, Canonici Gneſnenſis Cracovieſis Anno Milleſimo Quadringenteſimo mortui. Długoſſus in vitis Epiſcoporum Poſnanienſium ſub Anno Milleſimo Quadringenteſimo trigeſimo nono, Joannis Hebdæ de Niewieſz Pomiani, Decani Cujavienſis, Canonici Poſnanienſis & Adminiſtratoris Sede vacante Epiſcopatûs Poſnanienſis meminit, qui ſcultetiâ in Bonis Langu emptâ, eademque Capitulo Cujavienſi attributâ, jugem animæ ſuæ memoriam quotannis comparavit. Idem Długoſſus, in ſua Hiſtoria, Nicolaum Hebdam in Anno Milleſimo, Quadringenteſimo quadrageſimo Octavo, Præpoſitum Cruſvicenſem & Canonicum Gneſnenſem habentem a Capitulo Gneſnenſi, pro Archiepiſcopatu Gneſnenſi Suffragia deprædicat, quem Joannes Hebda Canonicus Gneſnenſis votis & Suffragiis in eadem electione juvit.

Ex hoc clariſſimo Hebdarum Pomianorum nomine proceſſerunt Jarandii, ſive Jaruntii Pomianei, atteſtantibus priſcis Poloniarum Hiſtoricis, qui ſub hoc glorioſiſſimo Jarandorum ſive Jaruntorum Nomine principaliſſimas in Senatu Polono implebant & occupabant ſedes. Ex his Jarandus Pomianus Palatinus Siradienſis in Anno Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo ſecundo, ut ex Literis Vladiſlai Regis Civitati Cracovienſi & Sendomirienſi datis colligitur. Ni-

laus Jarandus Pomianus, pariter Palatinus Siradiensis in Anno Millesimo Quadringentesimo septuagesimo quinto prout Literæ Casimiri Regis Civitati Lublinensi & Cracoviensi datæ, & plurimi Authores testantur. Alter Nicolaus sive Joannes Jarandus Pomianus, primò in Anno Millesimo Quadringentesimo nonagesimo sexto, Castellanus Spicimiriensis, cum quo titulo, subscripsit electionem Joannis Albrichti Regis, ut in Statut: Lascii fol: 110. Idem postea Castellanus Calissiensis Anno Millesimo Quingentesimo quarto, ut in iisdem Statutis fol, 112. subscriptus legitur, in Anno autem Millesimo Quingentesimo Decimo nono promotus in Palatinatum Lanciciensem, prout Literæ Sigismundi apud Olszovscium de Primatu edocēt. Tertius hujus Nominis Nicolaus Jarandus Pomianus, primo Castellanus Lanciciensis in Anno 1545. deinde Palatinus Lanciciensis in Anno 1548 ut Literæ Augusti primi, Civitati Cracoviensi & Leopoliensi datæ referunt. Jarandus Pomianus Palatinus Inovraclaviensis, qui cum aliis Proceribus Regni Legatos a Sigismundo Cæsare, pro coronatione Vitoldi, Magni Ducis Lithvaniæ missos, impedivit Anno Millesimo Quadringentesimo Trigegesimo. Aliqui hunc Jarandum, Palatinum Inovraclaviensem de Grabie scribunt ut Miechovita libro quarto. Aliqui de Brudzewo, eundem nominant, ut in literis Jagiellonis, Civitati Lublinensi apud Łaskiin Statuto datis fol. 140. describitur. Nicolaus pariter Jarandus Pomianus Castellanus Inovraclaviensis in Anno Millesimo Quingentesimo Quadragesimo quinto, prout eosdem Tomo primo in Serie Palatinorum & Castellanorum enumerat Niesiecki. Jarandus Pomianus, Castellanus Rospiriensis, in Anno Millesimo Trecentesimo Quadragesimo secundo, cum quo titulo subscripsit literas Casimiri magni, apud Paprocki, stromat. fol. 202. Jarandus Pomianus, Castellanus Spicimiriensis, cujus mentionem faciunt literæ Vladislai Regis, Civitati Cracoviensi datæ; Inveniũtur & alii hujus Nominis Jarãdii: Jarãdus Decanus Gnesnensis, in Anno Millesimo Trecentesimo octogesimo tertio; Item Jarandus Canonicus Gnesnensis, in Anno Millesimo Quadringentesimo quadragesimo tertio; Gerardus Jarandus, Canonicus Crusvicensis, & Vartæ nomine Regis constitutus Gubernator, liberalitate & munificentia, in Fundationem Conventuum, Bidgostiensis & Vartensis P. P. Bernardinorum, Celeberrimus; Aliique plurimi longa serie deducendi.

Ab horum itaque Heroum, prisco & Nobilissimo sangvine, tanquam lucidissimo fonte, Illustrissimæ in Regno procedunt Familiæ, hinc ducunt Genus suum Niewieszyi, satis olim clari; Brudzewscii, qui Jarandorum sive Jaruntorum nomine, ab antiquo gloriabantur, teste Niesiecki tom. 1mo. Grabscii, quos ab Hebdis & Jaruntiis processisse, scribunt antiqui Poloniarum Historici Bronisżewscii, quibus una initia cum Grabsciis, asserit esse Niesiecki, tom. 1mo. Suscii, quo-

rum Author Domûs Hebda de Grabie, ſecundùm Paprocium, Ducis Maſoviæ Mareſchalcus. Sokołowſcii, plurimis Palatinis, Caſtellanis & in Senatu Polono Viris, Clariſſimi, ſed præcipuè hæc Domus, Joannis Sokołowſki Palatini Pomeraniæ Filiâ, Matrimonio Michaëli Działyńſki, Succamerario Culmensi junctâ, ex eaque procreata Sobole, Felice Działyńſki, peregrinatione ad terram Sanctam, ad viſitandum & adorandum Sanctiſſimum Chriſti Sepulchrum, celeberrimo, & ibidem effuſo pro Chriſto Sangvine,(in mari a Turca odio fidei occiſus) Martyrio coronato, glorioſiſſima. Cienſcii quorum Domus una eademque cum Łubiensciis, ſola differentia manente, quod hi de Łubna, illi autem a Cienie villis, ſuam Nomenclaturam acceperunt, gloriantur autē Cienſcii plurimis Viris, armis & pietate inclytis, ex quibus erat Gaſpar, filius quondam Alberti Cienſki & Hedvigis, Sororis Andreæ Trzebicki Epiſcopi Cracovienſis, Decanus & Adminiſtrator Epiſcopatûs Cracoviēſis Sede vacāte, Deputatus aliquoties Judex ad Tribunal Regni, & in hæreditate Trzebicciorum, Eccleſiæ ab imo Fundator & exdotator. Kołudzcii, quorum præcipuum Ornamentum erat, Simon Kołudzki, Præpoſitus Gneſnensis, Scholaſticus Vladislavienſis Cuſtos Płocenſis, Canonicus Cracovienſis, Adminiſtrator Epiſcopatûs Cracovienſis, in reſpectibus apud Joannem Albrachtum, Regium Principem, Cardinalem & Epiſcopum Cracovienſem, in Tribunali Regni Anno Milleſimo Sexcentesimo trigesimo octavo Præſidens, oblatus ipſi erat Epiſcopatus Chełmenſis, Sed mereri illum voluit, non acceptare. Kiełczewſcii, Domus pariter Antiquiſſima, variis functionibus in Regno, per ſe gloriosè expeditis notiſſima, aliique plurimi, marte & bello, pietate in Deum & Patriam laudatiſſimi, in Palatinatu Cujaviensi, Siradienſi, imo in tota Polonia Pomianorum propagârunt gloriam.

Ad extremum, qui primò & principaliter erant, ſcribendi Łubienſcii, Hebdarum Antiquiſſima progenies, a Nicolao Hebda, Palatino Siradiensi, recta linea deſcendens, ut Niesiecki tomo primo ſub Hebdis, Trzebicki, in vita Stanislai Łubienſki, & plurimi alii Hiſtorici referunt, Jarandorum sive Jaruntorum, & qui ejuſdem ſtirpis Niewieſzyorum, Nobiliſſimus ſangvis, ut præter multos Authores, vexillum Antiquum in Ecclesia Noſtra Miechoviensi, Joanni Łubienſcio, Mathiæ Noſtri Germano Fratri, in Anno Milleſimo Sexcentesimo, decimo ſeptimo appenſum, lemmate inſcriptum, a me vero ante conflagrationem ejuſdem Ecclesiæ, Anno Millesimo Septingentesimo quadragesimo quinto factam, deſcriptum, teſtatur, quod ſic habet:: *Joannes Łubienſki, Gente Pomianus, è Palatinatu Siradienſi, vetuſtæ Nobilitatis ſplendore clarus, cujus majores è Jaruntorum, & quæ ejuſdem ſtirpis Niewieſzyorum familiis orti, equeſtri Dignitate floruerunt, ipſe ingenii bonitate, Patrii Juris notitia, pietatis & orthodoxæ religionis ſtudio,*

dio, cæterisque virtutibus viro nobili dignis præstans meruit, ut ab omnibus amaretur, quippe, qui re sua contentus, nemini molestus esse voluerit. Moritur in pago Wrociriensi Conventûs Miechoviensis, VI. Idus Septembris, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Decimo Septimo, ætatis suæ Quadragesimo Septimo.

Qualiter autem & quando, relicto celeberrimo Hebdarum, & Jarandorum Nomine, Łubienscii vocitari cæperunt? dedit initium Nominis, Nicolaus Hebda de Niewiesz Pomianus, tempore Venceslai Bohemi Regnum Poloniæ usurpantis, circa Annum Domini Millesimum Ducentesimum Nonagesimum Sextum, Palatinus Siradiensis, a quo complures coëmptæ in territorio Siradiensi possessiones, ut scribit Andreas Trzebicki, in vita Stanislai Łubienski Episcopi Płocensis, inter quas coëmptâ villâ Łubnâ, illustrem & locupletem in uno ambitu effecerunt conditionem; sed postmodum aucta sobole, atq; inter plures hæreditate, ampliùs quam ante quadringentos Annos, divisa, Pomianeum genus numero amplissimum, cognominibus diversum, esse cæpit; nam villarum vocabula, prout illæ cuique, ex posteris Nicolai Hebda de Niewiesz, cesserant, distincta cognomina, Dominis villarum dedêre. Hinc Łubienscii tulit Nomen, qui villâ Łubnâ prope Siradiam potitus est.

Postquam verò hujus nobilissimæ Familiæ, Nomen Łubiensciorum inclarescere cæpit, protinus hæc Familia, continua temporum serie, Viros sapientissimos, & in promovendo cultu Divino ferventes, ac Regni hujus amplissimi, gravissimos Senatores, bellicosissimos & fortunatissimos Heroës, Patriæ Nostræ protulit, qui Poloniam non solum rebus a se præclarè gestis, florentissimam reddiderunt, verùm etiam, quod ipsorum, summæ laudi, & immortali gloriæ tribuendum est, ita Cultum Divinum, magnificis templis & monasteriis, tum ædificatis tum restauratis, (ut inferius in hoc Libro patebit) propagarunt, ut non facile quempiam alium, cum illis comparaveris.

Primus se mihi offert villæ Łubna Hæres, (Nomen siluerunt Historici) Łubienski Vir magnanimus, veraque Martis soboles, qui tam sua magnanimitate, quàm pietate, & erga Virginem Beatissimam devotione, contra hostes universalis Ecclesiæ, & Patriæ militabat, sub Casimiro III. Poloniarum Rege, in campis Choyniciis contra Crucigeros pugnando, & fortissimè in illos irrumpendo, non sine suo periculo maximo, quod tamen feliciter evasit, postquam se voto obstrinxit, diebus sabbativis rigidum jejunium, dum vita suppeteret, observaturum. Hunc Łubienscium, Trzebicki in vita Stanislai Łubienski Episcopi Płocensis, scribit fuisse Avum Sventoslai Łubienski Patris Archiepiscopi Mathiæ, cæterum Annos computando, quibus Casimirus III. & consequenter hic Łubienski vixerat, contra Crucigerosque bellaverat, debuerat fuisse Abavus, a Nicolao Hebda Palatino Siradiensi

rectâ lineâ ut Niesiecki tomo primo, sub Hebdis, & a Jarundis ut suprà demonstravimus descendens.

Alter immediatus villæ Łubna Possessor & Hæres, Andreas, Nicolai Hebda de Niewiesz, Palatini Siradiensis immediatus Nepos, ut deducit Stephanus Szczaniecki S. J. in concione funebrali, Sophiæ de Łubna Mączyńska, Capitaneæ Kłoniovienfis, & cui in divisione paterna, hæreditas villæ Łubna contigerat; Hic ducta cujusdam nobilissimæ in Regno Familiæ, uxore Petronella, ex ea Filium Stanislaum habuit, maturior ætate, Łubiensciani nominis gloriā, in tantùm evexit, ut supremus Regni Thesaurarius, & Præfectus Dobrinensis factus, claves & Thesaurum Regni Poloniæ sibi commissum habuerit. Accrevit in hoc magno Regni Dynasta, Illustrissimorum Łubiensciorum gloria, dum præter hoc, quod supremo Regni Thesaurarii officio, & honore dignissimus inventus esset, etiam summæ authoritatis probatur, quia nomine Reipublicæ Polonæ, privilegium Pruthenicum, Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo sexto, subscripsit, & perennitati consignavit. Inter tantos in Regno honores, & curas Reipublicæ, nihil de devotione ad Sanctos Patronos intermisit Andreas, & præcipuè ad Sanctum Stanislaum Episcopum Cracoviensem & Martyrem, Regni & suum Patronum mirè devotus fuit, cujus precibus & intercessione, non semel auxilium & gratiam sanitatis, in extremo existens periculo, obtinuit. Cum enim semel venatu animum recrearet, equo ad obicem sub vesperum impingēte excussꝰ, graviter elisꝰ est, domū deportatus magis ac magis deficiebat, sangvinis fluxum, nulla medicorum arte, sistere valente, qui tam copiosus erat, ut per unius noctis spacium, justæ capacitatis implere potuerit pelvim; nullum cibum, potumquè retinere poterat, quidquid in stōachū ingessit, mox egessit, actū igitur de vita arbitratꝰ di sponere Domui suæ cœpit, familiæque in cujus habitationem se deferri curaverat, ex æquo dedit mercedem; Sed enim non diffidens de miserationibus Divinis, promittit se ad rupellam sub Cracovia sitam, Divoque Stanislao, cui devotissimus vixerat, & cujus nomen Filio indiderat, venerationis officio, & muneribus litaturum. Approbat Petronella Uxor, suasque maritali pietati conjunxit devotiones. Adfuit igitur auxilium desuper, nam post facta vota prima statim die solum ter sangvinem excreavit, altera bis, tertia integrè convaluit. Quare gratias pro tāto beneficio acturus, Cracoviā profectus est, dumq; jam unum nonnisi milliarium restaret conficiendum pedestri illud emensus itinere; ante sepulchrum Sancti Martyris se suppliciter provolvit, & pro vita sibi donata, septem pondo ceræ in usum Ecclesiæ obtulit. Hic Andreas supponitur fuisse Filius, illius magni sub Choynice Herois, computando annos, quibus uterque vixit; tum hæreditatem villæ Łubna, immediate ab eis possessam, ex Authoribus acce-

ptam

ptam conſiderando; tum quod fuerit immediatus Nepos Nicolai Hebda de Niewieſz, Palatini Siradienſis, ut ſupra ex Concione P. Szczaniecki Soc: JESU demonſtravimus.

Tertius villæ Łubna Hæres, Stanislaus Łubienſki, ſupraſcripti Andreæ, Theſaurarii Regni, & Petronellæ Filius, de quo nihil adnotarunt Authores, præterquam, quod eidem Nomen a Parentibus, Sancti Stanislai, ob ſummam Parentum ad Sanctum Patronum Regni, devotionem, impoſitum fuerit, ut colligi poterit ex Sotarevio, in vita Divi Stanislai Epiſcopi Cracovienſis. Creditur hic Stanislaus, procreaſſe duos Filios, primum Jaroslaum, alterum Januſium Łubienſcios, qui poſt mortem Patris, in hæreditatem villæ Łubna ſuccedentes, unam eandemque villam Łubna inter ſe in duas ſortes diviſerunt, a quorũ nominib9 duæ hæ ſortes adusq;una Jaroslai, altera Januſii nuncupatur; Hinc ab his Łubienſciis Jaroslao & Januſio, ſive ab uno ex his, procedunt reliqui, Svẽtosla9 & alterSventoslaiFrater (nomen ejus ignoratur) Łubienscii. De Svẽtoslao im̃ediate ſcribã; Frater verò Svẽtoslai Łubienſki, ducta ex quadã nobiliſſima Domo Conjuge, aliquot procreaſſe narratur Filios, quorum prim9 Abraamus Łubienſki, Frater Patruelis noſtri Mathiæ erat. Huic Abraamo Łubienſki ob ſummam in rebus agendis dexteritatem, ac ſolertiam, & Civitatis Miechovienſis, & omnium Bonorum, ad Præpoſituram Generalem Miechovienſem ſpectantium Mathias Noſter, dum Præpoſitus Generalis Ordinis Noſtri eſſet, adminiſtrationem commiſit. Qui Vir in æconomicis verſatiſſimus, in ipſo exordio, Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi ſecundi, diuturna febri exhauſtus, die octava Januarii, mundo valedixit, graviter ejus obitum Canonicis noſtris, cum quibus ille toto tempore familiariſſimè vixit, deplorantibus. Ejus ſepulturam in abſentia Noſtri Mathiæ, Canonici noſtri, ſatis honorificè, præſente Stanislao Łubienſki, Abbate protunc Tinecenſi, Fratre itidem Patrueli, ejusdem demortui Abraami Łubienſki, die tertia Februarii, in Eccleſia noſtra Miechovienſi, curaverunt. Reliqui verò Filii ſupraſcripti cujus nomen ignoratur Łubienſki, & Fratres Germani Abraami Łubienſki, Fratres verò Patrueles noſtri Mathiæ, ſe ex Siradiensi Ora in Polonã Pruſſiam, fortuna ita favente, tranſtulerunt, a quibus iſti procedunt, qui hic & nunc ibidem incolatum habent.

Quintus Sventoslaus Łubienſki, exſoluta prius ex una ſorte, villæ Łubna Fratri ſuo hæreditate, utriusque Łubna Hæres & Poſſeſſor, decem liberorum, (inter quos noſtri Mathiæ) Parens, cujus vitam integerrimam, ſuorumque Filiorum & Filiarum omnium, ſequenti immediatè capite, ex profeſſo deſcribemus.

Sextus utriusque Łubna Hæres & Poſſeſſor Joannes Łubienſki, ſupraſcripti immediatè Sventoslai Filius, cujus pariter geſta, una cum ſuis Fratribus & Parentibus, ubi de iiſdem ex profeſſo tractabitur ſe-

quenti idque immediato capite demonstrabimus.

Septimus Utriusque Łubna Hæres, Hieronymus, & Albertus Łubienscii, suprascripti Joannis Łubienski Filii, Mathiæ verò Archiepiscopi Gnesnensis & Stanislai Episcopi Płocensis, ex Fratre Nepotes. Primi idest Hieronymi, (a quo Łubienscii, qui in terra Cracoviensi & Sendomiriensi consistunt, procedunt) vitam brevi periodo, paulò inferiùs, in hoc capite attingam, Alberti verò cum hic dignitate in Regno Senatoria, primo natum Fratrem suum Hieronymum excesserat, primò compendioso celebrabo Encomio. Hic itaq; Albertus Łubienski, suprascripti immediatè Joannis Filius, ex Sophia Wilczynska, quam idem Joannes secundo voto habuit, procreatus fuit, in quo adhuc puero, virtus & animi constantia, nobilissimi Parentis, manifestè elucebant, Adultior verò factus Italiam, Belgium, Hollandiam, Gallias lustravit, ibique literis animum excoluit, ac in Martis Palæstra gloriæ militaris avidus desudavit. Reversus in Patriam, virtuti & honori studendo, præclarissimis suis moribus ita promeruit sibi favorem & gratiam, Clarissimorum Patruorum suorum, ut eum exdotato priùs Fratre ejus Hieronymo, Paternorum Bonorum, Dominum & Hæredem, tum Arcis & villæ Kalinowa, aliarumque possessionum, proprio ære comparatarum, constituerent. Qui non degener a generositate & probitate suorum Progenitorum, propria virtute, ad majores honores ac dignitates, ascensum sibi paravit. Hinc primò Dapifer Siradiensis & Deputatus ad Tribunal Regni, in Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, factus, in Anno autē millesimo sex centesimo quadragesimo septimo Vexillifer Siradiensis major renuntiatus, vir tantæ in obeundis publicis muneribus prudentiæ, ut si aliqua consultatio fieret, de salute Patriæ, ad consilia invitaretur; & sic in confederatione Generali Varsaviensi, Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo, decima sexta Julii, celebrata, post mortem Vladislai IV. Regis Poloniæ, fuit deputatus, una cum aliis ex utroque Reipublicæ ordine, ad latus Mathiæ Łubienski, Archiepiscopi & Primatis Regni, sui Patrui, ut eundem, interveniente aliqua necessitate Reipublicæ, maturo consilio & auxilio juvaret, simulque cum Primate, de salute Reipublicæ conferret. Cum verò post peractam coronationem novi Regis, jus quoddam primæ gratiæ, a Regia Majestate, pro Domo Archiepiscopi concedendæ, usu inductum, Mathias Łubienski Archiepiscopus Gnesnensis, post coronationem Joannis Casimiri, gratiosa præmia accepisset, videlicet Castellanatum Siradiensem & Capitaneatum Przedecensem, eidem Alberto suo Nepoti ex Fratre, uti viro ad quasvis Dignitates etiam Senatorias, idoneo, aliàs in Republica Polona meritissimo, & apud noviter electum Regem, Joannem Casimirum, ex electionis negotio, per ipsum agendo, tum ex legatione ad Regni Ordines, in eodem negotio electio-

nis

nis, ac ex Consilii gravitate, justitiæque constantia, in Tribunalitiis Regni Judiciis laudatissimo, eundem Castellanatum Siradiensem, & Capitaneatum Przedecensem, in Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono contulit, & in Collegium Senatorū Regni cooptavit

Hic Albertus, ex Theophila Gorska, Stanislai Gorski, Palatini Ma zoviæ Filia, quam sibi maritali fœdere copulaverat, quinque suscepit Filias, quæ postea in matrimonium Viris nobilissimis & excellsæ in Polonia Familiæ, locatæ, miram tum virtutum, tum boni nominis spargebant famam. Prima fuit Olszowska Subdapiferi Calissiensis consors; secunda Donhoffowa, Ensiferi Lācicienss, tertia Nicolai Siemianowski Judicis Vielunensis, qui postea Legatus ad Comitia Generalia Regni, tum Deputatus, & in Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, Vicemareschalcus in Judiciis Tribunalitiis Regni, ad extremum post mortem Fratris sui Martini, Castellanus Vielunensis erat, quarta Sophia, Stanislai Mączynski Capitanei Klonoviēsis cōsors, quæ præter sex Filias, 3. Filios Stanislaum postea Vexilliferū & brevi Succamerarium Siradiensem, secundum, Casimirum, postea Capitaneum Klonoviensem & Castellanum Konariensem, brevi Siradiensem, tertium Adalbertum, postea Venatorem Siradiensem genuit; mortua in Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo. Quinta Adalberti Lubienski Castellani Siradiensis Filia nomine Alexandra in Religione Sancti Francisci Conventus Vielunensis obiit. Filios autem prædictus Adalbertus Lubienski, Castellanus Siradiensis, procreavit tres, Stanislaum natu majorem, postea Canonicū Cracoviensem, peregrinationibus ad exteras nationes, & doctrinâ clarissimum, earundemque nationum idiomatum peritiam addiscendo, vocalissimam nomini Lubiensciano, ubique promeruit gloriam; ejus nobilissima facta Ecclesiæ & Patriæ præstanda, mors præcox impedivit, dum eundem, in juvenili ætate terris eripuit. Alii Filii Alberti Castellani Siradiensis, Mathias & Joannes, de Mathia immediatè scribemus, Joannes verò, acceptâ in hæreditatem villâ, Szczytniki cum attinentiis, & ducta uxore Joanna Urbanska, Castellani Vielunensis sorore germana, decessit steriliter. Porro Albertus Castellanus Siradiensis, mortua sua matre Sophia de Wyleżyno Lubienska, in Anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo. Die vigesima sexta Maji, cum vixisset vidua, sanctè & religiosè, annis triginta uno, ætatis suæ quinquaginta sex, eademque in Ecclesia nostra Wągczoviensi, ritu Catholico honorificè sepulta, erecto postea eidem, ex filiali amore ibidem marmoreo Epitaphio, ipse deinceps virtutum Christianarum, spectatæ pietatis & timoris Dei exemplar fuit; cujus pietatis in Deum habet testimonium, ex sua subscriptione confœderationis, in Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo, post mortem Vladislai IV. Regis Poloniæ factæ, in qua

cum Lutherani & Calvinistæ, multas prætensiones suas, tum Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, Fideique Orthodoxæ, tum legibus & decretis Regni, contrarias, per novam confœderationem confirmare, & approbare voluissent, Adalbertus Łubienski protunc in confœderatione præsens, eandem confæderationem non aliter subscripsit, nisi *Salvis Juribus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ.* Quod iterum eundem fecisse cōstat, eodem Anno Millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo, primâ Augusti, in Castro Varsaviensi, ubi secutus Episcopos, aliosq; Senatores, ac Ministros Regni, de Sancta Ecclesia, & Religione benè meritos, & jurium ejusdem zelosissimos, manifestationem contra Arrianos, aliosquè Hæreticos, cum aliis Episcopis & Senatoribus, tum Ministris Regni, subscripsit. Aliud testimonium suæ probitatis & pietatis in Deum habet ex testamento Mathiæ Archiepiscopi, (cujus testamenti, unà cum aliis, Albertus Łubieński executor fuit) in quo de eodem Alberto, post multas piissimas dispositiones, Mathias Archiepiscopus sic inquit: *De cætero si in timore Dei vivet, uti hactenus vixit, atquè Ecclesiæ & Patriæ utilis esse curabit, plura ei Deus adjiciet, & fortunas ejus augebit, quemadmodum, ut plurima alia exempla taceam, & nostras pro infinita sua bonitate, & misericordia mirificè auxit.*

Mathias, suprascripti Alberti Łubienski Castellani Siradiensis Filius Stanislai verò Canonici Cracoviensis, & Joannis germanus Frater, beneficentiâ Stanislai Episcopi Płocensis, & Alberti Præpositi Pułtoviensis Łubienskich, Avorum suorum educatus, ex eorum enim residuitate pecuniæ post obitum eorum relictæ, viginti millia, a Mathia Archiepiscopo, uti testamenti Executore, enumerata erant, simulque in bonis hæreditariis, suprascripti Alberti Łubienski Castellani Siradiensis, sub censu annuo inscripta, ut census hic, in usum hujus Mathiæ, singulis annis expenderetur, & pro sumptu in scholis faciendo, tum pro reliqua educatione ejus, converteretur. Habitâ tantâ munificentiâ Avorum, & curâ Parentum suorum, ad studia in scholis Societatis JESU Calissiensibus applicatus, brevi in doctrina & in pietate profecit, quibûs finitis, Paternarum virtutum & Bonorum, villarum videlicet Kalinova, Łubna, Wewrzałowo, Kobyłki, Regalis Wągczow & aliarum Hæres, & Possessor extitit. Hic Mathias ducta lectissima cōjuge, ex Nobilissima Radolinsciorum Domo Theressia Radolinska, Castellani Krzywinensis Filia, ambo pietati operam dabant, ambo in Ecclesias munifici, ambo in sacras ædes liberales, illorum cura & sumptu reædificata a fundamentis extitit in Kalinova Ecclesia, quæ valido vento prostrata, illorum opem expectabat liberalem. Unde Divinam benedictionem adepti, viginti plus minus Filios, unà cum Filiabus, cælo, Ecclesiæ & Patriæ procrearunt.

Ex his primus Andreas, Mathiæ Łubienski suprascripti, ex Radolinska Filius, Archidiaconus Calissiensis, & Canonicus Metropolitanus

nus Gnesnensis, tandem post Alexandrum Bykowski, Cathedralis Cracoviensis Scholasticus, vir in supremo Tribunali Regni, ex Capitulo Cathedræ Cracoviensis, Judicis Deputati, ex Capitulo vero Metropolitano Gnesnensi, Vicepræsidentis dignitate, clarissimus. In pietate & oratione continuus, ita, ut ex illa assiduitate orationis, habitum acquisiverit, labia movendi omni tempore, observans illud apostolicum monitum; *semper gaudete, & sine intermissione orate.* Quare ex illo contracto habitu, etiam tunc dū extrema infirmitate pressus, & gravissimis doloribus cruciatus, etiam extra sensus existens, indesinenter orabat, & sic spiritum suum Creatori suo commendabat.

Secundus Stanislaus Mathiæ Łubienski ex Radolinska Filius, qui juveniles annos Marti & Bellonæ, sub signis Supremi exercituum Regni Ducis, Stanislai Jabłonowski, & Castellani Cracoviensis, consecravit, postea depositis militaribus armis, & instructus præcelsarum virtutum ac dotum prærogativis, Annam Karska, in matrimonium sibi associavit, ex quo præclaro consortio, Joannem & Albertum Filios, Catharinam & Sophiam Filias, numeravit. Hæ Walszewsciis, germanis Fratribus, maritali junctæ fœdere, nempe natu major Catharina, natu majori Walszewski, junior Sophia, juniori Walszewski nupta, una eademque die vota matrimonialia emiserunt, post annum verò, penes partum ambæ simul morte extinctæ sunt. Filii verò supra recensiti Stanislai Łubienski, Joannes & Albertus, quorū primus, in consortium vitæ duxit Szczaniecka, alter verò Albertus, qui nunc Hæres villarum Hoyno & Głowczyn, maritali sibi fœdere juncta Anna Cywinska, ex ea Petrum nunc minorēnem, & tres Filias Mariannam, Antoninam, & Josepham procreavit.

Tertius Adalbertus, Mathiæ Łubienski ex Radolinska Filius, cui in divisione Paterna, hæreditates Łubna contingerant, hic adlecta sibi lectissima, è pervetusta Familia Orzelsciorum, consorte, ex ea, Alexandrum, modernum Capitaneum Wągczoviensem, & Jacobum Filios, Helenam, primò voto Thomæ Milewski, secundo voto, Martino Borzęcki, in Anno Millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, in Matrimonium locatam, procreavit. Tandem mortua prima ex nobilissima Orzelsciorum Domo, consorte, Theressiam Kałowska Viduam, connubiorum accepit sociam, cum qua sterilis, pietate tamen Christiana fæcundissimus & apud omnes celebratissimus, morum suavitate clarissimus, erga nostros Canonicos, cum quibus à teneris annis familiarissimè vixit, benevolentissimus, Anno Domini Millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, elegit sepulturam, in nostra Ecclesia Wągczoviensi, ubi in majorum suorum sepulchro requiescit. Filius verò ejus ex Orzelska, Alexander Łubienski, Capitaneus Wągczoviensis electa sibi in societatem advitalitiam, præcelsa consorte, victoria Kałowska, Alexandri Kałowski Filia, Andreæ ve-

rò Kałowſki Pocillatoris & Judicis Terreſtris Lancicienſis Nepte; ex illa præclaram aſſumpſit prolem,cum quatuor FiliosAntonium, Caſimirum Stanislaum & Michaëlem & duas Filias Annam & Joſepham ſuſcepit.

Quartus Mathias, Mathiæ Łubienſki ex Radolinſka Filius, Venator Siradienſis, qui paris indolis, in conſortii fœdus, adjuncta ſibi conjuge Marianna Stokowſka, ex eaque procreata Superum benedictione eximia ſobole Floriano moderno Notario Terreſtri Siradienſi, & Vladislao Decano Gneſnenſi, Scholaſtico Cracovienſi, Supremo Regni Notario, quorum glorioſa facta inferius attingemus; tum Roſalia Joanni Taczanowſcio nupta, dignus inventus eſt eligi aliquoties, ex Palatinatu Siradienſi, Deputatus Judex, ad ſupremum Tribunal & Legatus ad comitia Generalia Regni. Reliqua ejus in Patria merita, mors præcluſit, quæ eum in flore ætatis, Anno videlicet ætatis trigeſimo ſexto, peſte tunc in Polonia graſſante infectum, honoribus eripuit. Conſors verò ejus Marianna Stokowſka, fæmina devotiſſima, quæ fuerat ſocia vitæ, etiam mortis eſſe voluit, dum eodem ipſo Anno, eadem ferali peſtilentia, non tamen inopinatè, extincta obiit.

Quintus Alexander, Mathiæ Łubienſki ex Radolinſka Filius bonorum Szczytniki cum attinentiis, Sławna & Myſzek Poſſeſſor & Hæres. Vir dignitate in Patria, munificentiâ in Religioſos, amore in amicos, pietate in Deum, nobiliſſimus. Dignitatem ſi quæras? Subjudex primò, tandem Judex Terreſtris Caliſſienſis, cum quanto onere, honorem iſtum portavit, loquantur acta, quæ conſcribi mandavit, Decreta, quæ protulit, ſententiæ, quas Subjudex integerrimus pronuntiavit, dum cauſas Palatinatûs Caliſſienſis, & in eo ſex Diſtrictuum, juſtitiæ Præſes judicavit. Ad Sereniſſimum olim Auguſtum II. Regē Poloniarum, à Palatinatibus Majoris Poloniæ Legatus, eorundem Palatinatuum vota promovit, & quidquid deſiderabatur effecit. Effeciſſet & ultra, & non tantùm magnus nomine, verùm maximus, ſociato meritis honore, apparuiſſet Alexander, ſi caput ſuum honoribus ſubmiſiſſet. Expetebant illum Curules Senatoreæ, expectabant vota Patriæ, ſed virtutibus maluit eminere, quàm honoribus, ducta autem in vinculum ſociale conſorte, Anna Węzykowna, cujus nominis origo præclara & vetuſta, progreſſu temporis, multis honorum titulis & ſuffragiis, adornata erat, vidua derelicta, poſt Joannem Ciswicki Capitaneum Stawiſzynenſem, & hæc ſteriliter mortua, ſuperinducta altera Marianna Radomicka, Palatini Poſnanienſis Filia, cum ea Alexandram Filiam procreavit. Verùm poſt octo a Nativitate hebdomadas ſepultâ Filiâ, poſteriùs autem Matre, ipſe viduus, ad reparandas & fundandas Eccleſias, ad ditandos pauperes, ad educandos ſuæ Familiæ Viros, & ad quævis virtutum genera, totum ſe convertit ac dedicavit. Hinc Sororibus Ordinis Sancti Franciſci quas

hic

hic Bernardinas vocamus, in Civitate Calissiensi, Ecclesiam, unâ cum Conventu, de cocto latere a fundamentis erexit, totam adornavit, certas pecuniarias summas, in censum quotannis percipiendum, locavit, Fratribus autem Sancti Francisci, strictioris observantiæ, in eadem Civitate Calissiensi, campanam, quâ pro solemnitatibus, populus ad divina audienda convocatur, ponderis viginti quatuor centum pondo comparavit, eandem a Celsissimo & Reverendissimo Principe, Christophoro Antonio Szembek, Archipræsule in vinea Domini laboriosissimo, & planè ad quosvis labores Ecclesiasticos nato, die duodecima septembris, Anno millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, benedici curavit, pro convocatione eorum habita Calissii, & per quatuor dies durante, aliquot millia expendit, & eosdē Fratres ex tota Provincia tunc congregatos, cum omni sufficientia, proprio sumptu, munificentissimè sustentavit; Ecclesiam Parochialem, in villa sua hæreditaria Sławno dicta, nunc autem, cura prædicti Alexandri, privilegiò super hoc, a Serenissimo Rege Augusto III. obtentò, in oppidum conversa, de novo & à Fundamentis ædificavit; Ecclesiam Parochialem Ivinensem, introducta ad has Ecclesias confraternitate, Sacratissimi Scapularis, cultor marianus dotavit & ornavit. Cum verò pro Domo Dei munificentissimè expenderet, simul & Domui Lubienscianæ disponebat, existimans firmiores & perenniores esse Domos, quæ simul cum Sacra Domo fulciuntur. Quare aliquibus suæ Familiæ viris, fortunas auxit, aliquos ad modernas & futuras in Regno dignitates capessandas, nobilissimè educavit, pro studiis & peregrinatione, ad exteras nationes, sumptum liberalissimè suppeditavit, fœminis autem nuptias confecit, & eas præclaris in Polonia Viris in Matrimonium locavit. Hæc cum Alexander ageret, Serenissimus Rex Poloniarum, Augustus III. Anno Domini millesimo septingentesimo quadragesimo nono, eidem jam in cana ætate existenti, nullumque jam honorem ambienti, Castellanatum Gnesnensem contulit, & ne ejus virtutes sine corona incederent, Senatorio in Regno stallo præmiavit. Ad extremùm, inter fortunas & honores momenti, a quo pendet æternitas, memor, sepulchrum sibi in Ecclesia, Ordinis Sancti Francisci, strictioris observantiæ, Calissii extruxit, quò exstructò, uxoribus suis ambabus, ut iisdem eundem post mortem amorem præstaret, quem in vita debuit, corpora earum, acceptâ apud Loci Ordinarium licentiâ, exhumari, ad idem sepulchrum noviter exstructum, trāsferri fecit, & tempore supra nominatæ convocationis, in qua numerosus Sacerdotum Ordinis Sancti Francisci cætus, congregatus fuit, solennissimis Exequiis, pro animabus earundem celebratis, christiano ritu sepelivit. Ipse tandem in meditatione novissimorum continuus, supremam præstolaturus quietem, tumbam & loculum sibi, pro sui corporis sepultura, comparari mandavit, quem

in ſuo intimo cubiculo præ oculis habet, meditaturque mortem & ſuum obitum quotidie; ſed vivat Deo, vivat ſuæ nobiliſſimæ Familiæ, vivat Ordini meo beneficus, quousque ipſi, quousque inclytæ Proſapiæ, quousque Ordini meo, non erit ſatis. Filiæ autem, ſupralaudati Mathiæ Łubienſki ex Radolinſka, viris in Polonia præcelſis, in matrimonium junctæ; prima Catharina Pruſzkowſcio, in maritales manubias extradita. Secunda Hedvigis, in Religione Conventûs Trzebnicenſis obiit. Tertia Conſtantia, primò votò Andreæ Ordęga, ſecundò votò Caſimiro Wſtowſki, in Matrimonium locata. Reliqui autem Filii & Filiæ ſupranominati Mathiæ Łubienſki ex Radolinſka, primū ætatis florem, in cæleſtem beatæ æternitatis paradiſum tranſtulerunt.

Veniunt jam in Coronam laudum, Coronæ alterius Mathiæ Łubienſki Patris, prognati ex Stokowſka Filii, Florianus & Vladislaus. Florianus natu major, poſt educatam in eruditioribus ſcholarum Lycæis teneriorem ætatem, ad avitarum legum & inſtitutorum ſtudia nobilem ſuam applicabat indolem, quare eò proceſſit, ut primo Dapifer Ravenſis, poſtea Vexillifer Petricovienſis, ac tandem Anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, Notarii Terreſtris Siradienſis munere, Sereniſſimi Auguſti III. prudentiſſimo judicio ornatus, meruit ut totius orbis Poloni, in ſupremo Tribunali Regni Petricovienſi Decreta notaret & conſcriberet, cujus majores, in Stanislao Łubienſki, ſupremo Vicecancellario Regni, ſub Sigismundo III. & Regiam præclarè interpretabantur mentem, & quaſi Regiæ beneficentiæ Adminiſtri, Principis ſui ſignabànt reſcripta. Similia nunc decreta conſcribit noſter Florianus, quæ ipſe integerrimus Deputatus Judex, jam binis vicibus a ſuis Palatinatibus electus, in eodem ſupremo Tribunali Regni pronuntiabat, illas ſententias, quas ipſe proferebat & decernebat, felix calamus, quô ad ſuprema Regni evolabit faſtigia, felix, quô glorioſum undique Łubienſciorum nomen, tomis ſupremi Tribunalis Regni notabitur, & inſcribetur. Quamdiu Areopagi Poloni ſuus conſtabit honos, tamdiu Floriani Nomen, Poloni non excludent faſti & annales. Dabunt Suffragium merita, quæ Legatus glorioſiſſimus ad comitia Generalia Regni, ad congreſſus totius Gentis poſuit, dum a Terra Vielunenſi in Anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto Varſaviam, & a Palatinatu Siradienſi, ante duos abhinc Annos Grodnam, tum Anno milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo ex Palatinatu Ravenſi, ad comitia generalia extraordinaria, Varſaviam, Legatus electus, officium hoc dexterrimè, & juxta agnatam ſibi ſolertiam, in omnes partes circumſpectè, propter varia protunc partium litigia, obivit & adimplevit. In maritales manubias, primò votò, Bogumiłam Walewſka accepit, ex qua præclaram prolem, Cæleſtinum Filium, antehac in ſcholis Varſavienſibus, ſtudio lingvarum exterarum, operam dantem, & ternionē

Filiarum,

Filiarum, Cunegundem Magnuscio Subdapifero Ostrzeszoviensi, matrimonio junctam, tum Magdalenam & Margaretham, florem adhuc ætatis præferentes Divina benedictione suscepit. Servent superi, hanc pulchram sobolem, ad solatium Magni Parentis, ad subsidium Patriæ & gloriam Familiæ suæ. Altera celebratissima ejus Consors, Marianna Wilkowska, cujus nobilissimi Aborigines, & subsequentes posteri, quantæ gloriæ ac honoris fuerint, ille ignorat, qui historiam Patriam non novit. Cum hac igitur in commodum Patriæ, longævam ætatem vivat, ut ad exemplum posteritatis, videat natos natorum, & qui nascentur ab eis.

Proximus priori, Fraterno sangvine Vladislaus Lubienski, Mathiæ ex Stokowska Filius, Vir præter humanitatem & Candidissimos mores, literarum peritiâ clarus, Authoritate & gratia, plurimos in ordine spirituali superans. Hic in scholis Calissiensibus, post Cracoviensibus, primum juventæ florem dicaverat Palladi, qui ut pulchrior appareret, voluit in alienam Terram transplantari; Italiam igitur, Germaniam & Gallias peragrando, ubi postquam in Collegio Romano, Theologiæ navasset operam, & lingvarum earundem nationum, didicisset peritiam, pietati deditus, corpora Sanctorum illis in nationibus visitabat. Hinc sepulchrum Sancti Caroli Boromæi Mediolani, & in eo ipsum corpus, in vitreo conspexit loculo. Pari modo Tolentini civitate in Italia, sepulchrum & corpus Sancti Nicolai de Tolentino apud Patres Augustinianos, Assissii, Sepulchrum Sancti Francisci Seraphici, cæterasq; reliquias uti cingulum & literas, manu propria ejusdem Sancti, ad Pontificem Romanum Conscriptas In monte Cassino, præter alias multas sacras Reliquias, Corpora Sanctorum Benedicti & Scholasticæ, in uno sepulchro jacentia, spectavit. Visitatis & lustratis principalissimis in Italia locis in Germaniam, Anno millesimo septingentesimo vigesimo quinto, se contulit, ubi Palatinatum Rheni, Urbes celeberrimas, Franquortum, Worms, Spirã, & alias peragrando, Gallias item & in eis Metropolim Regni Parisios, visitando, ibique tunc in Fonteneblo Civitate, palatiô Regum Frãciæ condecorata, Anno millesimo septingentesimo Vigesimo quinto die quinta septembris, solennissima connubia, inter Serenissimos Ludovicum XV. Regem Galliæ, & Mariam, Filiam Stanislai Leszczynski, Regis Poloniæ gloriosissimi, conspexit; Postquam igitur prædicta nobilissima Regna, Ducatus, Provincias adiisset, & in omnibus locis, plurima quæ erant notatu dignissima, prælo postea imprimenda connotasset, in Patriam remeare decrevit. Redux in Patriam, aulæ Theodori Potocki, Archiepiscopi Gnesnensis, Primatis Regni, adhœsit, verè Theodorum, quia singularissimum in se expertus donũ DEI, cum ab eodem Grodnæ, Anno millesimo septingentesimo vigesimo sexto, Canonicorum Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis, adhuc in minoribns ordinibus existens, adscriptus Collegio. Brevi reversus

Grodnâ ex Lithvania, cum visitasset Ecclesiam Metropolitanam, prædictus Primas, ibidem noster Vladislaus, in Metropolitana Ecclesia, ad ordines majores promotus, & ad incruentam litandam victimam institutus, ibidem Neomystam egit, & morem Ecclesiæ gerens, sacratas primo attactu Dei manus Celsissimi Primatis Regni, nec non Procerum Ecclesiæ, imposuit capitibus. Primatem Regni secutus Andreas Łubienski, Scholasticus Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis, nostri Vladislai Patruus, qui eum, simili honore donavit, & Coadjutorem scholasteriæ suæ Cracoviensis fecit. Auxerunt postea gratiosissimi Collatores titulos & honores Vladislao, dum eidem, Præposituram Infulatam, in Ecclesia Collegiata Lascensi, liberalissimè contulerunt, implevit igitur Lascensem Infulam, non solum capite, verū & meritis, nam ibidem tantam erga Virginem Beatissimam, in illa Icone, veriùs statua ex candido & purissimo lapide elaborata, miraculosam, devotionem & cultum promovisse narratur, ut primò annô ejus Præposituræ, pro Festo Visitationis Beatissimæ numerosissimus populus concurreret, eundem populum undique confluentem, Ecclesia non caperet, numerosissimi confessarii, in auscultanda sacra exomologesi, in administranda sacratissima Eucharistia, vix sufficerent, Numerabantur tunc, accedentes ad Sacratissimam Eucharistiā, & viginti quinque millia hominum reperta, qui sacratissima communione refecti, matrem ibidem Sanctissimam, in Sacra statua gratiosissimam, una eademqne die, profundè adorarunt, & terram Sanctā, Hierosolymis allatam, cæmeterio ibidem inspersam, devotissimè exosculati sunt. Recompensavit Divina Mater, suæ devotionis Promotori Vladislao, nam cum Anno millesimo septingentesimo trigesimo nono extrema, eaque lethali infirmitate, pressus esset, & in illa, ad Imaginem Virginis Mariæ Dolorosæ in Ecclesia, Lublinensi, Monialium Sanctæ Brigittæ, confugisset, ibidem gratiam sanitatis, a gratiosissima Dei Matre invenit & obtinuit. Altero itidem lethali morbo iterum laborabat Vladislaus, iterum ad Virginem Beatissimam, in Imagine Socaloviensi, miraculis celeberrimam oblatus, iterum instantaneæ sanitati restitutus, & a periculo mortis liberatus fuit, quod fide jurata, ibidem in Sokalow recognovit, prout latiùs in libro suo inferius citando fatetur. Postquam verò ejus Patruus scholasticus Cracoviensis, sanctè & religiosè obiisset, & Vladislaus in eandem scholasteriam successisset, mox ad supremum Tribunal Regni, gradum fecit, Judex Deputatus, tum a capitulo Cracoviensi, tum alternis vicibus, Vicepræsidens à Capitulo Metropolitano Gnesnensi, electus, ibi dem merito in Patria, sublimitate inter subsellia enituit. Eruditio quanta in illo apparuerit? legere est ex eruditissimo ejus libro, in folio, polonico Idiomate edito, ac typo impresso, quem non sine admiratione

tione animi, obſervamus & pertractamus; Libro præfixit titulum: *Orbis cum omnibus ſuis partibus:* ut ad totius orbis venerationem, prodeat ſcientiarum, & eruditionis exemplar. Alii partem, ille totum orbem in uno Libro complexus, volumen laudum, annales quotquot orbis habet, omnes implevit & exceſſit. Duodecim annis, (exceptis quatuor,)quos publicæ Regni utilitati impēdit,circa hanc univerſi orbis Hiſtoriam, ſudavit Polonus Atlas, ut ſuis his ſcriptis, univerſæ Europæ exacueret & expoliret ingenia. Qui tantum profecit meritis, proceſſit & ad præmia in Regno. Abbas Commendatarius Paradiſienſis in Anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo, & ante Decanus Metropolitanus Gneſnenſis, & ſupremus Regni Notarius factus, maximos honores& titulos notabit, dum ad ſacratiores Infulas, pro meritis evectus, Senatum Polonum implebit, & inter Infulata conſedebit numina. Et ſanè, jam in Anno milleſimo ſeptingeteſimo quadrageſimo ſexto, tempore comitiorum Generalium Regni Varſaviæ, apud Sereniſſimum Auguſtum III. Poloniarum Regem, meritorum Præmiatorem liberaliſſimum, ab Ordinibus Regni, ab Ablegatis Terrarum & Palatinatuum majoris Poloniæ, Siradiæ, Lenciciæ, Vieluniæ, Cracoviæ, & ab ipſo Senatu promovebatur ſummopere, Annuat Deus, ut eum faſces Senatorii expetant, ſublimes Atavorum comitentur honores, ad quos ſublimis contendit Vladislai virtus.

Deſcriptis jam Lubienſciorum, qui ab Alberto Lubienſki, Caſtellano Siradienſi procedunt, præclariſſimis factis, titulis & honoribus. Nunc ad eoſdem Lubienſcios, qui a Hieronymo Fratre Alberti Caſtellani Siradienſis germano, & primò nato, ortum ſuum ducunt, Calamum meum converto. Hic itaque Vir clariſſimus, Hieronymus Lubienſki, Joannis Lubienſki, quem ſextum Hæredem & Poſſeſſorem villæ utriusque Lubna, hoc in capite ſuperiùs poſuimus, & vitam capite ſecundo attingemus, Filius, Mathiæ Archiepiſcopi Gneſnenſis ex Fratre germano Nepos, ex Anna Balinia procreatus, in juvenili ætate, a Parentibus, tum Domi, tum in ſcholis, ſat egregiè educatus, & ad quosvis heroiciſſimos actus applicatus; mortuis verò brevi decurſu temporis ſuis præſtantiſſimis Parentibus, ipse poſtea maritatus, Sigiſmundum Filium, poſtea Dapiferum, & ſucceſſivè Vexilliferum Siradienſem, procreaſſe narratur. Tandem apud Sigiſmundum III. Regem Poloniarnm, ex rectefactis optimè meritus, ad honores, qui ejus meritis debebantnr aſpirans, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quarto, ceſſit e vita, graviter ejus obitum, tum Fratre Alberto Caſtellano Siradienſi, tum Filio Sigiſmundo, deplorantibus, & ſepulturam ejus in Eccleſia Parochiali Wągczovienſi Ordinis Noſtri, noviter per Fundatores erecta, curantibus,

Sigismundus Lubienſki, ſupra laudati Hieronymi Filius, imprimis

H Dapifer

Dapifer Siradiensis, Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, quo tempore Consorti suæ Mariannæ Trojanowska, de Armis Szeliga, eodem anno vitâ functæ, epitaphium de marmore erexit, Petricoviæ, in Ecclesia Patrum Franciscanorum.. Altera Uxor, secundo voto illius, Cecilia, Patre Hieronymo Opacki, Palatino Derpatensi ad diversas Monarchias a Republica Polona Legato Magno, Matre verò de præcelsa Domo Bavarica, Comitum de Chatim nata, in aula, Ceciliæ Renatæ Reginæ Poloniæ, educata, ex qua hic Sigismundus, jam Vexillifer Siradiensis, Casimirum, postea Episcopum Cracoviensem; Annam Alexandro Dąbscio Ensifero Inovroclaviensi, Nepoti ex Fratre Episcopi Cracoviensis Stanislai Dąbski, in Matrimonium locatam; Helenam, Stanislao Morski, Capitaneo Oycoviensi maritali fædere junctam, & Boguslaum postea Castellanum Sendomiriensem, Filios, & Filias reliquit. Postquam verò in Terra Cracoviensi sive Sendomiriensi, villas & prædia adeptus fuisset, & ex Palatinatu Siradiensi, in illas oras translatus, terram non generosum mutavit animum; quare cum immortalis gloriæ Duce Stephano Czarnecki, Dacicos, Sveticos, Scythicos, Othomanicos, terrebat & dissipabat exercitus, Prussiam, Livoniam, Curlandiam, Pomeraniam, æternis heroicæ dexteritatis monumentis replevit. Non sufficiebat illi magnanimum pectus, hostili objicere ferro, quò graviter vulneratus, & hac ex causa, diu apud Svecos detentus erat, vitamque suam, pro integritate Patriæ profundere, nisi quoque integram propriis impensis legionem, in subsidium & defensionem Patriæ se ipso Duce dedicasset. Sic gloriose peractâ vitâ, sepultus Cracoviæ apud Patres Carmelitas.

Casimirus Łubienski, Patre altè memorato, Sigismundo Vexillifero Siradiensi, & Matre Cecilia, Hieronymi Opacki Palatini Derpatensis Filiâ, procreatus, annos juveniles, in profectu virtutum & literarum transegit, Andrea Trzebicki Episcopo Cracoviensi, Avunculo suo, eundem, tum ad profectum virtutum, tum literarum applicante, & sumptum eidem Scholarum, in Academia Cracoviensi subministrante. Peregrinatus est postea Romam, ubi Theologiæ & Juri Canonico, in Collegio Divi Ignatii operam dedit, ibidemque Doctor in Theologia creatus. Lustrato Orbe, in Patriam rediit Casimirus, ubi apud Andream Trzebicki, Episcopum Cracoviensem, aliquādiu commoratus, ab eodem inter Canonicos Cathedrales Cracovienses, cooptatus est; altiores honores non ambiebat, contentus fuit benemereri eosdem. In Sacris exedris Concionator, virtutes implantabat, suaque eloquentiæ suavitate, omnibus placebat. Hæc & alia de Casimiro, cum audisset, probassetque eximias illius dotes Andreas Olszowski, Archiepiscopus Gnesnensis, Primas Regni Casimiri dignum Infulis caput judicavit; Neque inane fuit Magni Primatis, de Casimiro judicium, nam brevi ad majora vocatur, a Capitulo Cracoviensi,

enſi Judex Deputatus ad Tribunal Regni eligitur, a Stanislao Dąbſki Epiſcopo Cracovienſi, in partem laboris, in ampliſſima Diœceſi Cracovienſi aſſumitur Suffraganeus, Vicarius in Spiritualibus & Officialis Generalis Cracovienſis, creatur. Sed non hic meta, tum meritorum, tum honorum Caſimiri, poſt immaturam mortem Stanislai Dąbſki Epiſcopi Cracovienſis (ſimul enim Salve & vale, Diœceſi Cracovienſi & toti mundo dixit) Adminiſtrator Generalis Epiſcopatûs Cracovienſis, a Capitulo electus, novam occaſionem, mereri optimè de Eccleſia, aſſecutus eſt. Itaque a ſucceſſore Stanislai Dąbſki, Georgio Albrachto Denhoff, Epiſcopo Cracovienſi, in Suffraganeum Cracovienſem & Epiſcopum Heraclienſem, in claro Monte Czeſtochovienſi, die ſexta martii, Anno milleſimo ſeptingenteſimo, primo, conſecratur, & denuò poſt mortem ejuſdem Georgii Albrachti Denhoff, in Adminiſtratorem Generalem Epiſcopatûs Cracovienſis electus, augebat labores, ſudores, curas, & merita, in Eccleſia, in conſecrandis Eccleſiis frequens, in adminiſtrando Sacramento Confirmationis, aſſiduus, in ordinando Clero, infatigabilis. Quid plura? viva hic Mathiæ Archiepiſcopi & Primatis Regni, Avi ſui imago, monſtratur in Caſimiro, magnum Jubilæum Cracoviæ promulgat, paternè invitat, monet ſacras collectas fieri & comportari in alimoniam & re'ectionem confluentium fidelium e longinquo populorum, convertendas. Atque dum efficatiùs erudiunt exempla, quàm præcepta, dedit prior notabilem ſummam de peculio ſuo, ut alii libentiùs largirentur. Igitùr locum Cracoviæ, Lazaret dictum, ægris corporibus locandis, deſtinavit, conſtrui mandavit, lectiſternia & grandia cænacula, ut ad cænam vitæ æternæ, temporalibus ſubſidiis adjuta plebs, anhelaret Verè Pater Pauperum dictus, quos ſæpenumerò viſitabat, ut illos tum paſceret, tum obſequium aliquod faceret, ſecuturæ poſteritati imitabile. Quo amore & charitate proximi factum, ut populum ex majori & minori, Poloniis, ex magno Ducatu Lithvaniæ, Ruſſiæ tum aliis, turmatim confluentem, ampliſſimæ Baſilicæ Urbis Metropolitanæ Cracovienſis, capere non potuerint, ut numeroſiſſimi Confeſſarii aliique Presbyteri, in auſcultanda exomologæſi, in adminiſtranda Sanctiſſima Euchariſtia, vix ſufficerent.

Hæc dum peragit in diuturna viduitate Cathedræ Cracovienſis Caſimirus (octo enim annis, Epiſcopatûs Cracovienſis Adminiſtrator fuit) Cathedræ Chełmenſis Præſul, & Abbas Czervenenſis deſtinatur, invenit Eccleſiam ſuam Cathedralem Craſnoſtavienſem, per incurſiones Moſchoviticas & Calmucorum sacrilega hoſtium ſpoliatam manu, igitur duodecim calices, de argento inauratos, in honorem duodecim Apoſtolorum, ſub quorum honore, hæc Cathedra dedicata eſt, Eccleſiæ illi donavit, ornamenta auxit, ſupellectilis ſacræ ſexaginta ſpecioſos apparatus, reintegravit, organa atque pavi-

mentum Ecclesiæ comparavit, & tanquam sponsam in vestitu deaurato, circumdatam varietate, dotavit & exornavit. Insuper videns inopiam, ejusdem Chełmensis Cathedralis Ecclesiæ, suique Capituli, ut cultus divinus in prædicta magis & magis augeretur Ecclesia, eidem Ecclesiæ & Capitulo, eo fine Ecclesiam Parochialem Rubieszoviensem, cum dote incorporavit, super quo consensum a Rege Augusto secundo, obtinuit. Quibus cum cumulasset beneficiis Chełmensem Cathedram, brevi postea, post diuturnam Cathedræ Cracoviensis vacationem, ad Cracoviensem Episcopatum & Ducatum Severiæ, exigentibus suis meritis, Anno Domini millesimo septingentesimo undecimo promotus, & eandem in Dominica *Lætare*, ingressus est. Hic statim Casimirus, verum se monstravit Ecclesiæ sponsum, Pauperum munificentissimum Patrem, Sanctorum Patronorum Cultorem, Religionis acerrimum defensorem. Ecclesiæ sponsus Casimirus, turrim ab Andrea Trzebicki Episcopo Cracoviensi, Prædecessore suo, penes Cathedram Cracoviensem eductam, firmissimo muro in quadrum posito, ab imo, rupe Vavellana firmatam, tribus affabre factis contignationibus elevatam, æneis laminis tectam, circumauratis duodenis Oloribus, (stemma erat Trzebiccianum,) ornatam, vento valido, Anno millesimo septingentesimo tertio, die vigesima prima Decembris, tempore, quo fuit Administrator Casimirus, una nocte, imo una hora, prostratam, Casimirus Episcopus denuò cum omni ornamento erexit, laminis æneis texit, & contra Cæli injurias munivit, statuas æneas quatuor justæ magnitudines, in sublimi, ad quatuor Cornua turris, Sanctorum Patronorum Regni posuit, pluteos fenestrarum turris, deauravit, globis deauratis, tum cruce magnifica condecoravit, stemmatibus suis, (testes liberalitatis Lubiensciana) circumquaque obduxit, & sua munificentia Reginam turrium effecit, hoc opus Casimirus, majori Divinæ dedicavit Gloriæ, & literas sequentes, suæ in Deum devotionis testes in turri prædicta posuit: *Exaltare super Cælos Deus, & super omnem terram gloria tua.* Sed quia turris prædicta, ruinâ suâ & pondere, laqueare Cathedralis Ecclesiæ concussit, vastumque hiatum aperuit, Casimirus tantam ruinam, brevi tempore, non tantùm reparavit, verùm etiam eandem Sponsam suam, muris novis ampliavit, & in altum sublevavit, per quod Ecclesiæ, (cum parùm tenebrosa fuerit) lucem restituit, & conspicuam undique fecit; candelabra sex argentea, altitudinis unius hominis, & Crucem illis proportionatam, cum suis stemmatibus, ad eandem Ecclesiam fieri curavit, sacram supellectilem, altarium splendorem, Domus DEI decorem auxit, superquo multa centena millia erogavit.

Cum autem non tantùm Ecclesias materiales, verum etiam & templa Dei, quòd estis vos juxta Sanctum Paulum, habuit in votis ædificare, & renovare Casimirus, ideo in Diœcesi, visitationem instituit

tuit, poſtea Synodum Diœceſanam coegit, quam in circulo Beatæ Virginis Mariæ, Cracoviæ, in præſentia Spinolæ protunc Nuntii Apoſtolici in Polonia, & in frequentia Univerſi Diœceſis Cracovienſis Cleri, celebravit, in qua mores Cleri & populi ſuæ Diœceſis, Paſtorali ſolicitudine reformavit, legibus munivit, ſtatutis firmavit. Hujus ſuæ Ampliſſimæ Diœceſis, & ſponſæ ſuæ Cathedræ Cracovienſis honorem ſublimare cupiens, Anno Domini Milleſimo ſeptingenteſimo decimo ſexto, miſit ad Urbem Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum, Michaëlem de Granow Wodzicki, protunc Canonicum Cracovienſem, Sendomirienſem, Scholaſticum Lencicienſem, nunc exigentibus ſuis præclariſſimis meritis, Supremum Vicecancellarium Regni, Decanum Cathedralem Cracovienſem, Abbatem Wąchocenſem, & aliis ſummis quibusvis honoribus dignum, cum ſtatu Diœceſis, ad Pontificem protunc Clementem XI. apud quem curavit obtinere Pallium pro ſe, & Succeſſoribus ſuis Epiſcopis Cracovienſibus, verum ob exortas tunc aliquas difficultates, pro Succeſſoribus obtinere non potuit, pro ſe autem ob innatam ſibi humilitatem, non acceptavit. Miſit protunc ſummo Pontifici, in ſignum ſuæ ſubjectionis, ſupremo Eccleſiæ Capiti, ſex candelabra de ſuccino, obducta auro, cum Cruce pariter ſuccinea auro circumdata, aliaque donaria, quæ cum Pontifex gratiſſime acceptaſſet, iisdem utebatur in Miſſa.

Pater pauperum Caſimirus, erga pauperes & calamitatibus oppreſſos beneficus, non expectabat ſupplices libellos, profundebat opes, præoccupabat vota petentium, & occurrere neceſſitatibus miſerorum ſtudebat. Ab initio ſui Pontificatûs, triginta pauperes quotidie, ex menſa principali alebat; Duodecim Juvenes de ſtatu nobili, in ſcientiis in Academia Cracovienſi, Clerum in ſeminariis tenebat, inſtituebat, & omnem ſufficientiam providebat. Tempore autem peſtis, quando funeſtum mortalitatis malum, totam Poloniam, & Caput Regni Cracoviam, occupavit, quid non faciebat Caſimirus? quærebat modos, applicabat remedia, ad ſalutem populi inſtaurandam; Præter hoc quod munificas in peſte infectos, diſtribuebat eleemoſynas, quod eosdem alebat, & annonam, cum neceſſaria, liberaliſſime ſubminiſtrabat, inſuper Sanctiſſimos imitatus Pontifices, convocata Cleri, plebisque concione, indicta publica Proceſſione & ſupplicatione, ipſe immolabat hoſtiam vociferationis Juſtiſſimo Vindici noxarum, Numini, extendebat ſupplices manus, ad miſericordiſſimam Matrem, Angelorum Reginam, ut ipſius interceſſione, manus exterminatoris Angeli, contineretur, & recens gladius vaginæ imponeretur, Indixit præterea jejunia populo, quæ ipſe prius ſtrictiſſime obſervabat, exiſtimans ſtatuta, nunquam ſanctius ſervari, quam cum ea exemplo fulcit, qui promulgavit. Quid plura de Caſimiro ſcribam? in peſte, fame & bello, erga egenos, orphanos, captivos aucto etiam montis pietatis, ad eorum inopiam ſublevandam ærario, admiranda & æmulanda poſte-

ris, liberalitatis exempla, reliquit. Pauperum nosocomia, nobilium contubernia, Religiosorum Cænobia, Clericorum seminaria, dotavit & auxit.

Sanctorum præcipuus cultor Casimirus, ac imprimis Reginam Sanctorum Mariam, piissimè veneratus, eidem in Claromontana Częstochoviensi Imagine, Coronam, ferventissimo zelo pro solatio universi, a Sede Apostolica impetravit, & insuper votum ex auro purissimo, ponderis trecentorum aureorum Hungaricalium, in perpetuum anathema appendit, subjiciens se & totam Domum suam Lubiensciana sub pedes ejusdem Sanctissimæ Virginis, addita tali inscriptione: *Sit scabellum pedum magnæ Matris Dei, Persona, totaque Domus mea; Annô Domini millesimo septingentesimo decimo octavo.* Processûs Canonisationis Beati Joannis Cantii Commissarius Apostolicus, Promotor liberalissimus; ejus honori in Ecclesia Collegiata, S. Annæ, Cracoviæ, liberali manu, tumulum marmoreum, magnificentissimè erexit, & sacerrimos ejus cineres, Cœlo propius admovit. Sancto Stanislao item devotissimus vixit, cujus & opem implorabat, & eandem in necessitatibus, tam suis quàm proximi, etiam non absque miraculo, expertus est. Tanta autem efficacia orationis, ut hac oratione sua & prece ad Sanctum Stanislaum Episcopum directa, & proximum ab extremo periculo vitæ liberaret, & fidem Catholicam confirmaret, dissidentes à vera Religione, confunderet. Res se ita habet: Anno Domini, millesimo Septingentesimo tertio, durante bello svetico in Polonia, dum pons in Vistula prope oppidum Solec, ædificaretur, ipse Serenissimus Augustus II, Rex Poloniarum, cum aliquibus Proceribus Regni, & cum Generalibus Exercituum Saxoniæ, ad videndum hoc opus descendit, milites Svetici, qui tunc temporis bellum agebant, contra Serenissimum Regem magno impetu conabantur pontem transire, quorum conatum præcludendo, pons in profundo Vistulæ, præscindendus & dirimendus erat; Cum autem præfatus pons, præscinderetur, contigit, ut in eodem ponte, præsens reperiretur quidam Judæus, factor domesticus apud Bliwernicz, Commissarium Generalem Exercituum Saxonicorum, Serenissimi Poloniarum Regis. Præciso autem & dirempto ponte præfatus Judæus & factor, habens secum aliquot centena Florenorum in marsupiis, ex solidis polonis collectorum, in profundum Vistulæ dejectus, submergi cœpit. Illo intersticio temporis, duo Episcopi Poloniæ, noster hic Casimirus, pro eo tempore Episcopus Chelmensis & Theodorus Potocki, Episcopus tunc Varmiensis, referebant Generalibus Saxoniæ, quod per illam Vistulam, & illo tractu, Sanctus Stanislaus, sicco pede, in æstate ducebat suscitatum a mortuis Piotrovinum. Irriserunt dicta Generales Acatholici, & unus eorum inquit: *Si hoc verum, quod ennarratur, esset, tunc vester Stanislaus, hunc Judæum naufragio intereuntem, salvaret*

varet; Zelo Catholicæ fidei commoti Præſules, procidunt in genua, & Sanctum Stanislaum invocant; Res ſtupenda! in facie totius Exercitûs Saxoniæ & Poloniæ, & ipſius Regis, enatavit impetu aquarum procul deportatus, ſubmerſi Judæi pileus, quo viſo iterum diſſidentes riſu rem exceperunt; Non eſt paſſus Deus, Præſules noſtros confundi, invocantes Polonum Thaumaturgum; & dum hi orant, illi autem riſui & cachinnis indulgent, Judæus ille, contra torrentem viſtulæ progreditur, & in quandam inſulam ex oppoſito egreditur, quo viſo Catholici, ſupremo gaudio, & Diſſidentes confuſione repleri incæperunt. Referebat hoc ipſum is idem Judæus poſtea, qualiter dum in ipſo profundo Viſtulæ, ſubmerſus eſſet, Epiſcopus quidam apparuit ei, & circumdedit aciſ hirnea vitrea faciem ejus, ne ſuffocaretur ab aquis, poſtea duxit eundem, per ipſum arenoſum fundum Viſtulæ ad quandam propiorem Inſulam, unde dum ulterius perterritus procederet, ſupponendo quod eſſet arena, in quandam profundiſſimam foſſam, ſpuma aquæ opertam illapſus, iterum aquis ſuffocari cœpit, verùm iterum Sanctus Stanislaus, apparuit & eduxit eundem, in alteram Inſulam, ſimulque monuit, ut quantocyùs, fidem Catholicam ſuſciperet, Nomenque Stanislai acciperet; Quare indilatè, ab ipſo Domino ſuo, licèt Lutherano, ad inſtructionem in fide Catholica, commendatus, in rudimentis Fidei inſtructus, & in Eccleſia Sanctorum Petri & Pauli Cracoviæ, Societatis JESU, baptiſatus eſt.

Religionis acerrimus Defenſor Caſimirus: occuparunt in Metropoli Regni, Urbe Cracovienſi, principales ædes Hæretici, jam Magiſtratum regebant Calviniſtæ, jam virus Hæreſum, per Domos diſſeminabant Lutherani, Præſul zeloſiſſimus, Authoritate Paſtorali, occluſit illis oſtium, & purè Catholicum Cracovienſem Magiſtratum fecit; Protulit in lucem, quidam hæreticus, contra Sanctam Romanam Eccleſiam, ejusque Caput viſibile, plenas mendaciorum & blasphemiarum chartas, non potuit Caſimirus, eruditum continere calamum, quin reſcriberet, incognitus quidem multis Author, eo quod modeſtia ponere nomen vetuit, cognitus tamen Romæ, iisque, qui benè noverunt Præſulis Caſimiri zelum: De illo Clemens XI. hoc oraculum protulit: *Pridem Cracovia talem Epiſcopum habuit, juſtum, pium & Sapientem.* His & aliis à Caſimiro meritis, & virtutibus conſummatis, à me verò pro veritate & gratitudine, (cum me, qui hæc ſcribo, ſacris minoribus initiaverat ordinibus;) deſcriptis & connotatis, ſuorum meritorum coronam recepturus, Annò Domini, milleſimo ſeptingenteſimo decimo nono, Die ſecunda Maji, ætatis ſuæ ſexageſimo ſeptimo, Epiſcopatûs nono, migravit ad Dominum.

Boguslaus Lubienſki, ſupra laudati Caſimiri Frater, Sigismundi Vexilliferi Siradienſis ex Cæcilia Opacka Palatinide Derpatenſi, ultimò natus Filius. Hic juvenilem ætatem, partim Domi, partim in

ſcholis nobiliſſimè excoluit, & poſt mortem Patris, in tutelam natu majoris Fratris Caſimiri acceptus, ab eodem, Annô ætatis ſuæ Decimo ſeptimo, ad exteras nationes miſſus, ibidem ob ſummum ad opera heroica animum in Exercitu Chriſtianiſſimi Galliarum Regis, per duodecim annos verſatus, Bellonæ navavit operam; & poſtquam militaria tyrocinia ibidem poſuiſſet, conceptum in exotico ſolo, & in præcordiis ſuis ſuccenſum Gradivi fervorem, ad patrium ſolum tranſtulit, nempe redux in Patriam, Sereniſſimi ac Potentiſſimi Joannis Tertii Poloniarum Regis obſequiis adhæſit, multisquè occaſionibus, præſertim contra Turcam variis in expeditionibus militando, Bono publico ſervivit, & nullam occaſionem bellicam intermiſit. Finito hoc prælio, iterum in exteras nationes profectus, ubique vocaliſſimam Nominis ſui famam relinquebat. Corinthi, carcerem Sancti Pauli Apoſtoli, devotiſſimè viſitavit, in Malta contrâ Turcam navali prælio decertavit, in Bavaria, militari ſago ornatus, inde in Flandriam miſſus, ſtrenuè fortalitia oppugnavit, & ſic tandem in Patriam, poſt mortem Joannis Tertii, Regis Poloniæ, ſub interregno, dum Patria ſummo indigeret conſilio & adjutorio, glorioſiſſimè remeavit. Interim Electione & coronatione Sereniſſimi Auguſti ſecundi peracta, & ex ſua magnanimitate, & ex variis ſuis dotibus, cordi novi Regis adhæſit; quare relicta in exteris nationibus militari gloria, Patriæ & novo Regi litavit animum, & in prælio cum Svecis ſatis longo, præſens, ſtrenuè & laudabiliter, pro integritate Regis pugnavit, & decertavit. Firmato ſuo throno Auguſtus ſecundus, Rex Poloniarum glorioſiſſimus, laborum & meritorum Boguslai memor, eundem ſummis gratiis, maximis favoribus ac donis ornare cupiebat, quare primò eidem iter ad exteras Nationes, cum Sereniſſimo Regio protunc Principe, nunc in Polonia feliciter regnante Auguſto Tertio, proponebat, verùm Boguslaus annum tunc ætatis quadrageſimum quartum agens, & ad maritale connubium, animum ſuum convertens Generalatum Exercituum Sacræ Regiæ Majeſtatis poſt Brantum obtinuit. Non hic Sacræ Regiæ Majeſtatis Auguſti ſecundi, erga noſtrum Boguslaum, ceſſarunt gratiæ & favores, ſed miniſteria Regni, Senatorias in Regno Curules quas ex æquo meruit, beneficentiſſimus Rex, eidem contulit, dum eundem ad Generalatum Leutnantium, Exercituum Sacræ Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ Polonæ, tum ſucceſſivè, ad ſupremos Subdapiferi Regni faſces, ac tandem ad Caſtellanatûs Sandomirienſis dignitatem, in Regno Senatoriam, tum ad Capitaneatum Caſtrenſem Oswiecimenſem, & alios evexit, ac promovit. Lectiſſimam ille ſibi, Conſortem adlegerat, in connubiale fœdus, Tereſſam de præcelſa Bielinſciorum ſtirpe prognatam Caſimiri Ludovici Bielinſki, ſupremi Mareſchalci Regni, tertio natam Filiam, Franciſci Palatini Culmen-
ſis,

ſis, & Michaelis Supremi Pocillatoris Regni, Sororem. Ex hac celebratiſſima conjuge, Caſimirum, modernum Capitaneum Lelovienſem, Mathiam, Archidiaconum Cathedralem Cracovienſem, Sigismundum Capitaneum Oycovienſem Filios, Mariannam, Thomæ Zamoyſki Ordinato in Matrimonium locatam, mortua penes partum, Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo ſexto, & Iſabellam, lingvarum, plurium nationum peritiſſimam, nunc in Parthenione & in Reſpectibus, Sereniſſimæ Poloniarum Reginæ, Mariæ Joſephæ, commorantem, Filias ſuſcepit. Tandem Boguslaus, meritis in Deum & in Patriam plenus, pietate, juſtitia, animi candore, aliisque virtutibus maturus, cum ſeptuageſimum tertium ætatis annum attigiſſet, Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo octavo, obdormivit in Domino, ſepultus Cracoviæ, in Eccleſia Patrum Carmelitarum diſcalceatorum, cum Epitaphio, quod ejus virtutes & excelſa in Deum & Patriam merita deprædicat.

Jam nunc ad Filios, ſupra laudati Boguslai Lubienſki, deſcendamus: Primus & natu major Caſimirus Lubienſki, immediati Boguslai magni Genitoris ex Bielinſka Filius, Capitaneus Lelovienſis & Jadovnicēſis, qui ducta in comitē vitæ, vidua Szembekowa, Capitanea Breſcenſi, ex præcelſa Domo Rudnicciorum, ex ea modò procreavit filiam. Fœcundet Deus, lectiſſimum hoc par, ulteriori deſiderata prole, ut videant ſuccreſcentem in Poſteris ſuam gloriam. Hic Vir præclariſſimus, majorum ſuorum, virtutum, & qui ſunt earum prœmia honorum Hœres, advenientibus in Anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, Generalibus Regni comitiis, ex Palatinatu Cracovienſi, Legatus electus, munus hoc dexterrime, prudenter & laudabiliter exegit. Procedebant e throno Sereniſſimi Auguſti Tertii, in illum favores & gratiæ, offerebantur præmia & honores, Theſaurarii Terrarum Pruſſiæ, tum quivis tunc tituli, ſuum habere nitebantur Caſimirum.

Alter ſupra ſcripti Boguslai ex Bielinſka Filius, Mathias Joſephus Lubienſki, antea Canonicus, nunc Archidiaconus Cathedralis Cracovienſis, pietate in Deum, modeſtiâ, aliisque virtutibus, quæ in Deceſſoribus ſuis, numerabantur, copioſe ornatus, Ad quantos honores ſit prognatus, vel hinc patet: ſvavis in illo comitas morum, ſubmiſſio non aliena a ſuo præcelſo nomine, grata in ſingulos propenſio, natus ad ſublimia animus: Finita peregrinatione Romana, ex Capitulo Cathedrali Cracovienſi, repetitis vicibus, ad functionem Judicis Deputati, charactere inſignitus, ubi Celſiſſimo Tribunali Regni, publicorum negotiorum Portitor, ad Sereniſſimum Auguſtum III, nobis feliciter regnantem, de medio Celſiſſimi Tribunalis Regni, deſtinatus, ut figuram & præeminentiam, ejuſdem Celſiſſimi Tribunalis, Majeſtati repræſentaret. Inter has quæ in Mathia Joſepho numerantur

virtutes & dotes, ingenii & eruditionis, bonitas, principem locum tenet, quæ licet in aliis publicis ejus factis, gloriosissimè apparuit præcipuè tamen, tum in Sacris Exedris, tum dum Celsissimus Princeps, Adamus Ignatius, in Liptow & Orawa Komorowski, Archiepiscopus Gnesnensis Legatus natus, Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithvaniæ Primas, Primusque Princeps Pallium Archiepiscopale, de manibus Celsissimi Principis, Andreæ Stanislai Kostkæ, Comitis in Zaluski, Episcopi Cracoviensis & Ducis Severiæ die tertia, post suam consecrationem in Archiepiscopatum Gnesnensem, nempe trigesima Octobris, Anno millesimo septingentesimo quadragesimo nono in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi, ritu solennissimo recepisset, benedictionemque suam Primatialem, Universo Clero & populo dedisset, Crucem protunc Primatialem elevante, Reverendissimo Andrea Bajer, Canonico Metropolitano Gnesnensi, Scipionem verò Magnifico Łętowski, subdapifero Cracoviensi, in facundissimo ejusdem Mathiæ sermone ad eundem Celsissimum Primatem, visa est celeberrima. In hoc suo doctissimo sermone, quot verba protulit, tot pretia, quod periodos locutus, tot gemmas ad coronam Primatialem nexuit, dum eundem Celsissimum Primatem Regni, nuper suum & Capituli Cracoviensis Confratrem, nunc verò totius Senatûs & Regni, cleri quoque tam sæcularis quàm Regularis, Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ, Patrem, Protectorem & Primum Principem, publico ore adoravit. Hic literarum amor, adhuc in Mathia Josepho, gloriosè refulget, tum tunc, dum Archidiaconus, officium suum implendo, promovendos ad sacros Ordines examinat difficultates promovet, easdem ad captum audientium & eruditionem ordinandorum, solvit & explicat; tum dum literis digna gerendo, librum ex Italico Idiomate in Patriam lingvam transtulit, eundem in Anno millesimo septingentesimo quinquagesimo impressit & luci publicæ exposuit; Libro titulum polonico idiomate præmisit: *Kawaler Młody, w umieiętności Sprawowania Rzeczypospolitey, y w ustawach przyiacielstwa ćwiczony*; id est: *Eques Juvenis, in scientia gubernandæ Reipublicæ, & in Regulis amicitiæ exercitatus*; ut juventutem polonam, quæ superventura est, in hac scientia institueret, maturos solidaret, senes rectificaret. Et licet titulum libri, ad juventutem Polonam direxit, ex illo tamen, omnis ætas etiam matura & senecta, est evasura doctior, ad gerendos quosvis magistratus prudentior, & in amicitia conservanda diligentior. Ut verò faciliùs, hæc & alia, gloriosè agenda continuaret, Ecclesiæ & Patriæ commodum, Domuique suæ, antecessorum suorum exemplo compararet, Bibliothecam domesticam, in sua Canonicali Residentia prius a se nobilissimè reparata & restaurata, erexit, libros rarissimos pulchrè exterorum more, & sub una forma compactos, conduxit & collegit. Ne tantæ virtutes Mathiæ, absque prœmio incederent, auctus est

est beneficiis a Clementissimo Rege, nempe Præposituris, Sancti Michaëlis in arce Cracoviensi, & in Kazimierz Parochiali; Donet Deus, ut in Ecclesia Mitratus, in senatu Polono purpuratus, utrobique mei ordinis, exemplo majorum suorum, potentissimus Defensor vivat.

Tertius Sigismundus Lubienski, Boguslai ex Bielinska Filius, & suprascriptorum Frater, Capitaneus Oycoviensis, Vestigiis Patrum suorum Clarissimorum eundo, marti & Bellonæ, in Exercitu saxonico Serenissimi Augusti III, Poloniarum Regis Gloriosissimi, navat operam, ubi, in Bohemia & Saxonia, ultimis his in prœliis, variis in expeditionibus, heroica mente, gloriæ & honori studuit. Tandem, propter gloriosos ibidem progressus, & propter Domi illustria opera, Generalis Major Regiminis Serenissimæ Reginæ Poloniæ factus, & postea in Anno millesimo, septingentesimo quinquagesimo, Legatus ex Palatinatu Cracoviensi, ad comitia Generalia extraordinaria Varsaviensia, electus, plurima gloriosè præsefert, quæ ad compendium gloriæ Lubiensciana, & ad terminum capitis hujus sufficiunt. Servent superi, hunc celebratissimum Ternionem Fratrum, scilicet, ut hæc Domus, ordini meo, in suis antecessoribus addicta, cujus amplitudinem, in fundatis Ecclesiis ac Domiciliis promovit, in ulteriùs ordinis mei augmentum, & præcipuè Divinæ gloriæ, & in commodum Patriæ, quàm diutissimè conservetur, *Dii Patrii servate Domum, servate Nepotes.* Reliqua verò Domûs Lubiensciana decora, altero eoque immediato attingam Capite, ut grata & studiosa posteritas, vel ex una Excellentissima Prosapia, habeat, quod imitetur & miretur.

CAPUT SECUNDUM.

De Parentibus Fratribus & Sororibus Mathiæ.

SPatiosus iterum hìc campus, ad perlustranda Lubiensciorum occurrit nomina, dum pientissimi Parentes Mathiæ, eorumque sacratissima proles, Divinis aris consecrata, examinandi veniunt. Quis enim non celebraret virtutem, & coram Deo merita, largamquè Divinam benedictionem, horum Parentum, in tam pulcherrima & amplissima sobole, Divinis altaribus dedita? dignitatibus in Regno Senatoriis, Mitris Episcopalibus, & ipsa Primatiali Dignitate, exornata? & quod principalissimum, sanctitate admiranda sæculis imitanda, illustrata? quis his fructibus, piissimorum Parentum cogni tis, eximia coram Deo illorum merita, laudibus non extolleret? Tantus est Mathiæ Parens, ut si nomen cognoscere velis? Sventoslaus est quod ex polonico latinè sonat: Festum celebra, ac si nihil in vita egisset, præterquam quod sit celebre & solenne. Si Prosapiam? Lubien-

ſki eſt, Pomianeus eſt, ex hac vetuſta ſtirpe natus, Hæres & Poſſeſſor in Lubna, Nepos illius celeberrimi Herois, qui ſub Choynice, contra Crucigeros Hoſtes Eccleſiæ & Patriæ, bellando, periculum ſummum evaſerat. Hic antiquo Polonæ virtutis, pietate & virtutum Coronâ inſignis, Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo, ducta in Conjugem, lectiſſima Virgine, Barbara de Zapolice Zapolſka, Benedicti Zapolſki & Agnetis de Buzenin Roseæ Filia, Mathiæ verò de Buzenin Pſtrokonſki, Epiſcopi Vladislavienſis & Pomeraniæ, Supremi Regni Poloniæ Cancellarii, Sorore Conſobrina glorioſiſſimo genere, opibus probitate & prudentia, excellentiſſima Matrona, rari admodum exempli fœmina, quam adeo natura, ad omnem pietatem modeſtiam, liberalitatemque formavit, educatio perfecit, ut neſciam, an parem ætas noſtra tulerit. Genus ipſi vetuſtiſſimum & nobiliſſimum, pro Inſigni ſoleam, in ſuperficie Cruce inſignitam, in vulgari *Pobog* appellatam, gerens, & ante quadringentos annos, cum Koniecpolſciis, nobiliſsima & antiquiſsima in Regno Familia, idem, a Jacobo de Koniecpole, Caſtellano Rudenſi, (ſic eo tempore, Vielunenſis ditio appellabatur) Authore generis & ſtirpis propagatum. Cum hac igitur nobiliſsima Conſorte, vitam inculpatam agens, ambo pietati & Religioni vacabant; Non ignorabant certe illi, nulla re magis Domos Nobiles fulciri, quàm pietatis & Religionis ſtudio, proinde, quidquid in latiſsima Poſſeſsionum ſuarum ditione tenebant, id imprimis ad DEI cultum, Templorumque ſplendorem, impendere non renuebant. Erat tunc ipſorum Parochiæ ad gravem ruinam proclivis, lignea vetuſtate conſumpta in Wągczow Eccleſia, dotis tam exiguæ, ut Parochus Sacramenta adminiſtrans, ſuſtentari vix poſſet; Parentes Mathiæ, in quibus ſingularis in Deum, ejusque cultum pietas eluceſcebat, illam Eccleſiam, non exiguo reſtaurabant ſumptu, ſua curâ & liberalitate, labentes Sacræ ædis vetuſtos parietes fulciebāt, apparamenta aliaque ornamenta altaris augebant & conſervabant, ipſum Parochum & miniſtros Eccleſiæ, magna ex parte ſuſtentabant, cultum Divinum, in eadem Eccleſia propagabant, aliisque multis beneficiis, illam Eccleſiam ditabant. Quo verò prolixior fuit illorum, in illam Eccleſiam munificentia, hoc erant abundantiores & ipſi, qui de ſuo liberales erant, licet minus curœ, laborisque rei familiari impenderent. Quid plura? crevit cum his pientiſsimis Parentibus, ab utero miſericordia, nulli petenti eleemoſinam negabant, nullum indonatum mittebant, neminem ad ſuum patrocinium confugientem ſpernebant, quotidianam denique manum, ad ſtipem porrigebant. Hinc ſingularem de Cœlo Providentiam, & ampliſsimam benedictionem Divinam nacti, illam inquam, de qua ſcrpitura dicit, *Filii tui ſicut novellæ olivarum, in circuitu menſæ tuæ, ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum*; Septem Filios, ex his quatuor poſtea Sacerdotes, &

ex his

ex his iterum duos, novo, in Regno Poloniæ, exemplo, eodem tempore, Episcopos & Senatores Regni, & tres Filias, cœlo, Ecclesiæ & Patriæ, dulcissimos fructus, felici sidere ediderunt.

Primus & natu Major, Sventoslai & Barbaræ Filius, Joannes Nomine, quem sextum in Lubna hæredem & Possessorem primo capite posuimus, vir acuto ingenio, judicio magno commendatus, juris Patrii, scientissimus, pietatis & Orthodoxæ Religionis cultor eximius, omnibus virtutibus, viro Nobilissimo dignis, præstantissimus & è natura in omnes clementissimus, facetus idem & suæ Domûs privata incommoda, jocis deludere solitus, meruit, ut ab omnibus amaretur, quippe qui re sua contentus, nemini molestus esse voluit. Hic solus, inter omnes fratres suos (omnes alii spirituales facti,) Statum Matrimonialem elegit, & ducta Uxore Anna Balinia, ex ea procreavit Hieronymum, Virum jam a me superius, primo Capite laudatum, & hac prima Uxore vita functa, induxit alteram, Sophiam Wylezyniam, qui ex ea iterum unicum procreavit Filium, Albertum nomine, postea Castellanum Siradiensem & Capitaneum Przedecensem, de quo superiori capite innui. Tandem Joannes, Anno Domini millesimo sexcentesimo decimo septimo, die octava mensis septembris, ætatis suæ Anno quadragesimo septimo, cum aliquandiu ægrotasset, in Wrocirysz, (pagus hic est Nostri Monasterii Miechoviensis,) cum gravi Mathiæ, Fratris sui protunc in Nostro Conventu Miechoviensi, in Novitiatu existentis dolore, in vivis esse desiit, ejus corpus primò in Ecclesia Parochiali Wrociriensi Ordinis Nostri depositum, postea clarissimorum Fratrum voluntate, in Ecclesiam primariam Miechoviensem, Ordinis Nostri, illatum, & ante Aram maximam honorificè sepultũ est, ad cujus monumentum, de more Equestris ordinis, Vexillum lẽmate inscriptum, superiori capite insertum, Mathias postea unà cum suis Fratribus germanis, Fratri optimo posuerunt.

Albertus Secundò natus, Sventoslai & Barbaræ Filius, & suprascripti Joannis Frater, primò Sacræ Regiæ Majestatis Secretarius, & Præpositus Sredensis, qua postea Præpositura resignata, factus est Præpositus Pułtoviensis, Canonicus Gnesnensis & Cracoviensis. Hic contemnendo altiores honores, totum se convertit ad serviendum Deo, unde pauperioribus studiosis, pro scholis impendebat, Parentibûs orbatas virgines, ad monasteria exdotabat, eleemosynas munificas largiebatur & thesaurisabat sibi Cœlum; propter humilitatem Infulas ultro sibi oblatas contempsit, magni Sigismundi III. Poloniarum Regis judicio, dignus Episcopatu haberi maluit, quam esse, nec unquã persvaderi sibi passus est, ut ad strepitus accederet aulicos, tranquillæ vitæ contemplatricis studio deditus, quamvis amæno & festivo esset ingenio, judicio gravi & rebus dextrè gerendis idoneo, castus, pius, Deum timens, & liberalis sacerdos. Tandem ad vitæ terminum properans, cum prius sepelisset, unà cum Fratre suo Mathia, tunc E-

 pisco-

piſcopo Vladislavienſi, manibus ſuis, Stanislaum Epiſcopum Płocenſem Fratrem ſuum, coronam meritorum ſuorum a Domino recepturus, obiit. Pro cujus anima, anniverſaria peragitur dies, in Eccleſiis, Metropolitana Gneſnenſi, & Cathedrali Cracovienſi, a Mathia Noſtro, ejus teſtamenti Executore fundata, die ſexta octobris, quâ diem clauſit ultimum.

Mathias tertiò natus, Sventoslai & Barbaræ Filius, & ſupraſcriptorum Frater, poſtea noſter Canonicus, & ſucceſſivè Archiepiſcopus Gneſnenſis, & Regni Poloniæ Primas Primusque Princeps, Cujus vitam integerrimam, virtutem & Sanctitatem, actaque omnia, ſubſequentibus Capitibus deſcribemus.

Stanislaus quarto natus, Sventoslai & Barbaræ Filius, & ſupraſcriptorum Frater, ſub horum Parentum domeſtica cura, usque ad id tempus ætatis, quod literis capeſſendis idoneum, educatus, iisdemque literis quà Siradiæ quà Caliſſii, in ſcholis Societatis Jesu, prompto ingenio hauſtis, atque in Lencicienſis Caſtri Cancellaria Juris patrii, comparata notitiâ, relictisque ibi diligentiæ monumentis, manu ſua conſcriptis tabulis, toto deinceps tempore, quo Mathias Pſtrokonſki, Epiſcopus Vladislavienſis & Pomeraniæ, Regni Supremus Cancellarius vixit, non alumnus modo ejus domeſticæ diſciplinæ, ſed adjutor laborum fuit; Nam imprimis, cum Regiam Cancellariam regeret Pſtroconius, in aulam Regiam evocavit Stanislaum, ſcribendisque Regio nomine literis, adhibuit, & in Sveciam. (Rege capeſſendi Regni paterni causâ, eo proficiſcente) ſecum duxit. Reverſus in Patriam Stanislaus, iterum gravioris literaturæ causâ primo Gratium in Styriam, deinde in Italiam profectus eſt, ubi, Juris Canonici & Theologiæ, acquiſita ſcientiâ, ad ſuum Pſtroconium, jam tunc Epiſcopum Premislienſem, & Regni Supremum Cancellarium, reverſus, apud illum in omnibus Cancellariæ negotiis, egregiam adhibebat operam. Poſtquam vero Pſtroconius, morte ſublatus eſſet, patuit Stanislao benignitas, Laurentii Gembicki, Pſtroconii in Cancellariatu ſucceſſoris, qui Stanislaum tunc Præpoſitum Gneſnenſem, Judicisque pro eadem Eccleſia munere, in Generali Tribunali Regni functum ad aulam revocavit, gravioribus curis adhibendum: Cæterum Stanislaus, cumulatè operâ & induſtriâ Gembicio probatâ, poſtquam Provinciam luſtrandi Archivi Regni, a Rege nactus, iterum ab aula ſeceſſit, & vitam privatam agere ſtatuit; Igitur ad Petrum Tylicki, Epiſcopum Cracovienſem ſe contulit, a quo in partem laborum Epiſcopalium aſſūptus, curiæ ſuæ Cancellarii titulo, & Archidiaconatu Cracovienſi ornatus eſt. Verùm & ibi, ab aula ſubductum, & in ſervitio Eccleſiæ exiſtentem Stanislaum, honor non petentem invenit, dum Felix Criſcius, Regni Supremus Cancellarius, Regentis Cancellariæ Regiæ munus, ultro ad eum detulit. Quod cum Stanislaus ſuſcipere renuiſſet, Petro

tamen

tamen Tylicki, Episcopo Cracoviensi suadente, illud suscepit, & triennio laudabiliter gessit, usque dum Abbatiæ Tinecensis suscepit regimen. Quo suscepto, Ecclesiam ibidem magnificè erexit, & partem magnam Monasterii exstruxit, munificentiâ suâ sæculis memorandâ. Sed ante omnia induxerat in animum Stanislaus, Religionis Divi Benedicti Sacramento, ibidem se obligare, verùm desideria ejus, ob negotia a Rege Sigismundo ipsi commissa morabantur. Interim cum vacasset Cathedra Episcopalis Luceoriensis, Rex Sigismundus III. pietatem & ingenium Stanislai pensando, eundem, ad Episcopatum Luceoriensem promovendum, Sedi Apostolicæ nominavit, & insuper Episcopali dignitate conspicuum, novo honore auxit, Procancellariatu Regni, ad Stanislaum delato. Quem cum triennio laudabilissimè gessisset, ab aula se subducere, & totam operam, in gerendo Episcopali munere ponere, summopere desiderabat. Voto potiendi, opportunam occasionem dedit Płocensis Cathedra, in Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, vacua, ad quam Stanislaus a Rege promotus, Cathedræ Luceoriensi, & simul Procancellariatûs honori renuntiavit. Ingressus Płocensem Cathedram, Anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, die secunda Maji Stanislaus, ob calamitates, quæ belli Svetici turbine agitatâ Prussiâ, vicinam Płocensem Diæcesim universam premebant, minus prospera prima Episcopatûs initia nactus erat, verùm pace restituta Patriæ, facilior, ratio regendæ Diœcesis successit, quam ille, institutis sæpius Cleri visitationibus, actis Synodis ex præscripto sacrorum Canonum, prudenter & paternè gubernans, exemplari & Sancta vita, plurimos ad bonum concitavit.

Insuper & secundam partem Episcopalis in Polonia Officii, hoc est senatorium munus, exactè implevit Stanislaus; Nihil unquam, gravioris in Regno contigit negotii, cui expediendo, rara in capiendo consilio prudentia, non adhiberetur Stanislai, non fœdera sancita, non pacta cum vicinis firmata, non rescripta edita, non Legati Regiis instructi mandatis, non de publicis negotiis, ad ordines relatum, nisi vel a Rege, vel iis, qui Regiæ Cancellariæ, summa cum potestate præfuerunt appellato prius & consulto Stanislao. Illo etiam quod morte Sigismundi III. antecessit Interregno, nihil, neque in publico consilio deliberatum, neque inter eos agitatum, qui publice delecti, privatis in consessibus, difficiliores materias tractabant, ubi Stanislai consilium, authoritas, vox non intervenerit. Regno tandem, communi ordinum suffragio ad Vladislaum 4. delato, potissimus ab eo electus est, qui non intermorituras laudes Sigismundi III Regis Poloniæ, (cui tunc & Constantiæ Reginæ, sub tempus comitiorum coronationis parentabatur,) funebri prosequeretur oratione, & Legati munus gloriosè obiret ad Urbanum VIII. Pontificem maximum. Tanti autem

fuerat amoris erga Patriam Stanislaus, ut in gravi necessitate Patriæ, notabilem pecuniarum summam dederit Reipublicæ, cujus munificentiam cum gratitudine commemorat Constitutio Regni, Anni millesimi sexcentesimi trigesimi primi. Inter publica Patriæ negotia, neque Sponsæ suæ, Cathedræ Płocensis, universæque Diœcesis, obliviscebatur Stanislaus; Ille insignem illius Basilicæ structuram, tēporum injuria collabentem, suffulsit, & picturis exornavit, ille in ea Collegium novemdecim Sacerdotum & subdiaconorum ad psallendum nocturnis, diurnisque horis, fundavit, & pro reliquo sponsæ suæ ornamento, annuos reditus assignavit; ille diuturnæ de finibus territorii Gorznensis controversiæ, recuperato amplo fundi tractu, finem imposuit, ille beneficentiæ suæ partem, in literas & literatos derivans Collegii Pułtoviensis Societatis Jesu, & Noscoviani penes Academiam Cracoviensem contubernii inopiam, luculentis pecuniarum summis sublevavit, & insuper insignem Bibliothecam Episcopis Płocensibus, ultimo testamento donavit.

Non hic stetisset, ardens Stanislai, cultûs Divini propagandi studium, nisi intercessisset heroicorum ejus operum impedimentum mors, quæ Varsaviæ, comitiorum causâ degentem, langvore corporis, animique correptum, Viscoviæ ad ultimum certamen se præparantem, die decima sexta Aprilis, recitatis pro more Ecclesiasticis precibus matutinis, sequentis diei, momento temporis animi corporisque viribus destitutum, interim Sanctissima JESU & Dei Matris nomina proferentem, assistente sibi confessario & conscientiæ moderatore, sine cruciatu, sensuque doloris sustulit; Anno a suscepto Episcopatu Płocensi, decimo tertio, ætatis sexagesimo septimo, salutis, Millesimo sexcentesimo quadragesimo. Cujus supremis Mathias Noster Archiepiscopus Gnesnensis, tunc Vladislaviensis Episcopus, præcoci fraterni fati ictu, cunctis altiùs confossus, honorē habuit, cineres tumulo, in Cathedrali Płocensi Ecclesia inferendi, & Mausoleum exornandi. Insuper pro anima ipsius, anniversaria quotannis peragenda fundavit, in Ecclesia Metropolitana Gnesnensi, & Cathedrali Cracoviensi, die decima sexta Aprilis absolvenda, super quo congruentem summam pecuniariam, Stanislai testamento legatam, (uti executor Stanislai, Suprema voluntate assignatus) inscripsit. Postquam verò fama mortem hujus dignissimi Præsulis & Senatoris pervulgavit, statim magni Viri, tanti in Ecclesia Præsulis, dolore tacti, eundem eximiis celebrârūt præconiis. Annibal Bentivolus Cardinalis, legationibus a Paulo V. Pontifice maximo, in Galliam & Belgium, tum excellentibus scriptis orbi Christiano notissimus, ipsi in sua Epistola, inscripsit Elogium: *Illum Religio Catholica, propugnatorem acerrimum, eloquentia lumen eximium, Polonicus Senatus prudentiæ normam, suspexit & mirabatur.* Vladislaus IV. Poloniarum Rex, defunctum Præsulem, prudentissimi & gra-

& gravissimi Senatoris titulo, dignatus est. Mathias noster Archiepiscopus Gnesnensis, sæpe ingemiscebat: quantum claritudinis, quantum in hac vergente ætate præsidii, illo orbatus amiserit, Samuel Nakielski, Ordinis Nostri Canonicus, rerum Polonicarum & Ordinis sui scriptor gravissimus, testis vitæ Stanislai oculatus, tale de illo in manuscriptis suis, reliquit testimonium: Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo, ad diem Decimam sextam Aprilis, *quæ fuit feria secunda post Dominicam in Albis, Stanislaus Lubienski, Episcopus Plocensis, omnium hujus temporis eruditissimus, atque ut ita verissimè dicam, Sanctissimus Sacerdos, qui a prima ætate, eloquentiam & liberalia studia exercuit, ut cum diem tractandis negotiis civilibus daret, noctem illis seponeret, vitæ privatus usura, cælestia jure ob vitæ integritatem, adeptus est regna.*

Scripta illius & elaborati styli documenta, prodierunt ex typo in lucem publicam, Antverpiæ in folio, Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio. In prima parte, imo. Brevis narratio profectionis in Sveciam Sigismundi III. Regis Poloniæ. Secundo. De motu Civili in Polonia, libri quatuor. Tertio. Causæ cur Sigismundus Rex, bellum Moschis intulerit. Quarto. De rebus Silesiacis discursus. Quinto. Responsio ad septuaginta rationes, quibus persvadere quidam nitebatur Polonis, ne se motibus Hungaricis immisceant. Sexto Dissertatio de Jure Poloniæ, ad Russicas & Moschoviticas ditiones. Septimo Epistola Zolkievii, de bello Turcico. Octavo Epistolæ de bello Chocimensi ad Pontificē & Imperatorem. Nono. De militari confœderatione, Anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo. Decimo. Responsum ad Protestationem. Undecimo. Amica Parænesis ad Zamoyscium Procancellarium. Duodecimo. Errata Julii, belli laureæ austriacæ Scriptoris. In Secunda Parte. Primo. monita de rectè gerendo Episcopatu. Secundo. Vitæ Episcoporum Plocensium. Tertio. Vita Mathiæ Pstrokonski. Quarto. Epistolarum decades tres. Quinto. Orationes ejusdem Gratulatoriæ & Funebres. Ex quibus hujus viri, præclarissimis monumentis, quisque intelligere potest, quis & quantus Lubienscius fuerat? quam acuto ingenio, quam nobilissima indole, in suis scriptis perennaturus.

Martinus, ultimo natus Sventoslai & Barbaræ Filius, & suprascriptorum Frater, a teneris annis, Sacram Societatis JESU Religionem professus, in qua humaniores primùm docuit literas, postea in eadem Religione, Philosophiæ & Theologiæ Professor emeritus, Collegii Calissiensis Rector, demum Domûs Professæ Cracoviæ, ad Sanctam Barbaram Præpositus, ubique doctrina laudabilis, sed præcipue admirandis Religiosis virtutibus, tum charitate proximi commendabilis. Ex qua factum, ut peste in nostra Parochia Wąrczoviensi, grassante eadem pestilentia infectis, unà cum nostris Canonicis inserviret,

Sacramenta administraret, Religiosa munia ad salutem eorum pertinentia, jam in bona senectute existens obiret, & ibidē, Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo, è vita decederet. Quare ibidem in nostra Ecclesia Wągczoviensi sepultus, beatam corporum resurrectionem expectat. Corpus ejus post mortem, diu incorruptum permansit, de qua incorruptione ejus, adnotarunt Niesiecki, tomo tertio, & Szczaniecki in Concione funebrali, Sophiæ de Łubna Mączynska. Cum essem in majori Polonia Wągczoviæ Anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo octavo, movi discursum, cum Præposito illius loci de Fundatoribus Ecclesiæ, narravit mihi, quod corpus Martini in sepulchro viderit, illudque incorruptum esse asseruit verùm Anno millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, accepi notitiam, ab illius Ecclesiæ Præposito, quòd jam resolutum in pulverem & ossa fuerit.

Neque Filiarum, tantorum Parentum, (nam alii Filii immaturi obierant,) oblivisci fas est, nam & in iis, beneficentiæ Divinæ, erga Domum Łubiensćianam, non vulgaria elucent argumenta. Prima & natu major, fuit Margaritha Starczewscio, armis Jastrzebecio, in Matrimonium locata, cum quo habuit filium Martinum, postea Decanum Płocensem, Canonicum Gnesnensem Cracoviensem, Varsaviensem, Administratorem Abbatiæ Trzemesnensis, Regni Poloniæ supremum Referendarium, Virum erga Virginem Deiparam pietatis eximiæ.

Altera Sophia natu minor, (nam immatura obierat tertia,) Sventoslai & Barbaræ Filia, & suprascriptorum soror, calcato mundi fastu, ac illius vanitate, generosè contempta, in cætum ivit Virginum, instituto Divi Bernardi, Ordinis Cisterciensis, in Ołobocensi Monasterio, viventium, quæ cum submissionem & obedientiam religiosam annis triginta servasset, pietate ac prudentia insignis, meruit omnibus præesse, in Abbatissam votis concordibus electa, quod munus per quinquennium, laudabilissimè gessit. Et vita functæ, Mathias noster, protunc Episcopus Vladislaviensis, Mausoleum de marmore erexit, & immortali dignā recordatione effecit. Anno Domini MDCXLII De illa Nostri Ordinis Canonicus, Samuel Nakielski, Sacræ Theologiæ Doctor, in sua Miechovia, adnotavit sequentia: Cui (id est Ołobocensi monasterio,) *Præfuit cum munere Abbatissæ, Religione & pietate insignis Virgo, Nobilis Sophia Łubienska, de armis Pomian. Quatuor Illustrissimorum Virorum, quos Dominus in sortem hæreditatis suæ secrevit, & amplissimis, in hoc famosissimo Poloniæ Regno honoribus exornavit, Vladislaviensis imprimis, & Płocensis Ecclesiæ Episcoporum, & Alberti natu majoris, Præpositi Pultoviensis, ac Cracoviensis Canonici, tum & Martini, qui à teneris pene annis, sacram Societatis JESU Religionem, professus est, Soror germana, quæ in dicto Monasterio, veluti*

radius solaris, reliquis Sororibus præfulget, & quæ supra vires propriæ conditionis, cum sit fœmina, ita doctè & cautè de Divinis arcanis, loqui solet ut in ea illud experimento comprobatum videamus, quod communiter dici consvevit: mysticam Theologiam potiùs oratione & affectu devotionis, quàm studio & lectione assequuta est.

Porro Parentes, sanctè educata hac prole & instituta, cujus educationis Ecclesia, Patria, dulces experta est fructus, ipsi tandem ad terminum properantes vitæ, coronam suorum recepturi meritorum obierunt placidissimè in Domino. Et Pater quidem Sventoslaus priùs, Anno videlicet millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, quem in Ecclesia Parochiali Wągczoviensi antiqua, pientissimi Filii, satis honorificè sepeliverunt, & postea eadem Ecclesia demolitâ novâq; ex solido muro fundata, & dotata, sepulchrum ejus exornarunt. Mater verò Barbara, ætate longior, derelictis rei familiaris curis, Gnesnam se contulit, ubi penes Ecclesiam Metropolitanam, in qua ejus Filii, Albertus & Mathias Canonicorum Collegio adscripti erant, manendo & in ipsa Ecclesia, continuò per multos annos, tum orationibus & devotionibus, tum aliis piissimis operibus vacando, dierum & Sanctarum virtutum plenissima, cum esset septuaginta annorum, Anno Domini, millesimo sexcentesimo undecimo, pridie Idus Januarii, vitâ functa, humeris Mathiæ Filii, aliorumque Filiorum suorum in sepulchrum illata, & in Ecclesia Metropolitana Gnesnensi, honorificentissimè sepulta est. Ejus in Deum amoris & pietatis, in actis Capituli Metropolitani Gnesnensis, tale inscriptum est testimonium: *Anno Domini, millesimo sexcentesimo undecimo, Die Jovis, decima tertia Januarii, Reverendi Domini, Achatius Grochowski Cantor, Joannes Rebelinski, Leonardus Valconovius Sacræ Theologiæ Doctor Albertus Łubienski, Joannes Grabowski, Mathias Łubienski, Vincentius Oczko Philosophiæ & medicinæ Doctor, Thomas Jossicius Juris utriusque Doctor, Prælatus, & Canonici Almæ Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis, fuerunt capitulariter congregati Reverendi Domini, ad postulationem, Reverendorum Admodum Dominorum, Alberti & Mathiæ Łubienski, Fratrum Germanorum, Canonicorum Gnesnensium, Generosæ olim Łubienska, Parenti Illorum charissimæ Viduæ devotissimæ, quæ per tot annos, ut altera Filia Phanuelis, non excedens è Templo, orationibus & jejuniis, per multos annos, in hac Ecclesia Metropolitana, Deo Omnipotenti devotissimè servivit, ad diem sepulturæ ipsius, in eadem Ecclesia sepeliendæ, pulsandum omnibus campanis & majori, unanimi consensu, nemineque repugnante concesserunt, præsentibusque concedunt.*

Successu verò temporis, postquam Mathias Episcopus Vladislaviensis factus, eidem suæ devotissimæ Matri unà cum suis Fratribus, in Ecclesia Metropolitana Gnesnensi, sub choro, in marmore exsculptum reliquit monumentum: *Barbara de Zapolice, Benedicto Zapolski,*

ſki Pobogio, & Agnete de Buzenin Roſea, *genita, Sventoslao Lubienſki Pomiano, nupta, decem liberorum Parens, vixit Matronali pudicitia, cum marito XXXI. Vidua religiosè & Sanctè XIX. Annis, ætatis LXX, Chriſti nati MDCXI. Anno, pridie Idus Januarii, vitâ functa, hoc monumentum, Mathiæ Vladislavienſis, Stanislai Płocenſis Epiſcoporum, Alberti Præpoſiti Pultovienſis, Canonici Cracovienſis, Regii ſecretarii, Martini* Societatis *JESU Preſbyteri, & Sophiæ Abbatiſsæ Olobocenſis, ſuperſtitum liberorum pietate, ſortita eſt optima Mater.* Sed nondum amori Mathiæ noſtri, erga ſuam chariſſimam matrem, fuit ſatis, verùm Archiepiſcopus factus Gneſnenſis, poſtquam in eadem Ecclesia Metropolitana Gneſnenſi, ſuo corpori humando ſepulchrum, in capella a ſuo cognomine Lubienſciana dicta: erexiſſet, ejuſdem Matris ſuæ cineres Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, proximè ante mortem ſuam, ad idem ſepulchrum, decentiſſimè transtulit, & denuo honorificentiſſime chriſtiano ritu ſepelivit amoremque ſuum, etiam poſt obitum ſuæ matri, teſtatus eſt. Verum ego, enarratis obiter præclariſſimis pientiſſimorum Mathiæ Parentum factis, Fratrumque ipſius, tum totius excellentiſſiæ Proſapiæ, origine, amplitudine, dignitatibus in Regno, miniſteriis & officiis de ſcriptis, de ſolo deinceps Mathia noſtro, interjectis nonnunquam, aliis opportunis rerum in Polonia geſtarum narrationibus, ſequentibus Capitibus, brevi & compendioſa methodo procedam.

CAPUT TERTIUM.

De loco Nativitatis, ipſa Nativitate & educatione Mathiæ.

Regni Poloniæ, qua late patet, quædam pars eſt, quæ Palatinatus Siradienſis dicitur, terra ferax virtutum, fæcunda virorum togâ illuſtrium Parens, Curulibusque ampliſſimorum Senatorum, glorioſa mater, plurimos in dies & annos Cœlo, Reipublicæ ornamento & commodo, hæroas edens, qui cultus Divini amplitudinem, longe lateque, magno ſalutis animarum ferventes Zelo, propagant, qui Regnum Poloniæ, optimis & graviſſimis conſiliis ſtabiliunt, confectis hoſtium turmis, ſumma fortitudine & conſtantia pectoribus, aditum in Patriam præcludunt, pro bono communi Civium, Fratrumque ſuorum chariſſimis pignoribus ac fortunis, vitam, ſalutemque ſuam, toties magno excelſi animi & invicti roboris præconio devovent, imminens diſcrimen, ab inteſtinis Civium ſeditionibus, domeſticisque tumultibus ortum tranquillitati publicæ, reſponſis in Senatu ſalutaribus præſidiisque prudentiæ ac virtutis, feliciſſime reſtituunt. Talia fuerunt raro felicitatis exemplo, ſingularia decora Terræ Siradienſis, tot & tanta columina Reipublicæ, ex hoc Palatinatu

latinatu & Terra Siradiensi, uno eodemque tempore orti, uno eodemque tempore, Senatum Polonum implentes, Joannes Wężyk, serpentini Stemmatis, Archiepiscopus Gnesnensis, Jacobus Zadźik Corabius, Episcopus Culmensis, postea Cracoviensis & Dux Severiæ, antehac Regni Supremus Cancellarius, Boguslaus Okrzycius Radoszewski, Episcopus Luceoriensis, Stanislaus Koniecpolski Pobogius, Dux Generalis Exercituum Regni, Castellanus Cracoviensis, inter quos, hoc ipso tempore, Mathias Łubienski, protunc Episcopus Vladislaviensis, & Stanislaus Łubienski Episcopus Plocensis Pomianei, Fratres germani. Sustentarunt hi fortissimè Patriam, gravissimis calamitatibus fluctuantem, quà consiliorum gravitate, qua magnitudine animi, & militaris fortitudinis gloria & trophæis, quà piè actæ vitæ constantiá, ut non immerito quidam eruditus Author, Trabeatam inscripserit Siradiam, & celebritatem illius, heroico metro, posteritati commendaverit.

In hac igitur terra & Palatinatu, tantorum Virorum fæcunda, in Villa Łubna, satis in amæna planicie sita, duobus miliaribus. ipsa Siradia, æquè ac Warta Civitatibus, distante, Parentum suorum hæreditaria, Archidiæcesis Gnesnensis, Parochiæ Wągczoviensis, ex pientissimis supra laudatis Parentibus, Sventoslao & Barbara Łubiensciis natus est Mathias noster, Anno Domini, millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, die secunda mensis Fæbruarii, quæ fuit dies Sabbathi, Gloriosissimæ Virgini Deiparæ, Filium æterno Patri, in templo Hierosolymitano præsentanti sacra, acsi hic infans & Neonatus Filius, ab utero materno, in Ministerium Ecclesiæ Hierosolymitanæ, a DEO vocaretur, futurus Canonicus Hierosolymitanus fieret, in Ecclesia Miechoviensi, Filia Ecclesiæ Hierosolymitanæ, præsentaretur Domino, ibique Sacram Professionem faceret, & Ecclesiæ Hierosolymitanæ inscriberetur. Quare postea memor tanti mysterii Mathias, dum esset Archiepiscopus Gnesnensis, in Ecclesia Metropolitana Gnesnensi, Capellam sub titulo Purificationis Beatissimæ Mariæ Virginis, fundavit, exornavit & dotavit, idemque Mysterium, Præsentationis Sanctissimæ Virginis cum Jesu Filio, in templo Hierosolymitano Symeoni, nobilissimis picturis, in altari exprimi Curavit, seu ut advertit, præcipuum hac ætate Łubiensciorum Familiæ decus, Vladislaus Łubienski, Decanus Metropolitanus Gnesnensis, Scholasticus Cathedralis Cracoviensis, Regni Supremus Notarius, in suo volumine polonico, Titul: *Orbis cum omnibus suis partibus*; Familiam illius temporis Łubiensciorum, & se neonatum Filium, præsentationem Sanctissimæ Virginis, cum JEsu Filio, Simeoni, in templo Hierosolymitano repræsentantem, elegantissimis picturis, scito artificio, depingi curavit, & quolibet die sabbathi, per totum Annum, in memoriam natalis sui, sacrum missæ sacrificium, de Purificatione Beatissimæ Virginis

ginis Mariæ, facta super hoc fundatione, celebrari mandavit. Hac igitur ipsâ die Sanctissimæ Virgini Deiparæ sacra, in Ecclesia propria antiqua Parochiali Wągczoviensi, præsentatur Domino a patrinis, natus infans, Deo & Sacratissimæ Mariæ Virgini, a Piis suis Parentibus, per ardentissimas preces offertur, & ibidem sacro fonte abluitur.

A Sacro fonte, tulit Nomen Mathias, non sorte & fortuna sed Divina dispositione, quæ Sventoslaum Patrem, in eam impulit mentem, ut illud Nomen Mathias, puero imponeret, quod ejus & mores futuros deceret, & magnitudini Virtutis atque laudis ipsius, maxime conveniret. Hoc enim si ethymon ipsius spectes significat Donum Dei & parvum Dei, Mathias ergo idem erit, quod Donū Dei quod parvus Dei; Quapropter dum Sventoslaus, Supremi Numinis afflatu, nomen puero: Mathias, imposuit, non potuit magis augustum, magis illustre, invenire nomen, quod ei splendore, majestate & decore amplissimo æquiparari possit. Mathias, donum Dei designat, qui innumeris donis non modò Urbes tantùm, non modò Provinciam aliquam, sed universam ornavit Poloniam. Mathias parvus Dei, (hoc est in sua opinione, suique ipsius cognitione, coram Deo parvus & humilis,) sed magnum Familiæ Lubienscianæ decus, grande Ordinis Sancti Sepulchri & Ecclesiæ Polonæ ornamentum, maximum Orbis Poloni lumen, ob invictam animi fortitudinem, quâ nulli adversitati cessit, ob perpetuam erga cælestia charitatem, qua se in omnia virtutum lumina efformabat. Crevit postea, non magis corpore, quàm virtutibus, modestia, pudicitia, devotione, ad omne genus doctrinæ & pietatis pronus puer, christianæ pietatis & literarum rudimentis imbutus, deducentibus ipsum eò, & viam rectæ institutionis, ipsi monstrantibus, optimis Parentibus suis, ita, ut nihil ipsi defuerit eorum, quæ ad imbuendam recta institutione pietatem, nobilem indolem, pertinere posse videbantur. Hinc ab ipsâ tenerrima ætate, Deum ante ocellos habere, eundem obnixè pura conscientia obsecrare, lachrimas in oratione fundere, Divinam salutare Matrem, prostrato corpore, dies & noctes, pro suo in Mundum salutari ingressu, proque salute Parentum & aliorum compellare, jam Ecclesiarum, non tantum limina, sed etiam mysteria frequentare, DEI verbum ex Sacerdotis ore, intento corde percipere, & si quid Legi Divinæ contrarium videret, a quopiam fieri, ad sacerdotis vocem omnia deferre, *Sacerdos sic jussit, sic è suggestu institutum*, & aliis modis, ad sanctitatis studium pertrahere, jam misericordiæ & pietatis viscera, etiam tunc aperire, & si quem inopem aut mendicum, Paternis foribus adstantem cerneret, ad Parentes accurrere, & vel ab eis impetrata, vel suis usibus concessa, distribuere Mathias puer solebat.

Dum verò sibi aliqua rudimenta Grammatices, addiscenda, Domi præcepta haberet, ut ea faciliùs & sine distractione, mandaret memoriæ,

moriæ, ad quandam annoſam quercum, prope Curiam Parentum ſuorum, antiquitate excavatam, ſolebat ſecedere, ibidemque in cavitate, eousque latere, donec plene ea, quæ ſibi præſcripta haberet, addiſceret Obſervabat Sventoslaus Pater, tantam in puero gravitatem, ſtupebat Mater, de rebus diſſerentem Divinis, de profectu doctrinæ, & multa præclara, de Mathia ſuo, pollicebantur ſibi. Quare de Domo Parentum, rudimentis Grammaticæ capeſſendis, Siradiam, tum Caliſſiũ ad nobiliſſimas Scholas, Soc: Jesu mittitur, ubi intra ſtudiorũ curriculũ, non eum levis deliciarum occupatio, non blandæ voluptatum illecebræ, non demum ſenſuum oblectamenta varia, quibus potiſſimùm illa ætas libera, facile capi poteſt ſuis lenociniis delinire, ac a cæpto ſtudio retrahere, animumq; tenacem invertere valuerunt. Cum autem optimas literarum diſciplinas, in ſcholis minoribus, ætati teneræ ſervientibus, promptô animô & capacitate didiciſſet, eundem Albertus Zaiączkowſki, Abbas Wągrovecenſis, apud Parentes, multis obtinuit precibus, ut ſibi alumnum permitterent, ſuis impenſis & cura, in ſpem amplioris fortunæ educandum. Hunc igitur Poſnaniam, ad ſcholas Societatis Jesu recenter protunc per Adamum Konarſki, Epiſcopum Poſnanienſem fundatas, miſit, & ſumptum ſtudiis ſuperioribus, liberaliter ſuppeditavit, ubi ad futuram virtutem, dignitatem & felicitatem, iterum pie altus & educatus eſt.

Mirum interim & ſingulare, circa Mathiam noſtrum, & ſuos fratres, effulſit Divinæ Majeſtatis Patrocinium, & futuram ejus magnitudinem, non dubiis prœſagiis, Deus ſignificare voluit, quorum illud memoria dignum; dum ſcholœ in menſe Auguſto vacarent, Mathias ab Abbate Wągrovecenſi, ex ſcholis ad Parentes remiſſus, aliique Fratres ſui, ex aliis ſcholis, Domum ad Parentes reverſi; Antequam autem perveniſſent Domum, pridie adventûs ipſorum, Mater eosdem in ſomnis videt, Mathiam videlicet in Pontificali apparatu, ornatum pretioſa Infula, Stanislaum item, ſed in humiliori Mitra, Albertum cernit in Canonicali almucio, Martinum in habitu Societatis JEsu Joannem in Equeſtri toga conſpexit. Quod cum admirata, enarraſſet & revelaſſet Patri, ambo potius myſterium, quàm ſomnium eſſe reputarunt. Quare ſumpta hinc occaſione Mater, præſago *Spiritu*, in poſterum Mathiam Archiepiſcopum, Stanislaum Epiſcopum, Albertum Canonicum, Martinum Rectorem Societatis JEsu vocitabat & loco proprii nominis, hisſce titulis vocabat. Non vanum fuit ſomnium, neque in irritum ceſſit, Matris de Filiis prædictio & eorundem nominatio, nam Mathias Archiepiſcopus Gneſnenſis, Stanislaus Epiſcopus Płocenſis, Albertus Canonicus Gneſnenſis & Cracovienſis, Martinus Rector Collegii Caliſſienſis Societatis JEsu, factus, Joannes in Equeſtri Ordine remanſit.

Finitis ſumptu Abbatis Wągrovecenſis, usquè ad Rhetoricam, Po-

ſnanienſibus ſcholis, Societatis JEsu, Mathias noſter, ad Regni & literarum Metropolim, Academiam Cracovienſem ſe contulit, ubi ſub Daniele Sigonio, Academiæ Cracovienſis, & magnorum virorum, non minus pio, quàm erudito Profeſſore, poſtea Canonico Cathedrali Cracovienſi, unà cum Fratre ſuo Stanislao, non ſolùm in ſcientiis ſpeculativis, quibus operam dabat, verum etiam in majori pietate, & erga Virginem Beatiſſimam, devotione profecit. Hic enim Sigonius, magno pietatis affectu, caſtiſſimam Deiparam Virginem coluit, quod certiſſimis Argumentis & ſignis comprobatum, nam illum hujus Sanctiſſimæ Virginis præſidio, & ſtatum vitæ elegiſſe, & cuncta quæcunque in ſtatione Academica egiſſet, feliciter perfeciſſe; illum infra octavas Viſitationis Sanctiſſimæ Virginis, in Collegium majus vocatum fuiſſe, illum infra octavas ejuſdem ſolemnitatis, Viſitationis Sanctiſſimæ Virginis, honorem inter Canonicos Cathedrales Cracovienſes recepiſſe, ac inſuper beneficia quæcunque nobiliſſima agnoviſſe. ad extremùm illum, infra octavas ejuſdem Viſitationis Beatiſſimæ Mariæ, de hac vita, ad immortalem commigraſſe. Alter Mathiæ noſtri, in Academia Cracovienſi Profeſſor, de juris prudentia optimè meritus, Thomas Euſtachius a Piątek Swinarſki, ſub quo Mathias, ſtrenuam navavit operam, & Juri utrique, Canonico & Civili ſe totiſſimum conſecravit.

Sub his & & talibus Profeſſoribus informatus, optimè per naturam inſtitutus, clariſſimè artibus ingenuis imbutus, ſedulitate ſua & Præceptorum perpolitus, ac tandem, in profundioribus apprime verſatus, miros progreſſus, tam in pietate erga Virginem Beatiſſimam, quàm in Scientiis, peragebat Mathias; virutes Mathiœ, ſingulari complectemur capite, in ſcientiis autem, tantùm profecit, ut primus diſputaret, primus difficultates ſolveret, illas facile explicaret, reſponſa daret primus, & omnibus condiſcipulis ſuis prœiret. Protunc & ſub iiſdem Profeſſoribus Joannes Wężyk, poſtea Epiſcopus Premislienſis, Poſnanienſis, tandem Archiepiſcopus Gneſnenſis, vir ſpei & exſpectationis, dignitatis Cardinalitiœ, ſi fata permiſiſſent, ab Urbano VIII. ſibi promiſſœ, tum Jacobus Zadzik, poſtea Epiſcopus Cracovienſis ſcientiis ſpeculativis & juris prudentiœ operam dabant, cum illis ſtudiis, ſcholaſticisque exercitationibus, æmula virtute, decertabat Mathias, & inde ortam cum iiſdem, arctiorem familiaritatem & amicitiam, maturior œtate, conſervabat. Memor fuit pariter hujus ſuœ Eruditionis, in academia Cracovienſi, in ulteriori œtate & gradu, igitur amore ſingulari, Academiam Cracovienſem, & ſtudia ejus complectebatur, & nullam unquam intermiſit occaſionem, immunitates ejus vindicandi. Completo autem ſcientiarum ſpeculativarum & Jurisprudentiœ curſu, prima qua per ſacros Canones licuit œtate, ſacris initiatus, de cujus clericatu, tum Sacerdotio ſequenti procedemus capite.

CAPUT QUARTUM

CAPUT QUARTUM.

De ulteriori educatione & Statu Clericali Mathiæ, tum functionibus in Aula & Republica.

POstquam Mathias noster, primos tenerioris ævi annos, & totam florescentem ætatem, in capessendis honestissimis disciplinis, doctrina & pietate excoluisset, mox ad Mathiam Pstrokonski, avûculum & consangvineum suum, qui propter eximiam pietatem, morum integritatem, atque cælestium amorem, celeberrimus habebatur, & qui tunc in Aula Sigismundi III. Regis, supremo Referendarii Regni munere, ac postea Episcopatu Premisliensi, insignitus fuit, sese contulit, ut eundem Juvenem, in suam ulteriorem disciplinam reciperet, atque indita sibi, præclarissimarum illarum dotum semina coleret & efformaret. Quare Pstrokonius, Mathiam nostrum, tanquam sangvine junctum, suumque Nepotem, ac per se satis commendabilem, in præcipuo loco gratiæ, apud se reposuit, & eundem Joanni Tarnowski, pro tunc supremo Vicecancellario Regni, recommendavit, ad obsequia Ecclesiæ & Reipublicæ peragenda, applicavit, & ad notitiam tum Reipublicæ, tum ipsius Regis, Sigismundi III deduxit. Cum autem vidisset Pstrokonius, Mathiam nostrum, in negotiis Ecclesiæ & Reipublicæ, sub sua & Tarnovii disciplina, per aliquot Annos satis versatum, virtutesque illius conspexisset, ad fastigium earundem virtutum, sapientiæ illi splendorem addere, & jam pro ætatis ejus captu, sufficienter doctrina excultum, rerum maximarum scientiâ, cumulare cogitavit. Italiam igitur, studiorum altricem illi proponit, hanc ut accedat, jubet, sumptusque pro Familiæ & statûs conditione, in eam rem subministrat. Paret ille & abit, doctissimos illos Theologos, & Jurisperitos convenit, brevi decurso spatio, tantos progressus, in scientiis altissimis facit, ut abstrusas omnes sive Juris Canonici, sive Theologiæ difficultates, animo pervestigaret. Cum itaque Italiam, atque etiam Germaniam, lustrasset Mathias noster, atque ibidem tantùm fuisset versatus, quantùm ad hauriendas scientias fuit satis, a Pstrokonio revocatur in Patriam, qui cum illum in scientiarum disciplinis eruditum, in Christi disciplina, multa cum laude versatum, lectissima quæque, ex Italiæ cultura, evexisse comperisset, eundem sacris ordinibus initiatum, in Canonicorum numerum, Ecclesiæ Cathedralis Posnaniensis, recommendavit, quô venerando illi Collegio vivum exemplar, totius integritatis præmonstraret.

Hoc tempore, nempe Anno millesimo sexcentesimo, Pstrokonius ad Episcopatum Premisliensem, a Rege fuerat evectus, & cum ingressurus esset suam Cathedram, Mathiam secum duxerat. Annus

tunc erat, Millesimus sexcentesimus primus, Mathiæ verò nostri, ætatis vigesimus nonus, Cum igitur primùm ad Diæcesim accessissent, & Brzozovium, quod oppidum est Ditionis, & Jurisdictionis Episcopi Premisliensis, venissent, ibidem Pstrokonius, ob sævientem tunc pestem Præmisliæ, unius mensis otium nactus ad piam laboris, qui impendebat, meditationem, & ad informationem ulterioremque institutionem Mathiæ, conversus est. Erat tunc & Frater Mathiæ Stanislaus, igitur utroque ad se vocato, ambobus cum adhuc nullæ spes essent, futuram dignitatem in Regno, Episcopalem & Senatoriam prædixit. Verba ipsa pono Pstrokonii, ad Mathiam & Fratrem ejus: *Non ego vos arcta sangvinis necessitudine mihi conjunctos, idcirco legi curarumque mearum, socios esse volui, ut tantùm vestrâ uterer operâ, longè aliud est, quod prospicio & auguror, neque ut probè nôstis, mea fallunt auguria; auguror inquam vos, posteaquam ad maturiorem ætatem perveneritis, utrumque, dignitatem Episcopalem & Senatoriam, adepturum.*

Hæc cùm de Mathia & Fratre ejus prophetâsset, sua salutaria ad illos prosequebatur monita, ac imprimis, amorem, quem intus erga utrumque gerebat, celare non potuit, sed illum per verba significavit, quòd eodem amore, utriusque illorum, ductus esset, ut ea, quæ de rectè gerendo Episcopatu, non modò lectione multorum, sacrarum literarum & Canonicarum Sanctionum, Interpretum, meditata habuit, verùm etiam, quæ ab aliis summis quidem viris, cum quibus ab ineunte ætate vixit Pstrokonius. usu didicit, instituta ad Mathiam & Fratrem ejus oratione, executus est. Hinc ulterius insinuavit, quòd Clerici prius debent erudiri, in contuberniis Episcoporum, postea ad Aulam evocandi, & ad Episcopatum promovendi, & *ideo ego*, (dicit Pstrokonius ad Mathiam & Fratrem) *utrumque vestrum ab Aula abduxi, quod ea adhuc essetis ætate, quæ accuratiùs formanda, instituendaque est, sed spondeo & polliceor, olim uberrimos fructus, ex hac mea conversatione vos percepturos, facilioremque ad omnia aditum habituros.*

Taliter sibi comparata attentione apud Mathiam, docuit, Sanctissimos quosque Viros, delatum Episcopalem honorem, aspernatos fuisse & declinâsse;quid sit Nominis Episcopalis notatio quod in Episcopatu plurimùm solicitudinis & periculi, contra hostes Ecclesiæ, Luteranos,Calvinistas Arrianos, quorum virus, altas in Polonia illo tempore egit radices,contra Pseudopoliticos, Ecclesiæ hostes acerrimos, quales Episcopos iis opponi opporteat;quâ prùdentia & remediis,morbꝰ animæ in subditis,curari debeat,indicavit,& hoc ipsum exemplis illustravit. Insuper docebat Mathiam & Fratrem ejus Stanislaum, de vocatione ad Episcopatum, quòd non vocantur à DEO, qui ambitionis vel dignitatum, vel, fortunarum, studiò & desiderio impulsi, ad Episcopatum aspirant, vel illum affectant; eos autem qui universalis Ecclesiæ utilita-

utilitatem, proximorumque commodum, scopum sibi proponunt, certos esse debere, se motu cælitus immisso, agi & urgeri, & hæc dicta sua, exemplis Simonis Magi, Udonis, Zavissæ Episcopi Cracoviensis, tum Petri Gamrati & aliorum illustrabat. Narrabat de functionibus Episcopalibus, quæ Episcopo, posteaquam Episcopatum adierit, incumbunt; recensebat virtutes, quibus Pastorem animarum, exornatum esse oporteat, referebat, quòd perfectionis statum profitetur Episcopus, & quòd Episcopos non eis tantùm virtutibus, quæ præceptis Divinis comprehensæ sunt, sed longè excellentioribus & heroicis operibus, præditos esse oportet, quibus ornati, perpetuam habeant cum sponso cælesti unionem. Instruebat simul, Episcopum debere subditis suis perfectiorem esse, ea perfectione, qua Magister discipulos, qua Pastor oves superat, & hujus ipsius perfectionis, adduxit typum, in lege antiqua, in vestitu summi, Israelitici populi, Sacerdotis; sed præcipuè Pstrokonius, Exemplar monstravit Mathiæ nostro, in mōnte Calvariæ, exēplar inquā perfectionis, Jesum Pontificē, in ara Crucis, sacris operātē, & ut ad illud, in perfectione se cōformaret, obligabat. Monebat item, quàm grave sit onus & periculosum Episcopale, monebat quàm cautè nimium, & cum timore ac tremore, ad hoc onus Episcopale acceptandum unusquisque accedere deberet, monebat de non ditandis ab Episcopo Consangvineis, improsperas nec diuturnas esse ejusmodi opes, quæ ex Fructibus, usibus pauperum dicatis, subtractæ ad evehendas & illustrandas Episcoporum Familias, conferuntur, asserens & exemplis ostendens. De statu etiam Senatorio, Episcopis in Regno Poloniæ annexo, multa salutaria locutus, tum de plurimis aliis, dignitatem Episcopalem & Senatoriam concernentibus, monebat, docebat & obligabat. Cùm autem Pstrokonius, dicendo fessus esset, jubebat unum eorum Stanislaum, capere librum Divi Joannis Chrysostomi, & ex eo legere, ad instructionem Sanctitatis Episcopàlis, & de excellentia sacrificii Episcopalis.

Ad eum modum Pstrokonius Episcopus, Mathiam erudiebat. Nihil ille præterea præclari, sive Domi, sive foris, sive in Ecclesia, sive in Palatio moliebatur, cujus rei Mathiam non faceret conscium; Non eum à consortio, non à mensa, non à cubiculo, non ab orationis secreto loco, separabat, omnia arcana cordis sui, quin & viscera ipsa, patefaciebat illi. Cupiebat Pstrokonius, ut Mathias Divinæ Sapientiæ studio, se addiceret, libros ille ante conspectum ejus volvebat, assiduèque meditabatur, & quæ ex lectione, sive præsenti, sive præterlapsa didicerat, memoriâ repetebat, & Mathiam suò exemplò ad pulcherrimam scientiam pertrahebat. Desiderabat Pstrokonius, ut Mathias majorem temporis, à Curis vacui, partem, in Orationibus ad Deum ejaculatoriis insumeret; Mathias in Oratione ardentissima, sive privata, sive publica, animo demisso, & vehementissimo fervore, persiste-

O2 bat.

bat. Charitatis viſcera, Mathiæ ingenerare exoptabat, ubi inſigne quoddam Chriſtianæ pietatis opus, faciendum erat, Mathiam ducebat, ut optimæ indolis juvenis ignem dilectionis, ex igne Avunculi poſſet concipere. Sequebatur non ſegniter Mathias, Præſulem ante euntem, quidquid ab eo fieri conſpiciebat, id totum efficere, quin Pontifici præire potiùs adnitebatur. Unius aut alterius forsan horæ ſpatiô, perſtabat Pſtrokonius in oratione; Mathias, Noctes inſomnes, in contemplatione altiſſima, ſupernorum bonorum & in Conſortio Divino tranſigebat. Pſtrokonius jejuniô Crebi ô, Mathias eodem frequentior, & flagris duriſſimis corpus perdomabat. Ille in conſolandis aut juvandis afflictis, partem diei conſumebat, hic totos dies, cauſis pauperum cognoſcendis, miſeris ſublevandis, & commoditatibus proximorum conſecrabat. Bis vel ter in hebdomada Pſtrokonius, pauperes reficiebat; Mathias ſingulis diebûs, manus apertas habebat, & totum illud, quod vel à Parentibus, vel ab Avunculo, liberaliſſimè collatum ſibi fuerat, hilari animô diſtribuebat. Uno atque altero die, Sacer Antiſtes, Divina faciebat; Mathiæ nihil ſvavius, nihil optabilius erat, quàm ſingulis diebûs, ſingula ſacra, vel ſumma animi attentione audire, cùm nondum ſacris initiatus fuerat vel cum primùm in Sacerdotum ſortem, adlectus, eſſet, ſumma devotione offerre, & uberrimis lachrimis, tremenda altaria abluere. Admiratione & ſtupore dignum eſt, quòd ultra, quàm ſuô exemplô impellebat eum Pſtrokonius, Mathias, noſter proceſſit.

Talem inſtitutionem, & educationem in ſtatu Clericali exiſtens, habuit Mathias noſter, in domo Pſtrokonii Epiſcopi, quæ alias ſchola virtutis, & juvenum Clericorum fuit, ubi erudiebantur, inſtruebãtur, formabantur ad omnem pietatem, non ſegni otiô, non turpi deſidiâ, tranſigebantur bonæ horæ, imò Domus piiſſimi antiſtitis, ſeminarium Epiſcoporum fuiſſe viſa; cum ipſius educatione, profecerũt tanti Antiſtites, & Senatores Regni, Joannes Wężyk Archiepiſcopus Gneſnenſis, Jacobus Zadźik Epiſcopus Cracovienſis, Mathias noſter & Stanislaus Łubienſki; quorum Mathias poſtea Archiepiſcopali Gneſnenſi præſidebat Cathedræ, Stanislaus autem, Płocenſem, magna cũ laude Diœceſim gubernavit.

Tantum autem hac converſatione, diſciplina, atque monitis Pſtrokonii, Avunculi ſui, Mathias noſter profecerat, quæ deinde Stanislaus, Epiſcopus protunc Luceorienſis, erga Pſtrokonium gratitudinis, non leve monumentum monſtravit, & ad Mathiam noſtrum, protunc Epiſcopum Chełmenſem, direxit, ut dum ad eorum præſcriptũ vitam moresque componeret, in dies majorem Pſtrokonii benevolentiam experiretur, & poſtmodum ad ampliſſimas in Eccleſia, & Republica Polona, capeſſendas dignitates, ultro ipſi, non humano, ſed Divino ſuffragante auxilio, aditus pateret. Ac imprimis cum pietatem,

tatem, aliasque virtutes ſpiraret Mathias noſter, à Pſtrokonio & amabatur, & ornabatur, & promovebatur; Pſtrokonius Mathiæ noſtri Dux: Pſtrokonius Magiſter & totum; Mathias verò Pſtrokonii in Domeſtica diſciplina alumnus, curarum ſocius, & laborum adjutor.

Interim cum Pſtrokonius, tantam Mathiæ noſtrò, inſtitutionem dediſſet, profectumque non modicum, ſuæ inſtitutionis vidiſſet, eundem ad ſacrum Preſbyteratûs ordinem, promovere intendit, verùm ex innata ſibi modeſtia, & humilitate recuſat; jam annum ætatis trigeſimum Mathiæ noſtro remonſtrat, quare tamdiu vocationi Divinæ reſiſtat, interrogat; & cum non proſunt ſvaviora verba, efficaciora applicat, arguit obſecrat. & authoritate Epiſcopali & Avunculi imperat. In lachrymas reſolutus Mathias, eâ humilitate & modeſtia, quæ par Avunculo & Pontifici erat, Sacerdotum Dignitatem, qua apud Malachiam: vocantur Angeli, apud Lucam: Vicarii Chriſti, apud Mathæum: Sal terræ, lux mundi, & lucernæ ſuper candelabrum poſitæ; apud Joannem: Paſtores & Diſpenſatores myſteriorum DEI; apud Apoſtolum: mediatores inter Deum & hominem, clavigeri Cæli, cubicularii Chriſti, Prncipes Populi, Primitiæ Domini, Primogeniti Iſrael, explicat; quanto honore affecti fuerint, tum in veteri, tum in novo teſtamento, imò etiam apud Gentiles ipſos, tum quod nullus ſibi, hunc honorem aſſumere poteſt, niſi vocatus ſit a Deo, tanquam Aaron, exponit; Sanctiſſimos quoque Viros, ob ſummam Sacerdotii dignitatem, refugiſſe illud; multos item ſanctos, & ætate provectos, monaſteria deſeruiſſe, ne ad ſacerdotium proveherentur, inducit; ſuam quoque pariter vilitatem, abjectionem, & tantam ſuæ animæ puritatem, non eſſe, remonſtrat & fatetur; convictus tamen mandatis Pſtrokonii, poſt multas lachrymas, conſentit & ab illo ordinari petit. Annus is erat Milleſimus ſexcenteſimus ſecundus, Mathiæ verò ætatis trigeſimus, quô ſacris ordinibûs majoribûs, condecoratus, Divino altari dedicatus, & Canonicatu Metropolitano Gneſnenſi proviſus eſt.

Hic admirari liceat bonitatem Divinam, in Mathiam noſtrum effuſam, quæ vocavit eundem, pene a materno Utero, & ſegregavit in ſortem hæreditatis ſuæ, vix enim auditum eſt, parentibûs iiſdem genitos, quatuor Fratres germanos, ad altare Dei, & tremendi ſacrificii miniſterium, admiſſos unquam vidiſſe. Nam præter hunc Mathiam, Stanislaus natu minor, Alter natu major Mathiâ & Stanislaô Albertus, Præpoſitus Pultovienſis, Gneſnenſis, Cracovienſis Canonicus, Martinus item Societatis Jeſu Presbyter fuit. Hinc brevi Pſtrokonius, collato Mathiæ noſtro, Curiæ ſuæ Epiſcopalis Cancellariatu, eundem in viſitanda Univerſa Diæceſi Premislienſi, ſocium, laborum adjutorem, itineris & ærumnarum, triennio totô, quo huic rei impendit operam, Inſpectorem, tum in occurrentibus difficulta-

tibus Consiliarium habuit. Nullus erat in tota Diœcesi locus, quem prætermiserint, quem non adierint, rationesque Ecclesiarum, & eorum qui iis præerant, diligenter non examinaverint, ac legibùs, quæ ad Cleri reformandos mores, populumque ad pietatis studia incitandum, pertinerent latis, ad pristinum statum non reduxerint. Sæpe Mathias noster, è publico suggestu Concionatus, labores Pontificis obibat, & Sanctissimarum actionum exemplò magis, quàm conscriptis Decretis, Unumquemque vitæ & morum tum salutis suæ communefaciebat. Non solùm verò in visitanda Diœcesi, verùm & in aliis occurrentibus itineribus, Mathias Pstrokonio Comes fuit, quare prælium Civile Rocossianorum, ad Guzovum, unà cum Pstrokonio spectavit, & Fratre suo minore natu Stanislao, qui obiit Płocensis Episcopus, motum illum Civilem, libris quatuor connotavit.

Postquam verò Pstrokonius, gravioribus officiis, videlicet Procancellarii, ac brevi post supremi Cancellarii Regni, unà cùm Episcopatu Premisliensi, perfunctus esset, in disjudicandis majoris momenti Causis, in explicandis consiliis, atque in tractandis publicis Regni negotiis, prudentiâ Mathiæ nostri utebatur. Hinc cum magis pietas, prudentia, eruditio, negotiorum maximi cujusvis momenti tractandorum peritia, aliæque virtutes, in Mathia nostro elucerent, in theatrum benemerendi, de Ecclesia & Republica, ad Aulam Sigismundi III Regis Poloniæ & Sveciæ, a Pstrokonio introductus, ab eodem in numerum secretariorum, Sacræ Regiæ Majestatis, recommendatus Regensque Cancellariæ Regiæ, creatus est. Dum autem secretarii officiò fungeretur, & Regentis Cancellariæ obiret munus, ita gratus Sigismundo III Poloniarum Regi, non ob magni in Republica Viri Pstrokonii, commendationem duntaxat, sed etiam ob vitæ laudabilis studium fuerat, ut ei ad Gnesnensem Canonicatum, Lancicienſem Præposituram nobile & pingve sacerdotium ultro adjunxerit.

Interim Pstrokonius, ad majora subsellia evectus, nempe Vladislaviensis & Pomeraniæ Episcopus factus, majoribus quoque beneficiis ac honoribus, Mathiam ornare intendebat, præsertim, cum maximam animi moderationem, & vitæ in aula pietatem ac integritatem, in eò perspectam habuisset, sed immatura morte, Anno Domini, millesimo sexcentesimo nono, Pstrokonio sublato, amplioris quoquè fortunæ, spes nostri Mathiæ, cum ipso sepulta esse videbatur; Antequam autem ex vita migrasset Pstrokonius, Annô eodem millesimô sexcentesimô nonô, in mense Januario, Authoritate Comitiorum Regni, Varsaviæ indictorum, dati sunt è Senatu & Equestri ordine, in Prussiam Commissarii, qui statum Ducalis Prussiæ inspicerent, formulam Regiminis præscriberent, Alberto Brandeburgico, qui eo, quòd motæ mentis esset, curatore egebat, Curatorem Joannem Sigismundum, Electorem Brandeburgensem, a Rege & Republica

blica datum, certis præscriptis conditionibus, in possessionem ejus curatelæ immitterent, ac novô Sacramentô, Provinciam illam, Regi & Reipublicæ Polonæ obstringerent; inter eos, quibus hoc negotium tractandum, commissum erat, Princeps erat Pstrokonius, verùm dum ille tunc temporis jam morbo lethali laborasset, Sigismundus Poloniarum Rex, uti erat virtutum & ingeniorum æstimator æquissimus, cùm dexteritatem, in gravibus negotiis tractandisMathiæ nostri perspectam habuisset, maximam autem moderationis animi, & vitæ in Aula pietatem redolentis, rationem duxisset, eundem nostrum Mathiam, in locum, lethali morbo laborantis Pstrokonii, in Prussiam, in prædicto negotio Regni, cum aliis Senatoribus, quibus hoc negotiū demandatum erat, designavit. Profectus igitur in Prussiam Mathias, interim Pstrokonio extrema instat dies, sæpe ille de Mathia locutus, Mathiam sæpe requisivit, Mathiam sibi deesse doluit, Mathiam nostrum novissima in luce, desideravêre oculi ejus. Reversus ex Prussia in Poloniam Mathias, de morte Pstrokonii certior factus, lachrymas continere non potuit, dolendo super fato, sui Ducis, Magistri & Præceptoris. Ejus postea perenni memoriæ, gratissimus Nepos Mathias, dum factus esset Episcopus Vladislaviensis, & Pstrokonii in hac Cathedra successor, marmoreum monumentum, opere sumptuoso erexit, in cujus una parte, Mathiæ nostri exculpta effigies, in altera Mathiæ Pstrokonski, sectô latomi artificiô, ad vivum expressa eminet, in sacello Tarnoviano, in Ecclesia Cathedrali Vladislaviensi, ad latus sinistrum intrantis, Ejus memoriæ hoc monumentum: *Mathias Lubienski Pomianus, illius ex consobrina sorore Nepos, ab ineunte ætate Alumnus, Avunculi virtutes æmulatus, ex Posnaniensi in Vladislaviensem Episcopatum, Vigesimô secundô post mortem ipsius annô, Successor, Cliens Patrono posuit, suumque eidem tumulo corpus, supremis tabulis, si ita Divinæ voluntati placuerit, inferendum ordinavit.*

Itaque vitâ functô Pstrokoniô, & per Fratrem Mathiæ, Stanislaum, in Ecclesia Cathedrali Vladislaviensi sepulto, propriæ Mathias noster innitebat virtuti; nihilominus ad Laurentium Gembicki, supremum Cancellarium Regni, dum post Mathiam Pstrokonski, idem Laurentius Gembicki, ad Episcopatum Vladislaviensem, Anno millesimo sexcentesimo decimo, suffectus esset, se se contulit, a quo ad publica Ecclesiæ & Patriæ, Regiœque Majestatis obsequia, ad sustinendas moderandasque functiones, ad obeunda suæ fidei commissa munera, applicatus, a Rege autem provinciam, lustrandi Archivi Regni, Fratre Stanislao, laboris socio adjuncto nactus, Annos suos collocabat Mathias, Hinc successivè probata ejus fide, pietate, labore, Regia Majestas, Canonicatum eminentem, nempe Cracoviensem & Custodiam Sandomiriensem, & his postea beneficiis per Mathiam resignatis, Prœposituram in Ecclesia Metropolitana Gnesnensi, ad Prœposi-

turam Lancicienſem, collationis ſuæ Regiæ, illi adjunxit, ut nimirum, qui eidem Gneſnæ præfuiſſe merebatur, poſtea plus ſupra & dignè ſatis, prœeminere conſpiceretur. Has tamen dignitates, non inveſtigabat Mathias, ſed potiùs ab iiſdem invitus trahebatur, cùm nunquā, (quod ſummæ virtuti Mathiæ, adſcribendum eſt,) tria ſimul retineret beneficia. Quare & Præfectus Zupparum, ſeu Salinarum Vielicenſium & Bochnenſium, qui eſt prœcipuus Regni Theſaurus, a Rege conſtituitur, ex qua Prœfectura, cum plerique ditiores evadere ſoliti ſint, Mathias noſter, ut non nemini per jocum objectum, manus frigidas non calidas, ex hac reportavit Provincia, ut meritò poſſit de ſe, illud Pauli actorum Vigeſimo tertio allegare; *Ego omni conſcientia bona, converſatus ſum ante Deum, in hodiernam diem.* Quod ipſum Sigismundus Rex fateri videtur, dum Mathiœ noſtri, in variis muniis, officiis & functionibus, tum ſuis, tum Reidublicœ Polonœ, in Epiſtola ad Capitulum noſtrorum Canonicorum ſcripta, inferius in hoc libro fuſiùs adducenda, ſumma cum laude extollit & deprædicat merita: *Verſatus eſt in noſtris & Reipublicæ negotiis, ſumma laude, talemque ſe præſtitit, ut quidvis illi, rectè committi judicaremus.* Hactenus de meritis in Regem & Rempublicam Mathiœ, qualiter autem mereri Deo ſtuduit? ſequenti deſcribemus capite.

CAPUT QUINTUM.

De vocatione Mathiæ, ad Ordinem Canonicorum Sancti Sepulchri, Profeſſione Religioſa, & electione in Præpoſitum Generalem.

HUcusque Mathias noſter, in obſequiis tum Reipublicæ, tum ipſius Regis Sigismundi III. memor tamen ſemper, virtutis ac timoris Divini, Annos ducebat ſuos; hucusque in negotiis pertractandis, Secretarii Regii, Cancellariœ Regiœ, Archivi Regni, adminiſtrationis Salinarum Vielicenſium & Bochnenſium, & commiſſionum variarum, nomine Reipuplicœ, & ipſius Regis expeditarum, comite ſemper virtute, dies & vires conſumebat, ſemper tamen miſerias vitœ humanœ, brevitatem ejuſdem, incertitudinem, fragilitatem, inſtabilitatem, fallaciam denique conſiderabat. Conferebat hanc vitam cum œternitate ventura, & vix eam unicum temporis punctum reputabat. Videbat quàm brevis & miſerabilis ſit, gloria hujus mundi, & conſequenter, quàm digna ſit quœ contemnatur, & omnium pedibus conculcetur. His rite conſideratis & maturè perpenſis animum ſuum, totaliter avertit ab hoc mundo, tranſtulit in amorem rerum cœleſtium, ut dixerit, *Non habemus hic manentem Civitatem, ſed futuram quæ in Cælo eſt inquirimus.* Statuitque in animo, omnem gloriam hujus mundi contemnere, qui & Religi-

osœ

osæ se dare, soli Deo uniri & vacare, Sacramentô Religionis se obligare.

Cujus tamen Religionis statum, eligere debuerat? tamdiu dubius ancepsque hærebat, donec Pstrokonius, Mathiæ Avunculus & institutor, in Præpositum nostrum Miechoviensem renuntiatus esset, Annus is erat, millesimus sexeentesimus septimus, Mathiæ verò nostri, ætatis trigesimus quintus, quando Mathias Psttokonski, ad Præposituram Miechoviensem evectus est. Eo tempore, Mathias noster cum Pstrokonio, sæpe Miechoviam adibat, sæpe Canonicam nostram Miechoviensem visitabat, sæpe cum Canonicis nostris, in Ecclesia, in choro, devotioni vacabat, in refectorio, in horto, reficiebatur, in insignioribus festivitatibus, tum Ordinis, tum ipsius Ecclesiæ celebrabat, & tanquam esset unus ex illis, cum illis conversabatur. Unde cum quibusdam nostris Canonicis, strictam amicitiam contraxit & præcipuè cum Simone Turski, Ordinis nostri Canonico, Præposito protunc Canonicæ Sanctæ Hedvigis Cracoviæ, Custode Thesauri Regii in Arce Cracoviensi, de Ecclesia, Rege, & Ordine nostro, benemerito, cum Andrea Iskrzycki, Sacræ Theologiæ Doctore, Præposito Wrocimoviensi, Alberto Koszkowski, protunc Canonicæ Miechoviensis Custode, ac cum aliis Sanctam familiaritatem assecutus, moresque illorum ac instituta, imitatus est.

Accedit, quòd Pstrokonius, dum Præpositus Miechoviensis esset, devotionem, ad Sanctissimum Sepulchrum Christi, a Canonicis nostris edoctus, eandē devotionē etiā ad Præmisliensem & Vladislaviensem Episcopatū evectus, continuabat, & quotidie, ut adnotavit Stanislaus Łubienski, de rectè gerendo Episcopatu: *Sepulchri Domini memor, quod cum repositum in eo esset corpus Domini, munitum fuisse signatis lapidibus, appositosque Custodes, refert Evangelista, ipse custodiam Angelicam cordi suo apponi precabatur.* Quam Sanctam consvetudinem, & erga Sanctissimum Christi Sepulchrum, devotionem Pstrokonii, sicut & omnes alias virtutes, (ut de seipso testatur Mathias noster, in Epitaphio a se erecto, Pstrokonio, superiori capite recensito,) æmulatus Mathias noster eandem ad Sanctissimum Christi Sepulchrum devotionem continuavit, & postea dum factus esset, sui ordinis Præpositus Generalis, Canonicos suos, ad eandem pietatem, erga Sanctum sepulchrū Christi incitavit, & eosdem constitutionibus ordinis, ad servandum jejunium, ad Festum sacratissimi sepulchri obligavit; hinc desiderium ingrediendi Ordinem Canonicorum Sancti sepulchri, concepit, hunc sibi præ omnibus elegit.

Admiranda interim & sæculis prædicanda, super Mathiam nostrū, vocantis Dei bonitas, quæ illum, & omnes planè Fratres ejus, non solùm ad ministerium Sacri altaris vocavit, verùm etiam omnibus ejus Fratribus, desiderium ad statum Religiosum inspiravit; & sicut omnes Fratres germani, vix audito exemplo, altari Divino dedicati

erant, ita omnes Religioni, dicari voluerunt. Sic Stanislaus, antequā Episcopalem dignitatem assecutus esset, ante omnia induxerat in animum, Religionis Divi Benedicti votô, in Tynecensi Monasterio, se obligare, ut scribit Andreas Trzebicki, Scholasticus Płocensis, in Vita ejus, nisi quod à Rege Sigismundo, gravissimis negotiis impeditus fuit; sic Martinus, Societatem Jesu ingressus; sic noster Mathias, vocanti Deo ad ordinem Canonicorum Sancti Sepulchri, paret; Soror præterea Sophia, Deo, in monasterio Ołobocensi, Ordinis Cisterciensis, consecrata fuit. Hæc tamen desideria Mathiæ, tum ob negotia Pstrokonii, tum ob mortem ipsius secutam brevi, tum ob gravissima negotia ipsius Regni, per Mathiam tractanda, ad aliud tempus dilata sunt. Per hoc tamen tempus, Mathias noster de Ordine nostro imò jam potiùs suo, benemereri studuit, illius integritatem, decorem, amplitudinem, ubique promovit. Illius pietati, & in nostram congregationem merito, adscribendum, quod Pstrokonius, qui aliàs consiliis utebatur Mathiæ, liberæ electionis, de gremio suo, Præpositorum Miechoviensium, cautionem à Sigismundo Rege, pro Capitulo nostro Miechoviensi, firmatam verbô Regiô, ac Sigillô Cancellariæ majoris communitam, de Data Cracoviæ, Die vigesima octava novembris, Annô Domini, millesimô sexcentesimô sextô, ad perpetuā Capituli Miechoviensis securitatem, expediverit; Mathiæ nostro adscribendum, quòd Pstrokonius, Simonem Turski, Ordinis nostri Canonicum, Custodem Thesauri Regii, in Arce Cracoviensi, in Coadjutorem Præposituræ Nostræ Generalis Miechoviensis, & ut eo ipsô, cautio ex parte liberæ electionis, Regio nuper diplomate firmata, debitum sortiretur effectum, assumpserit, instrumentumque super hoc, Annô Domini, millesimô sexcentesimô septimô, die Sabbathi, Vigesima mensis octobris, præsente protunc ad hunc actum, ipso Mathia Lubienski, protunc Præposito Lancicziensi & Canonico Gnesnensi, & jura nostri ordinis, fortiter promovente, confecerit; Mathiæ adscribendum, quòd idem Pstrokonius Decimas Villarum Strzeżow & Brzuchania, ad mensam Canonicorum nostrorum incorporaverit. Mathias jam in votis & in desideriis noster, Mathias in ordinem beneficus, in Canonicos nostros benignus.

Venit tandem, Annus millesimus sexcentesimus decimus septimus, Mathiæ verò nostri ætatis quadragesimus quintus, tempus à Mathia pridem desiderabile & optabile, in quo vocationem suam, & seipsum, votis ac desideriis suis pariturum manifestavit, ad Capitulum nostrorum Canonicorum, per Fratrem suum Stanislaum, pro eo tēpore, Ecclesiarum, Metropolitanæ Gnesnensis Præpositum, Cathedralis Cracoviensis Cantorem, scripsit, & ad Sacrum ordinem suscipi postulavit. Interea hoc Anno, Henricus Firley, Episcopus Luccoriensis, Supremus Regni Procancellarius, ex causa assecutionis Episcopa-

tûs

tûs Płocensis, Præposituram Generalem Miechoviensem resignavit, Canonici Nostri, vacante Præpositura Generali, ne illa in spiritualibus & temporalibus, detrimentum aliquod pateretur, ad electionem Administratoris ejusdem Præpositurœ, tam quo ad Spiritualia, quàm tēporalia, processerunt, & Andreã Iskrzycki, Sacræ Theologiæ Doctorem, Prœpositum Wrocimoviensem, in Administratorem elegerunt. Hic per literas suas innotescentiales, de Data in Conventu Miechoviensi sexta maji, Anni moderni, cum intimasset electionem novi Generalis Prœpositi, pro Die vigesima tertia Maji, & postea distulisset ad diem martis, sextam mensis junii, Anni millesimi sexcentesimi decimi septimi, ad eandem Prœposituram, noster Mathias, Sigismundo III Rege Poloniœ & Sveciœ, Divina cujusdam altioris consilii inspiratione, per literas à Regia Majestate, de Data Varsaviœ, vigesima mensis Aprilis, Anni ejusdem, ad Capitulum nostrorum Canonicorum directas, commendatus est. Quarum literarum fragmentum, cum & virtutes Mathiœ complectatur, & laudabilia in Regem & Rempublicam, ejus depredicet merita, tum desiderium Mathiœ, profitendi ordinem nostrorum Canonicorum, in se contineat, hic inserendum putavi: *Electione Devotionum vestrarum, cooptari cupimus, Venerabilem Mathiam Lubieński, Canonicum Cracoviensem, Secretarium nostrum, merentur id eximiæ virtutes illius, non vulgaris eruditio, ac singulare pietatis studium; versatus est in nostris, & Reipublicæ negotiis, summa cum laude, talemque se præstitit, ut quidvis illi rectè committi judicaremus. Est in illo animus, Viro, Nobilissimo loco nato, dignus, est quæsita diuturno usu prudentia, sunt aliæ præclaræ ac eximiæ virtutes & dotes, ac præcipuè, in sancta functione obeunda, Divinoque cultu propagando, singulare studium. Quamobrem hortamur Devotiones vestras, ut hunc sibi Præpositum, dari postulent, quem merito nobis charum, & acceptum esse sciunt, & quem optimè, rebus Ecclesiæ & Sacræ Congregationi vestræ, consulere posse non dubitent, ita enim munus hoc obire constituit, ut Religiosi Instituti votis obstrictus, huic uni curæ vacare, ac per se officio Præpositi fungi, in animo habeat.* Adveniente itaque electionis die, Canonici nostri, tum illi qui in Canonia Miechoviensi manebant, tum ex aliis Regni Poloniœ partibus, ad Capitulum congregati, missaque de Spiritu Sancto cantata, omnes concorditer unanimiterque, nemine discrepante, in Personam Mathiœ Lubieński, tanquam à Superis sibi destinati, consenserunt, & concordi voluntate elegerunt. Fit ingens omnium lœtitia, hymnusque dulcisonus Te Deum laudamus: a Canonicis nostris decantatus, pulsataque majori campana, populo ad Ecclesiam undique concurrente, novus electus denuntiatus, & cunctis fausta acclamantibus, ingentes gratiarũ actiones, Deo ter Optimo Maximo, ab omnibus, pro tam illustri & grata persona, Ordinique sacro multum proficua, persolutœ sunt.

Venit poſtmodum Miechoviam Mathias Noſter ampliſſimorum corona Fratrum Germanorum, utpote, Alberti, Prœpoſiti Sredenſis & Canonici Cracovienſis, Stanislai, pro eo tempore Eccleſiarum Metropolitanæ Gneſnenſis Prœpoſiti, & Cracovienſis Cathedralis Cantoris, tum & Joannis, Matrimoniali nexu adſtricti, cinctus; aliorumq; prœſtantiſſimorum Nobilium catervâ ſtipatus, ubi cum ſalutaſſetMiechoviam, intentionem ſuam & propoſitum aperuit, ingrediendi Sacrum ordinem, quod jam aliàs per literas, tam ſuas, quàm Sereniſſimi Regis, antecedenter ad Capitulum noſtrorum Canonicorum ſcriptas, manifeſtavit, petiitque ad Novitiatum ſuſcipi. Voto potitus Mathias, & novitiatu primis diebus Auguſti, Anno eodem, milleſimo ſexceteſimo Decimo ſeptimo, inchoato, cum jam vir eſſet probatœ virtutis, omnibus qui tunc erant Novitiis, imo maturioribus & ſenioribus, incitamentum ad virtutem fuit.

In novitiatu exiſtens, ſecundùm diſpoſitionem Sacri Concilii Tridentini, Sacrorumque Canonum, ſe gerebat, & ſibi ipſi hoſtis factus prœter contemptum mundi, honorum & dignitatum, variis mortificationibus, affligebat corpus; hinc illœ occultœ diſciplinœ, jejunia, Confeſſiones ſœpiſſimœ, quotidiana cum lachrymis ſacrificia, aliœque arcanœ ſoli Deo notœ virtutes, ſanctitatem ita indicabant Mathiœ, ut ab omnibus vir Sanctus haberetur. De ejus novitiatu, prœterquam, quod in meo ordine ſit certum, etiam extranei adnotarunt authores; ſic Gaſpar Nieſiecki, Societatis JEsu, prœter alios multos, in libro polonico: *Corona Poloniæ* dicto, adnotavit ſequentia: *Mathias Lubienſki, in Conventu Miechovienſi, juxta conſvetudinem aliorum novitiorum, viliſſima ſervitia, menſæ videlicet inſerviendo, in Culina adjuvando, obibat.* Mirabatur certè Polonus orbis tantam humilitatem & demiſſionem noſtri Mathiæ, Hiccine Mathias! qui Canonicatus in Polonia eminentes, Prælaturas illuſtriſſimas, in præmium ſuorum meritorum a Rege tulit, nunc ita abjecta & humilia, ad menſam præſtat obſequia? qui paſci delicatis cibis debuerat, nunc puerorum contemptu paſcitur! Hiccine Mathias! qui Regum implebat aulas, qui publica Regni portabat negotia, nunc privatim in culina, inter fumoſos deliteſcit angulos? nunc aquam lavandis vaſibus, nunc vilia in Culina portat officia? Hiccine Mathias! qui Regens Cancellariæ Regni, qui in Pruſſiam Legatus, qui in deliciis & Reſpectibus Regum, ita abjectus, ita demiſſus? Hic eſt Mathias hic, contemnit mundum, ſpernit honores, aſpernatur ob amorem Divinum, dignitates, ſoli Deo vacare, ipſius ſervitio, amori, ſe mancipare, in majori ultra & ultra perfectione, ſe exercere intendit.

Expleto toto & integro Anno Movitiatûs, Anno Domini, Milleſimo ſexcenteſimo decimo octavo, die vigeſima octava Auguſti, Diviniſſimo Auguſtino, Patriarchœ & Legislatori Ordinis noſtri, ſacro, Pro-

Professionem Religiosam fecit, votaque castitatis, obedientiæ, tum sine proprietate vivere, ad magnam arã Ecclesiæ Miechoviẽsis emisit. Aderant tunc, actum hunc solennem Professionis, condecorantes, præter nostros multos Canonicos & Beneficiatos, plurimi alii Prælati, ac præcipuè Thomas Oborski, Episcopus Laodicensis, & Suffraganeus Cracoviensis, Stanislaus Lubieński, Frater Mathiæ germanus, jam tunc Tynecensis Abbas, & Boguslaus Radoszewski, Episcopus Kiioviensis, Calvi montis item Infulatus Abbas, à quibus hac ipsa die, in Præpositum nostrum Infulatum Miechoviensem, juxta indulta summorum Pontificum, nostro Ordini antiquitùs gratiosè concessa, per Thomam Oborski, Suffraganeum Cracoviensem, more Abbatum benedictus est, Admodum Reverendo Patre Piasecki, Societatis Jesu, in tã celebri actu Professionis, ad populum sermonem faciente.

Hoc demum summæ virtuti, Mathiæ nostri adscribendum est, & primò, quòd licèt ante ingressum Ordinis, & ante Professionem Religiosam, electus à Canonicis nostris, pro Præpositura Generali esset, nihilominus, pro eadem Præpositura, neque benedici voluit, neque institui, donec novitiatum, in ordine nostro absolvisset, & Professionẽ fecisset, secundò, facta Professione, & accepta more Abbatum benedictione, licèt plenè sciverit, juxta dispositionem sacrorum Canonũ, & Sacri Concilii Tridentini, se & quemlibet Canonicum sui Ordinis, esse capacem retinendi, & nova acquirendi, etiam in Ecclesiis, Cathedralibus, quævis beneficia sæcularia, nihilominus, omnes alias Ecclesiarum Cathedralium Prælaturas, & dignitates Ecclesiasticas, habitas resignavit, habendis valedixit, de quo ipse Rex supra citatus, in Epistola ad Canonicos nostros directa, testatur: *quod ita munus hoc* (id est Præpositi Generalis) *obire constituerit, ut Religiosi Instituti votis obstrictus, huic uni curæ vacare, ac per se officio Præpositi, fungi in animo habuerit.* Descripta autem taliter, vocatione & Professione, in ordine nostro, Mathiæ, ne cuipiam, de eadem Professione, dubitandi relinquatur materia, adhuc de eadem, sequenti procedemus Capite.

CAPUT SEXTUM.

Testimonia varia, de Professione Mathiæ, in Ordine Canonicorum Sancti Sepulchri.

LIcèt Professio Religiosa, Nostri Mathiæ, in Ordine Canonicorum Sancti Sepulchri, non tantùm Orbi Polono, verùm etiã toti Europæ, adeò nota, ut de illa, etiam extranei, Galli & Itali suo idiomate inferiùs in hoc Capite adducendi, scripserint & adnotàrint Authores, tamen ut magis veritas appareat, operæ pretium duxi,

ſuper eandem Profeſſionem Mathiæ, varia adferre teſtimonia, & ut noſter Mathias, non uno celebretur ore, qui mille lingvas, mille calamos, in ſui promeruit encomia.

Primum itaque locum teneat, Stephanus Damalewicz, Sacræ Theologiæ Doctor, primò Canonicus Vladislavienſis, poſtea Canonicorum Regularium, Congregationis Lateranenſis, ad Sanctum Nicolaum Caliſſii, Præpoſitus, & noſtri Mathiæ, dum eſſet Archiepiſcopus Gneſnenſis, Theologus, qui vivente Mathiâ, Annô Dominî milleſimô ſexcenteſimô quadrageſimô nonô, Seriem Archiepiſcoporum Gneſnenſium edidit, Noſtro Mathiæ, protunc Archiepiſcopo Gneſnenſi, dedicavit, in eademque ſerie, ſic de ſæculi contemptu, & de Profeſſione Religioſa noſtri Mathiæ in Ordine Canonicorum Sancti Sepulchri, inquit: *Et cum jam Mathias, vitæ Religioſæ ſtudiô illectus, Divi Auguſtini Aurelii, Hipponenſis Epiſcopi, fuiſſet amplexus inſtitutum, in illo cœnobio, Canonicorum Hieroſomiytanorum, Cuſtodum Sepulchri Domini, certavit, ita cum ea moderatione animi, & ſæculi contemptu, ut Regis beneficentia, eum ad Chelmenſem Epiſcopatum evexerit, poſtea Poſnanienſi, poſt translationem Joannis Wężyk, ad Archiepiſcopatum, demum Vladislavienſi, poſtquam in ſedem Cracovienſem, Andreas Lipſki, Grabiarum armîs inſignis, translatus eſſet, ornaverit.*

Secundum locum teneat, Veſpaſianus Kochowſki, Annalium Poloniæ, ab obitu Vladislai quarti, Climacter: primô, librô quintô, Annô Domini, milleſimô ſexcenteſimô quinquageſimô ſecundô, qui ſub eundem Annum, de morte noſtri Mathiæ commemorans, de Profeſſione ejuſdem, in noſtro ordine, annotavit ſequentia: *Moritur eôdem Annô, Mathias Lubienius, è ſtirpe Pomianorum, Archiepiſcopus Gneſnenſis, ac Regni Primas, ultra octogenarius ætate provecta, Profeſſum eum, Miechovienſis cœnobii Præpoſitum, memorant.*

Tertius, Adamus Naramowſki, Societatis Jesu, in facie rerum Sarmaticarum, librô ſecundô, capite quarto, inter Archiepiſcopos Gneſnenſes, conſcriptis encomiis, & dignitatibûs Epſcopalibûs noſtri Mathiæ, etiam illum Canonicum ordinis Sancti Sepulchri fatetur, dum inquit: *Mathias Lubieńſki, de ſtirpe & ſtemmate Pomian, natalibûs clarus, eruditione inſignis, Religione Hieroſolymitanorum Cuſtodum Sepulchri Domini, Ordinis Sancti Auguſtini Cononicus, dignitate gradaria Chelmenſis, Poſnanienſis, Vladislavienſis, demum Archiepiſcopus Gneſnenſis, Annô Domini, milleſimô ſexcenteſimô quadrageſimô ſecundô, ubique à virtute non mutavit animum.*

Gaſpar Nieſiecki Societatis Jesu, in libro polonico, *Corona Poloniæ*, dicto, tomô tertiô ſub litera L. poſt multa encomia, virtutes, Mathiæ noſtri conſcriptas, non ſolùm ingreſſum ejuſdem ad ordinem Canonicorum Sancti Sepulchri, adduxit, verùm etiam humil-

lima

sima ejus in novitiatu obsequia laudavit, dum scripsit: *Mathias Lubieński, Archiepiscopus Gnesnensis & Primas, in Conventu Miechoviensi, non tantùm vetustate consumpta ædificia, restaurabat, verùm etiam disciplinam regularem, in capitulo Generali novis constitutionibus firmavit, ad quam, ut magis omnes alliceret, ipse ingressus est hunc ordinem, & juxta consvetudinem aliorum Novitiorum, vilissima servitia, mensæ inserviendo, & in culina adjuvando, obibat*

Adduco ad Catalogum Authorum, & Cyprianum Sapecki, Sacræ Theologiæ Bacalaureum, Concionatorem Beatæ Mariæ in Circulo, Cracoviæ, Ordinis Prædicatorum, qui suâ concione Polonicâ, pro Festo Sancti Augustini habitâ, talibus nostri Mathiæ, Professionem Regularem extollit laudibus: *In hoc Conventu Miechoviensi, Venerabilis Mathias Lubieński, felicissima armorum suorum Pomian mutatione, commutavit in die S. Augustini sæculares dignitates, in Religiosam Professionem, & felicissimè non tantùm ad tempus, verùm & in sæcula.*

Huic adstipulatur, Joannes Franciscus à Sancto Josepho, Scholarum Piarum, in Concionibus Polonicis, habitis in variis locis publicis, concione pro Dominica secunda post Pascha, in qua nostrum Mathiam, penes Professionem Religiosam, Principem virtutum nominat, dum dicit: *Unum ex millibus, liceat mihi commemorare Sanctum Polonum Mathiam Lubieński, Ordinis Sancti Sepulchri Domini Canonicum, qui cum esset professus, in Conventu Miechoviensi, postea fuit Episcopus, Chelmensis, Posnaniensis, Vladislaviensi, & Pomeraniæ, ultimò Archiepiscopus Gnesnensis, Regni Poloniæ & omnium virtutum Primas, & Primus Princeps.*

Claudunt Catalogum Polonorum Authorum, extranei Authores, qui ex Sanctitatis & virtutum, de Professione nostri Mathiæ, in Ordine Canonicorum Sancti Sepulchri, edocti, in suis voluminibus, suo idiomate conscriptis, Mathiam nostrum, inter Canonicos Sancti Sepulchri collocant. Et sic Josephus Franciscus Fontana, Milanensis, in Historia Ordinum Monasticorum, Religiosorum & militarium, Lucæ, italicè impressa, tomô secundô, capite decimo septimo, sic de nostro Mathia scribit; *Inter Canonicos Sancti Sepulchri in Polonia, fuerunt personæ celebres, propter scientiam, & propter munia per illos expedita, veluti Mathias Lubieński, Generalis istius Ordinis in Polonia, qui fuit Archiepiscopus Gnesnensis, & Primas istius Regni.* Pariter Author Historiæ Ordinum Monasticorum, Religiosorum & militarium, Parisiis gallicè impressæ, ubi ait de ordine Canonicorum & Canonissarum Regularium Sancti Sepulchri, pariter de nostro Mathia, inquit; *Extiterunt inter Canonicos Polonos, istius Ordinis Sancti Sepulchri, viri illustres, tum propter scientiam, tum propter functiones per illos peractas, prout Mathias Lubieński; Generalis istius ordinis in Polonia, qui fuit Archiepiscopus Gnesnensis & Primas illius Regni.*

Inter omnes autem Authores, ſicut dignitate, ſanctitate, ita & eruditione, ſtabit pro millibus, ipſe Mathias noſter, qui etiam in gradu & dignitate Epiſcopali, imò ipſa Archiepiſcopali & Primatiali exiſtens, ſemper tamen memor Profeſſionis ſuæ, in variis inſtrumentis, diplomatibus, privilegiis, ſe fatebatur eſſe Canonicorum Sancti ſepulchri Profeſſum, ſic in conſtitutionibus ordinis, à ſe cum conſenſu noſtrorum Canonicorum ſancitis, libenter & ingenuè, ſe gloriatur ſu iſſe noſtri ordinis Profeſſum, ubi taliter in præfatione ad conſtitutiones, Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi fatetur. *Quodquidem aliis negotiis, & curis utcunque ſoluti, hiſce diebus præſtitimus, convocatâ & peractâ Synodô, noſtri ordinis, in qua more, inſtitutoque majorum noſtrorum, ex conſilio & aſſenſu omnium Fratrum, Conſtitutiones Ordini & inſtituto noſtro, in quo nos Domino famulaturos, jurata fide ſpopondimus, conſentaneas ſanximus condidimusque.* Cùm verò non ſufficeret Mathiæ, una lege & ſtatuto, ordinem ſuum munire, niſi eundem & alternis conſtitutionibus firmaret, ideo & ad conſtitutiones, in Anno, milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto, conſcriptas, in Præfatione ſeu potius aureo ſuo ſermone, in Capitulo Generali, ad noſtros Canonicos habito, hanc ſuam Profeſſionem declarat, dum ſic inquit: *Etſi nobis ad vitam, rectè & regulariter inſtituendam, Sanctiſſimus Legifer & Patriarcha noſter, in ſua, quam profeſſi ſumus, Regula, ſufficientē lucem præferat, quia tamen res humanæ, adeò ſunt fluxæ & inſtabiles, ut niſi in dies, novis ſubſidiis fulciantur, facilè à ſuo ſtatu decidant, operæ pretium nos facturos exiſtimamus, ſi in hoc Capitulo, Veterem Regularis vitæ vigorem, novis legibus excitemus.* Hoc ipſum & in corpore, ejuſdem conſtitutionis ſcribit, dum & ibidem, ſuam profeſſionem præclarè extollit, inquiens ibi; *Et quamvis jam ab aliquot annis, ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ gratia, ad altiora Eccleſiæ & Reipublicæ munia, vocati, & à regulari obſervantia, (votis eſſentialibus duntaxat exceptis) exempti ſimus; officii tamen, & ipſiusmet Profeſſionis noſtræ memores, inquantum infirmitas humana, & varia ſtatûs noſtri negotia, patiuntur, in omnibus ad nos pertinentibus, Deo auxiliante ſatisfacere pro viribus noſtris conamur.*

Ad extremum, ipſa marmora, parieti in Eccleſia metropolitana Gneſnenſi; infixa, Profeſſionem in noſtro Ordine, Mathiæ noſtri loquuntur, in qua ſupra Capellam Lubienianam, ubi noſter Mathias tumulatus eſt, in marmore, tale Mathiæ noſtro, ab Executoribus, ad perpetuam tanti viri memoriam, exaratum eſt Epitaphium. *D.O.M. Mathias Lubieńſki, Sventoslai & Barbaræ de Zapolice Filius, Stanislai Epiſcopi Płocenſis, Adalberti Pultovienſis Præpoſiti, Canonici Cracovienſis, Sophiæ Abbatiſſæ Olobocenſis, & Martini Societatis Jeſu Theologi, germanus Frater, in Aula Sigismundi III. piè verſatus. Ex minoribus ſacerdotiis, & Regente Cancellariæ, Præpoſitus Miechovienſis* Cuſto-

Custodum Sancti Sepulchri Domini, eorum Professus institutum. Post à Gregorio decimo quinto, Chelmensi Ecclesiæ, ab Urbano octavo, Posnaniensi, deinde Vladislaviensi præfectus, tandem nominatione Vladislai quarti, ad Archiepiscopatum Gnesnensem, Primatum Principatumque Regni, provectus fuit.

Non adduco hic literas Sigismundi III. Poloniarum Regis Potentissimi, ad Romanos Pontifices, Paulum V. & Gregorium XV. & ad Cardinales conscriptas, inferiùs sub capite XIII. adducendas, non refero testamentum Mathiæ, aurô cedrôque notandum, Capite XXVI. inferiùs imprimendum, omitto Ordinis Nostri Authores domesticos, qui Mathiæ nostri, quoties se offerebat occasio, in libris & monumentis suis, nomen tum & Professionem ejus Religiosissimam, posteritati consignarunt, ne sim pro Domo mea orator, ultra quàm oportet facundus, tum quòd Professio hæc, ex supra allegatis Authoribus & documentis, clarior sole patet, & hunc solem, in meridie monstrare, sicut inane duxi, ita ad alia properandum putavi.

CAPUT SEPTIMUM.

De gestis Mathiæ, dum esset Præpositus Generalis, quo ad se in Spiritualibus.

Facta solenni Professione, & emissis Religiosis votis, in Ordine Nostro, & Canonica Miechoviensi Sancti Sepulchri Mathias noster, gratias imprimis immensas, agebat Deo, pro beneficio vocationis ad Religionem, reputans illud esse peculiare, & post Divinā prædestinationem omnium maximum, paucisque concessum. Sciebat enim, quod in Religione, rara aut nulla sint offendicula, aut lapides scandali, in quos impingeret, nulli laquei Dæmonis, ratione voluptatum mundi, quas appeteret, ècontra autem multa sunt adminicula superiorum, confessariorum & Præfectorum Spiritualium, à quibus sustineretur ne caderet.

Scivit insuper, se habiturum post mortem suam, communionem sui Ordinis omnium precum, sacrificiorum, aliorumque bonorum operum, ideo his consideratis, ingentes Deo reddebat gratias, & in particulari, gratias maximas persolvebat Deo, quòd hujus Ordinis Filius inscriptus esset, cujus institutio a Jacobo minore Apostolo, cujus ortus è Sacra Urbe & terra, cujus origo, virtus & sanctitas, ex illa terra, quæ Divino consecrata sangvine, cujus incunabula in loco, toto orbe sanctissimo, Sepulchro nempe Domini, cujus officium Angelicum, custodia videlicet sepulchri Christi, & quod Angeli, in Christi sepulchro excubando inceperant, ille Hierosolymis, corporali custodia, imo & nunc gloriæ ejus promotione, continuat, in quem ad

extremum ordinem, utpote in Custodes sepulchri, à sepulchro Domini gloriosissimo, derivatur gloria.

Factis igitur summis Deo gratiis, ita Mathias plenè & perfectè contempsit sæculum, ut totus perfectionem & regularitatem spiraret; ita vitam suam, ex præscripto Regulæ & constitutionum, instituebat, ut omnibus Canonicis nostris, esset ad omnem virtutem & perfectionẽ exemplum & incitamentum. Elapsis autem aliquot, post Professionem hebdomadis, cum Præpositura Generalis Miechoviensis, etiam curam animarum, in Parochia contineat, ad Martinum Szyszkowski, protunc Episcopum Cracoviensem, tanquam Loci ordinarium, (antequam institutio Præposituræ Generalis Miechoviensis, etiam quoad curam animarum, ad Sanctam sedem devoluta esset) pro institutione, ad eandem Præposituram, instantiam fecit, literasquè à Sigismundo III. Poloniarum & Sveciæ Rege, de Data Varsaviæ, vigesimâ tertiâ Decẽbris, AnnòDõini millesimò sexcẽtesimò decimò septimò, adEpiscopũ Cracoviensem conscriptas, sui commendatorias præsentavit, quarum fragmentum, cùm tum Ordinis, tum ipsius Mathiæ, singulare complectatur elogium, hoc loco inserendum duxi: *Equidem quæ fuerit nostra, de substituendo, Monasterio illi ordinique universo, Custodum Sepulchri Domini (cujus à prima fundatione, claruit semper eximia sanctitas, Religionisquè Catholicæ propagandæ studium,) Præposito, voluntas, declaravimus Sinceritati vestræ, literìs nostrìs, quibùs eundem Mathiam Lubienski, impensè sinceritati vestræ commendavimus, merentur id sanè, præclaræ illius virtutes, pietas imprimis, singularis eruditio, negotiorumquè maximi cujusvis momenti tractandorum peritia, & longo rerum usu, parta prudentia, ut ei faveamus, atquè eo loco dignum judicemus.* Quibùs literis perlectis Episcopus, ad institutionem processit, & Mathiam nostrum, ad eandem Præposituram Miechoviensem, per impositionem manûs, venerando capiti ejus, instituit & investivit, in realemque Possessionem posuit & induxit, per suas literas de Data Cracoviæ, die quinta Mensis Octobris, Annò Domini, millesimò sexcentesimo decimò octavo.

Reversus Miechoviam, Regimen Ordinis, eximia morum suavitate, exactâ religiosi instituti observantiâ, insigni in Ecclesias & totam nostram Congregationem munificentiâ, suscepit, quare communem vitam, cum reliquis nostris Canonicis ducebat, & cum illis in choro, Capitulo, Refectorio, quantùm per alias occupationes licebat, frequens fuerat. Bonorum & patrimonii Canonicæ Miechoviensis, ad mensam suam pertinentium, se, non Dominum, sed Dispensatorem, dicebat: ac proinde, reditus illorum, superfluis sumptibus non exhauriebat, sed quidquid sustentationi statui suo convenienti superfuerat, in utilitatem Ecclesiæ suæ Miechoviensis, & Ordinis sui, ac in usum pauperum convertebat. Proventus suos ita distribuebat, ut expen-

sarum

ſarum rationes, Capitulo Generali, (ſi quando ita expedire videretur,) reddere fuerit paratus. Menſa frugali, in abſentia præſertim hoſpitũ contentus erat, ad quam duos ad minus Canonicos ſui ordinis, adhibebat, & ad eam, ex Sacra ſcriptura, & aliis piis Eccleſiæ ſcriptoribus, lectionem inſtituebat. Quòd non ſolùm dum eſſet Præpoſitus Generalis, obſervabat, verùm etiam factus Epiſcopus & Senator Regni, imò jam Archiepiſcopus & Primas Regni, menſam lectione, & aliquo ſermone ſive diſcurſu Spirituali, condiebat. Hoſpitalitatem à Sanctis Patribus magnopere commendatam, promptè erga omnes, præſertim verò Peregrinos & Religioſos, exercebat, memor eos, qui hoſpitalitatem amant, Chriſtum Dominum, in hoſpitibus excipere. Circa Eccleſiam ſuam Miechovienſem, quæ & Parochialis eſt, continuò reſidebat, nec facilè abſentabatur ab ea, niſi graviſſimis Ordinis, evocaretur negotiis. Habitum, cum eſſet Præpoſitus Generalis, decentē, non tamen ſuperfluum, Cruce rubea geminata inſignitum, ſecundùm ſtatuta Ordinis, deferebat, quam ſanctam conſvetudinem, etiam Epiſcopus Chelmenſis, Poſnanienſis, & Vladislavienſis factus, conſervabat, & crucem duplicatam auream, in torque pariter aurea pendulā, (inſigne Ordinis Sancti Sepulchri,) in pectore ſuo geſtabat, quàm poſtea exiſtens Epiſcopus Vladislavienſis, theſauro Eccleſiæ noſtræ Miechovienſis, donavit, de actu & data in Boguſławice, die vigeſimâ ſecundâ Junii, Annô Domini, milleſimô ſexcenteſimô Quadrageſimô.

Quantùm autem Angelica puritas, & caſtitas, cordi fuit Mathiæ, eandem ita ſervavit, ut omnes converſationes vitaret fæminarum, & acceſſum illis non daret facilem. Meditationi & examini conſcientiæ, quotidie vacabat, uſus libello, de vita religiosè inſtituenda, Authore Patre Alvares Societatis JEsu, imò & Canonicos noſtros, hortabatur, ut eôdem librô, in meditationibus, examine conſcientiæ, & aliis piis exercitiis uterentur. Precum Canonicarum & totius Divini officii, pro Eccleſia noſtra Miechovienſi, diſtributionem conſcripſit, quas ipſe attentè ſemper & diſtinctè, piè & devotè abſolvebat, in memoriam enim, revocabat ſibi illam ſcripturam, *Maledictus homo, qui opus Domini facit negligenter*, & ad prolationem nominis Jeſu & Mariæ, tum ad Gloria Patri, reverenter caput inclinabat.

Sciens præterea, quòd ſacris ſacrificiis inſtare, maximè deceat ſacerdotes, & hoc munus, hæc gloria illorum eſt, ideo quotidie, etiam in decrepita ætate, ad Altare DEI comparebat, ſacris ſacrificiis faciendis inſtabat, luminis incrementum ſibi depoſcens, & ob eam cauſam, etiam in villis ſuæ Præpoſituræ, uti in Krzeſławice, Pſtroſzyce, Sławno & aliis, Capellas privatas, noviter conſtruxit, à Loci ordinario ptotunc Martino Szyſzkowſki, Epiſcopo Cracovienſi facultatem celebrandi in illis, de Data in Arce Bodzantinenſi, die vigeſima prima Menſis Junii Annô Domini milleſimô ſexcenteſimô decimô octavô,

tim ab initio suæ Præpositurae, & sui regiminis, in scriptis accepit, ut si pius Sacerdos, alicubi in Villis, pro administratione æconomiæ moraretur, posset Sacras Missas absolvere, & Divinis Sacrificiis vacare. Agnoscebat se præterea, variis circumdatum esse infirmitatibûs, ideo sæpissimè, se ipsum hortabatur ad observantiam statutorum Ordinis: & licet ad altiora Ecclesiæ & Reipublicæ munia, vocabatur, officii tamen & Professionis suæ memor, inquantum varia statûs ipsius negotia patiebantur, in omnibus ad se pertinentibus, Deo auxiliante, satisfacere pro viribus suis conabatur, tum sicut dignitate aliis præstabat, ita eosdem sanctitate & odore bonorum operum, præcellebat. Dicebat sæpe, quòd etiamsi ad Episcopatum promovendus esset, votis obstrictus esset essentialibus Religionis.

In ulteriori, & in dies majori perfectione, ac omnibus actionib9 suis, tantum excellebat Mathias, ut multi illum, vivum exemplar Regulæ Sancti Augustini, monstrarent. Et sic Andreas Goldonowski, Ordinis Sancti Pauli Primi Eremitæ, per utramque Poloniam & Silesiam Provincialis, in præfatione sua, ad explanationem regulæ Sācti Augustini, Mathiam nostrum, vivum exemplar Sancti Augustini dixit, & præcipuis laudibûs commendavit. Et quod maximùm & admirandum est, quòd ita in exercitio spiritualium, summa in Deum pietate, cultûs Divini propagandi Zelo, omnibus denique in virtutibus profecerit, ut Samuel Nakielski, vir in Ordine nostro tunc gravissimus, multis libris in lucem editis clarissimus, colligendo officia Sanctorum Patronorum Ordinis, in dedicatione eorundem officiorum, eundem nostrum Mathiam, acsi unum, ex numero eorum Sanctorū Ordinis, quorum festa in ordine nostro, speciali devotione coluntur, & Sancta Ecclesia, in Martyrologio Romano, jugi commemoratione depredicat, & acsi parem illis, pietate, religione, cultûs Divini propagatione, dicere non vereretur, dum sequentia ibidem scribere non dubitavit: *Mathiæ profectò pietas, cultûs Divini propagandi studium, nostra accendit erga se desideria, ut ipsum potissimùm nobis dari optaremus, datumque quasi unum ex eorum numero, qui secundùm Jacobum & Simonem Apostolos, Discipulos, ac consangvineos Domini, Ecclesiæ Hierosolymitanæ, & Ordinis nostri gubernacula tenuerunt, Alexandrum dico Narcissum, Cyrillum, Hesychium, Sophronium exciperemus.* In reliquis denique, ita animum doctrinis spiritualibûs, & omni perfectione religiosa excoluit, ut omnes Ecclesiæ Serenissimi Regni, quas postea regebat Mathias, totus Senatus populusque Polonus, fructum suavissimum ex eo hucusque abunde decerperent & colligerent. Penes autem fructum dulcissimum, Ecclesiarum variarum in Polonia, cum Ecclesiæ ordinis nostri, earumque Canonici, ex suo Mathia, tanquam fructifero agro Ecclesiæ, specialissimum collegerint fructum ideo & nos eundem fructum, sequenti legemus Capite.

CAPUT

CAPUT OCTAVUM.

De gestis Mathiæ, quo ad Canonicorum Sancti Sepulchri Personas in Spiritualibus.

SEntiens Mathias Noster, quàm grave onus, humeris suis impositum susceperit, eò curam studiumque suum contulit, ut præscriptam a majoribus suis, regularis vitæ normam, non tantùm solus inspiceret, verùm etiam universi Ordinis sui Canonicos, ad eandem normam inflammaret. Sentiens pariter, hanc sibi felicitatem dari, quòd hunc ordinem nobilissimum regeret, quem olim Apostoli, in Jacobo minore, primo Episcopo Hierosolymitano, & Sancti successivè Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopi, deinde Patriarchæ, usque ad excidiũ Hierosolymæ, imò usqué ad tempora Innocentii Papæ VIII, per totum orbem rexerunt & gubernarunt, Mathias verò illorum regimen continuaret, id circo maximè attendebat, ut omnes Canonici curæ suæ commissi, vocationi responderent, & ut ea, quæ in Regula & constitutionibus Ordinis præscribuntur, quo ad omne punctum observarent. Atque ejus rei causa, Annò millesimò sexcentesimò Decimò nonò, alterò post susceptam Præposituram Generalem, assumpto secum Samuele Nakielski, Sacræ Theologiæ Doctore, Canonico sui Ordinis, universam sibi demandatam Provinciam, obire, singula loca & Conventus Ordinis, quotquot in Regno Poloniæ & extra extant, per se in persona lustrare, visitare, mores vitamque singulorum Canonicorum examinare, omnia ad prisci instituti normam revocare, verbò & exemplò instruere, in omnibus, quæ supremum gregis Pastorem scire oportet, operam dare, & quæ necessaria ipsi videbantur esse, in singulis Ecclesiis & conventibus Ordinis, præscribere & ordinare aggressus est. Bonos laude, segnes cohortatione, ad officium revocando, omnia denique boni Præsidis officia, cumulatè implendo, ut universus ordo, qui hactenus in suo statu, quodammodo langvescere videbatur, illius fausto regimine exhilaratus, pristino splendori restitui, quanta sua gratulatione, non attinet dicere, tunc primùm incœperit.

Finita hac visitatione, Anni millesimi sexcentesimi decimi noni, elapso triennio, iterum Annò millesimò sexcentesimò vigesimò secundò, omnes Ecclesias & conventus ordinis sui, in Persona visitavit Mathias, in qua, errantes paternè corrigebat, in vitia lapsos, ita castigabat, ut memor fuerit, quod & ipse circumdatus fuerit infirmitate, lachrymis potiùs suis, quàm acerbioribus verbis, dolorem fletumque illorum provocabat, & in spiritu lenitatis, regularem exercebat disciplinam, veniam poscentibus facilem, moderata adhibita animadversione, exhibebat. Quod verò tam piè, tam sanctè, tam exactè, has visitatio-

tationes Ecclesiarum, & conventuum ordinis nostri obiret? habuit praxim & methodum visitationis, ad formam sacrorum Canonum & ordinis constitutionum præscriptam, quâ in visitationibus utebatur, & quam postea in Archivo nostro Miechoviensi, secuturæ posteritati reliquit, & propria manu subscripsit.

Peractis his visitationibûs, utriusqué Anni, in quibus totas æstates consumpsit, comite semper Samuele Nakielski, Canonico sui ordinis, viro docto & probo Canonicam Miechoviensem sæpius, reliquas autem Ecclesias & Conventus eidem annexas, singulis trienniis visitabat & quæ depravata reperit reformabat, & in spiritu lenitatis corrigebat. Ac præterea Capitula generalia, singulis trienniis Miechoviam convocabat, & in eis de disciplina regulari retinenda, & de moribus depravatis, corrigendis, cum Canonicis ordinis, maturô judiciô præditis, consilia conferebat. Celebravit Capitula Generalia duo, Miechoviæ, Die vigesima nona mensis Octobris, Anno Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo, & die decima sexta mensis Junii, Annô Domini, millesimô sexcentesimô vigesimô quintô, in quibus constitutiones ordinis salutares, cum consensu Capituli Canonicorum sancivit, disciplinam regularem, novis statutis firmavit, quas ab Urbano VIII. approbari curavit, & super hoc breve, suæ sanctitatis, obtinuit sub Data Romæ, Decimâ quarta Januarii, Annô millesimô sexcentesimô vigesimô sextô, Pontificatûs Urbani Papæ, Anno tertio, postea easdem Typis Cracoviensibus, Annô millesimô sexcentesimô vigesimô septimo, imprimi fecit.

Harum constitutionum Seriem, cùm penes nos habeamus & velut pretiosum servi DEI testamentum, cautissimè conservemus & observemus, illud ex illis notare voluimus, consistere easdem primi quidem Capituli Generalis, in octodecim statutis seu Capitibus. Secundi verò Generalis Capituli, in septem statutis seu Capitibus. Collimant autem potissimùm, ad mutuam inter Canonicos nostros charitatem innovandam & confirmandam, ad proprietatis vitium exstirpandum, ad rectam Canonicorum institutionem, & studiorum tractationem, ad Ecclesiastica officia ritè peragenda, & cultum Divinum promovendum, ad regularis disciplinæ observantiam. Præterea in iisdem constitutionibus, commendatur exercitia præstantissimarum virtutum, verbo digito DEI scriptas, has constitutiones dicet, quisquis easdem benè perspexerit. Sed quia prædictæ constitutiones, per incendium conventûs & Ecclesiæ, Anno Domini, millesimo septingentesimo quadragesimo quinto, consumptæ, & in favillas redactæ sunt, ideo modernus Reverendissimus Dominus Jacobus Radlinski, Universi nostri Ordinis Præpositus Generalis, easdem utrasqué, tanquã inæstimabiles gemmas, ne in oblivione sepelirentur, collegit, & ut ab unoquoquè Canonico nostro, per vivam observantiam legantur & relegan-

relegantur, typis Collegii Sandomiriensis, in Anno millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, reimpressit & renovavit.

De his constitutionibus nostri Ordinis, à Mathia nostro conscriptis, & de earum reimpressione in Ephemeridibus Literariis Lipsciensibus, sub numero octogesimo primo, paginâ septingentesimâ vigesimâ quartâ tale reperitur germanico idiomate, exaratum elogium, seu potius Author earundem Ephemeridum Illustrisimus Josephus Andreas Comes de Załuskie Załuski, Poloniæ Referendarius, orbis autem literarii Princeps, utrobiquè supremus, tales ibidem in pretium & coronam, earundem constitutionum, aureô suô eloquiô, gemmas protulit: *Sandomiriæ ex Typographia Societatis Jesu, non pridem in lucem prodierunt, constitutiones Capitulorum Generalium Miechoviensium, Ordinis Canonicorum Regularium Custodum Sancti Sepulchri Domini Hierosolymitani, sub Illustrissimo & Reverendissimo Domino, Domino Mathia Lubienski, Præposito Generali professo ejusdem ordinis, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ, Episcopo Chelmensi, demum Archiepiscopo Gnesnensi, Primate Primoque Principe, ac Legato nato Regni Poloniæ, & magni Ducatûs Lithvaniæ, Annô Domini, millesimô sexcentesimô vigesimô, ad diem Decimam nonam Octobris, & Annô millesimô sexcentesimô vigesimô quintô, die decima septima mensis Junii, celebratorum, à Sancta Sede Apostolica approbatæ, cum facultate Illustrissimi & Reverendissimi Domini, Domini Loci ordinarii, sub prælum traditæ, Annô millesimo sexcentesimô vigesimo sexto, Denuò curâ & impensis, Reverendissimi Jacobi Radlinski, sacræ Theologiæ Doctoris, ejusdem Ordinis Præpositi Generalis Infulati, reimpressæ, Annô Domini, millesimô septingentesimô quadragesimô septimô, in quartô. Hi Canonici Regulares, Custodes Sanctissimi Sepulchri Domini, sat longo jam tempore in Romana, præcipuè autē Polono Catholica Ecclesia, ob fervidos labores suos, in promovēda Ecclesiastica disciplina, & Religiosis doctrinis, præ omnibus aliis viris Religiosis, magnum Primatum adepti sunt. Ex quorum numero, per sua merita apud posteritatem, duraturam & planè indelebilem memoriam obtinuit, Illustrissimus Mathias Comes de Lubieński, quem sua pietas, Dei timor & scientia, ad supremam dignitatem & felicitatem, in Polonia evexit. Ab hoc eximio & summa laude dignissimo Prælato, distinctis vicibus, instituta Generalia Ecclesiæ Miechoviensis Capitula, & in iis ab eodem sancitæ, roboratæ, collectæ, postmodum publico typo mandatæ, constitutiones, abundè probant & demonstrant, quòd pulcherrimi mores, doctrina & scientia, item solicitudo ejusdem, (quâ commissum sibi ordinem, in constanti flore & incremento conservare studuit,) sincera & indefessa esse debuerit. Hi itaquè, qui honoris ac æstimationis hujus ordinis participes facti, habent omnimodum motivum, Domino Generali Præposito Radlinski, pro executione & datione, harum novarum summè laudabilium expensarum, demississimas refundendi grates, eidemque reali ap-*

T2 preca-

precatione vovendi, ut divina Providentia, hunc eximium, ob multiplices doctissimas actiones, præcipuè verò ob reædificationem neo conflagrati Conventûs Miechoviensis, & ob scientias meritissimum virum, in Bonum Literaturæ, in sua Patria, diutiùs benigniter conservare velit.

Curavit præterea Mathias hunc ordinem antiquissimum, pristino decori restituere, & ideo nihil magis optavit, quàm ut Congregatio hæc majores indies, in pietate & doctrina, aliisque virtutibus, regula rem vitam, concernentibus, progressus faceret. Hortabatur sæpius Canonicos nostros, & per viscera misericordiæ obsecrabat, ut ad implēda & exequenda ea, quæ in constitutionib9 ordinis, præscripta salubriter proponuntur, animum adjicerent. Cum autem Annô millesimô sexcentesimô vigesimô tertiô, & iterum immediatè sequenti, nostri Canonici in Russia, a Tartaris gente barbara, aliqui cæsi, aliqui in duram servitutem barbaricam abducti, lorisque vincti, postea venditi, & ad remos odio fidei destinati essent, (ex quibus Mathias Wierzbicensis Ordinis nostri Canonicus, Parochus Ecclesiæ Gniewczynensis, comprehensus, vinculis durissimis constrictus, equo impositus, dum ob senium, (erat enim prope octogenarius,) nullatenus dorso equi insidere potuisset, ad terram dejectus, á Barbaro, odio Catholicæ fidei, impia manu contrucidatus, & Martyrio coronatus) quid non faciebat Mathias? omnes adhibebat modos, nulli sumptui parcebat, ut redimeret; & redemisset, ni dura servitus illos, ibidem inter barbaros, ocyus occumbere coegisset. Infirmitate pressus aliquis ex nostris Canonicis decumbebat, solicitè de defectibus & morbo infirmi, inquirebat Mathias, remedia applicabat, medicamenta & auxilia, magnô studiô curabat, & omnem diligentiam Paternam, circa valetudinem adhibebat. Si verò periculum vitæ aderat, tempestivè monebat, Sacramentis muniebat, noctu diuqué præstò aderat, omnium Canonicorum precibus commendabat, ac tandem agonizantem, septum coronâ orantium, cum indulgentia plenaria, Ordini concessa in morte, ad Cœlum transmittebat.

Pestillentia grassante, iisdem Annis in Polonia, ultra viginti Canonici nostri, in cura animarum & administratione Sacramentorum, peste infectis, eâdem pestilentiâ extincti sunt; Mathias, quantùm doluit super jactura Personarum, tantùm erga ordinem amorem ostendebat; accepto tali nuntio lacrymas continere non potuit, fiduciam in Divina Majestate ponens quòd Providentiâ suâ, quam circa hunc Ordinem gerit, à quingentis protunc annis, in Regno Poloniæ, brevi hunc defectum supplebit, &, ut pro Patribus nascantur Filii, benignè providebit; Neque frustratus spe fuit Mathias noster, nam sub suo Regimine, ita numerosiorem Canonicorum nostrorum Congregationem reddidit, ut quivis Mathia imperante, sub Vexillo Crucis purpureæ Christo militare voluisset. Cùm autem numerosiorem Canonicorū nostro-

nostrorum cætum reddidisset, ob curam animarum, quam semper unicè cordi suo habebat, studia propter nostros Canonicos tum in Academia Cracoviensi, tum Romæ curavit haberi, ad quæ non modicum expendebat, præcipuè pro Romanis studiis Canonicos nostros mittendo. Pariter eadem studia Ordinis in Canonica Miechoviensi instituit, & examina singulis quatuor Anni temporibûs, de profectu eorum in studiis casuum conscientiæ, constituit, ut Canonici nostri, ea eruditione essent præditi, quam functio curæ animarum desiderat.

Officiorũ propriorũ Ordinis nostri, longo usu ab Ordine observatorum, Mathiæ nostro palma reservata fuit, ut hæc ipsa divinarum precum officia, stylo priscam Sanctorum Patrum pietatem redolente conscripta, historicæ veritati consentanea, & gravi doctorum virorum, secundùm præscriptum constitutionum Ordinis Nostri, a Sede Apostolica approbatarum, censurâ examinata, probataque, Mathia Authore, & sub ipsius patrocinio publicè edita proponerentur, quæ jussu ipsius, à Samuele Nakielski Canonico Nostro, in rubricis versatissimo, partim ex vetusto Ecclesiæ Miechoviensis Archivo, fideliter excerpta, partim ex Historia Ecclesiastica, potissimùm Cæsaris Baronii S. R. E. Cardinalis, accuratissimi antiquitatis indagatoris, descripta, & in locum eorum, quæ à Majoribus nostris, parum accuratè expensa, & pro veris legitimisquè scriptis fuerunt usurpata, reposita, ad normam Breviarii Romani, in ordinem redacta, & authoritate Martini Szyszkowski, Episcopi Cracoviensis approbata, & in lucem edita, Annô Domini millesimô sexcentesimô vigesimô, Cracoviæ. Taliter in ordinem redactorum officiorum Patronorum Ordinis, is idem Mathias, approbationem à Sancta Sede Apostolica, solicite promovebat: cæterum cùm hæc approbatio, in longius tempus dilata, usus verò tantùm eorum, quæ antiquitùs, & ab immemorabili tempore, in praxi habebantur, vivæ vocis oraculo permissus sit, ideo, omnes Canonicos, ea tantùm officia recitare, quæ ab immemorabili tempore, ab Ordine nostro in usu habita, & interruptè observata esse reperiuntur, Mathias noster, per Constitutiones Ordinis approbatas à Sancta Sede, obligavit.

Non hìc cessavit Mathiæ desiderium, sed quamdiu habenas ordinis tenuit, imò quousquè vixit, Ordinem hunc promovebat; ampliabat, fundationibûs novìs, defensione jurium, & manutentione eorundem, ut suis Capitibûs demonstrabitur; ditabat, salubriter omnia, piè ac modestè, ad bonum Ordinis disponebat, omnibus se clementem & affabilem, ac verè Patrẽ exhibendo. Illius ad nostros Canonicos in Capitulis & aliis congressib9, & quoties se offerrebat occasio, sermo, singulari animadversione dignus, in quo Canonicos nostros, coronã suam vocabat, ac si quodlibet Mathiæ nostri verbum, ab ore ejus

U prola-

prolatum, ſpecialem mereretur Coronam. Hoc demum ſummo amori Mathiæ, erga ordinem noſtrum, adſcribendum eſt: quòd quoties, ſive in literis à ſe ad aliquem conſcriptis, ſive in aliquo familiari diſcurſu, mentio eſſet de Ordine Sancti Sepulchri, ille non ſolùm dum eſſet Epiſcopus, verùm jam Archiepiſcopus & Primas Regni, locò hujus dictionis: *Ordinis Canonicorum Sancti Sepulchri* dicebat: *Ordinis noſtri* ut plures Epiſtolæ ejus, in Archivo Miechovienſi conſervatæ, teſtantur, & ſicut Paulus Apoſtolus, in Cruce Chriſti, ſic noſter Apoſtolus Polonus Mathias, in Sepulchro Chriſti, & in Ordine ejus gloriatus eſt. Jam igitur geſta Mathiæ Spiritualia, pauca è multis delibavimus, reſtat modò temporalia attingere.

CAPUT NONUM.

De geſtis Mathiæ, in Temporalibus, quò ad Canonicam Generalem Miechovienſem.

CUm Mathias Noſter, in ipſo ſtatim ſuſcepti muneris ſui exordio, & in progreſſu ejuſdem, pro ſuo perpetuo, illoque Paterno, erga hunc Canonicum Sancti Sepulchri Ordinem, affectu, nihil magis optaverit, ac pro virili curaverit, quàm ut hic Ordo, non tantùm in Spiritualibus, ſed etiam in temporalibus, perquam ordinatiſſimus ac florentiſſimus eſſe poſſet, idcirco Canonicam Miechovienſem, Ordinis ſui Caput, per multa idqué ſpecialia privilegia, Reſcripta & Bullas ſummorum Pontificum, Regum Poloniæ, Decreta Sacrarum Congregationum Romana, declaratam Sedem Præpoſitorum Generalium Infulatorum Ordinis, ſuis ſtructuris ſatis magnificam, antiquitate,(a tempore quo ſcribo,) ex ſæculorum celeberrimâ, plurimis quidē ea prodierunt, ad Senatum Polonum, & ad Infulas Pontificales, Viris nobiliſſimam, millenis decoribûs, prærogativis, libertatibûs, tum à ſummis Pontificibus; tum a Sereniſſimis Regibus Poloniæ, ditatam, ornatam, exemptam, ſoli tantùm S. Sedi Apoſtolicæ, ac Patriarchæ Hieroſolymitano, cum ſuis membris ſubjectam, reſtaurare cæpit. Ac imprimis, collapſa ſacrarum ædium ædificia, privataſque tum Conventûs, tum prædiorum ſtructuras, pene à fundamentis excitare volens, Annô Domini milleſimô ſexcenteſimô decimô nonô, laterificinam amplam, pro excoquenda viva calce, & parandis lateribus, ad fabricam Conventûs, in ſuburbio Miechovienſi, verſùs Podmieyſka Wola, conſtrui fecit, juſſitqué ex fundo villæ, Wielkanoc dictæ, lapides convehi, ex quibus præſtantiſſimum cementum, confectum eſt. Hinc ſtatim à fundamentis Religionis, Novitiatu videlicet, Mathias noſter incipiendo, hunc, Annô Domini, milleſimô ſexcentesimô vigeſimô primô, (uti in multis, Ordinem Divina adju-

tus

tus ope, reparavit) ita salubriter communitati providit, ut à Presbyteris, & reliquis Canonicis Professis, separatas mansiones haberent. Proinde Novitiatum commodissimum, in eo loco, ubi antiquitus vestiaria erat, proprio sumptu construi fecit, cubiculaque pro Novitiis, & Magistro Novitiorum, convenienti apparatu, & a reliquo curritorio, peculiari clausura, separata, instruxit; hypocaustum denique, á Communi Refectorio distinctum pro iisdem Novitiis, reparavit.

Positò tali Religionis fundamentò, januam postea, quâ fit ad Canonicam Miechoviensem ingressus, ampliavit, accommodatis ad eã firmissimis ex robore foribûs, constructa insuper ad limen ejusdem januæ, pro Janitore, seu claustri custode, mansione murata competenti, qui ingressui & egressui invigilaret perpetuò. Non hìc finivit Zelum suum Mathias, sed conceptæ de sua virtute opinioni præclarè respondebat, dum Annô Domini millesimô sexcentesimô vigesimô secundô, dum jam esset Episcopus Chelmensis, non exiguo sumptu, ab angulo veteris Refectorii, ad angulum coquinæ, in Canonica Miechoviensi, murum ex ipsis fundamentis erexit. & totum illud vestibulum inferius, testudineatum reddidit, ibiqué pro exponendis cibis, hypocaustũ cõmodissimũ cõstituit, desuper verò solarium ãplum, quô ad commune curritorium fit ingressus, erigi fecit; atrium item vetus pro novi Refectorii constitutione, ab infra concamerari jussit & in curritorio Canonicorum, habitationem commodam, pro Seniore Presbytero, ex duobus cubiculis composuit, stubam pariter novam, satìs pro brumali tempore commodam, juxta vetus Refectorium, è regione hypocausti Custodis, suis impensis ordinari curavit, tum plurima alia, tam in Ecclesia, de qua suo Capite scribemus, quàm in ipsa Canonica, præfatus Mathias noster, restauravit, coloribûs & elegantissimis picturis exornavit, quæ diariis Capituli Miechoviensis inserta reperies.

Cùm autem lectionem librorum, tum Spiritualium, tum Canonicorum, singulariter cordi haberet Mathias, idcirco Bibliothecam, in Canonica Miechoviensi commodam, quæ in pulveribus projecta, blattis & tineis esca fuit, in alium locum perlucidum, salubrem, magisquè opportunum, ordinatìs ad hunc usum commodissimis pluteìs, transtulit, numerum librorum, tum voluminum, in majore folio noviter protunc editorum, multis authoribûs auxit, comparavit, & publico usui Canonicorum nostrorum dicavit. Sed quia prædicta Miechoviensis Canonica, habet hanc prærogativam, quòd in illa Capitula Generalia celebrantur, statuta & Leges conduntur, electiones pro variis Conventibus & Præposituris, tum ipsorum Præpositorum Generalium Infulatorum Ordinis, fiunt, Reges Poloniæ ad Capitulum nostrorum Canonicorum scribunt, unde gloriatur plurimis literis, ad suum Capitulum, à Regibus Poloniæ directis, & cum summo

elogio, (quarum & in hoc libro, passim fragmenta inseruntur,) Hospites insigni ornari honore, congregantur, quare & his pro suo erga omnes amore, providendo, commodas habitationes pro hospitibus præparavit, & omni necessaria supellectili instruxit.

Quid dicam de aliis in Canonica Miechoviensi, Mathiæ Nostri laboribus? qui præter alia ingentia studia, à me superiùs breviter cõmemorata, etiam villas, cum Canonicis nostris communicato consilio, à mensa sua abstraxit, & Capitulo Nostro Miechoviensi & Canonicis, in perpetuum donavit, & applicavit. Cùm enim in ipso suscepti muneris exordio pro debito officii sui, rationes omnes, injunctæ sibi functionis expenderet; inter alia animadvertit, magnam ex eo habuisse, plerosque Canonicos nostros occasionem, sibi in particulari, (contra quam instituta regularia, & Sacri Canones præscribũt,) vendicandi rerum privatarum reservationem, quòd in eventu adversæ valetudinis, nihil fere in expensas medicinæ & medicorum, ex cõmuni provideri solitum fuerit; quod ut aboleret, & quantùm fieri potest, Canonicos Nostros, ad veterem normam regularis disciplinæ revocaret, imprimis in pristinum statum reduxit, & renovavit constitutionem Capituli Generalis, a Sixto IV. approbatam, de Magistro Infirmariæ eligendo, factam, ac voluit ut deinceps is, ex præscripto ejusdem Constitutionis eligeretur, munusqué suum rite obiret, curã Canonicorum infirmorum diligentem haberet, necessitatesqué omnes tempestivè compararet.

Ut autem rationes omnes infirmariæ constitueret, Villam mensæ suæ, dictam Gluchow, cum prædio, omnibusque ejusdem Villæ attinentiis, temporibûs perpetuis, Capitulo Nostro Miechoviensi dedit, incorporavit per Custodem & Canonicos Nostros, sicut reliqua alia Conventûs Bona, regendam & administrandam, ea conditione, ut omnes & singuli reditus ex eadem Villa provenientes, in usum itidẽ Canonicorum infirmorum, & infirmariæ, per Magistrum infirmorũ quotannis percipiendi, plenariè & integrè converterentur. Insuper voluit, ut Magister infirmorum, cum scitu Custodis & duorum Canonicorum, ita hos proventus Villæ Gluchow, distribueret, ut tantùm in accommodandas rationes infirmariæ, medicinas comparandas, & in curam Canonicorum ægrotorum, illi expenderentur, prout de hac re fusiùs loquitur, Rescriptum Capitulo Miechoviensi à Mathia datum manu ipsius propria subscriptum & sigillo cõmunitũ de Data & actu, in Conventu Miechoviensi, die sexta Mensis Junii, Annô Domini millesimô sexcentesimô decimô octavô. Taliter providebat Mathias necessitatibus ægrotantium Canonicorum nostrorũ, ne quid ad opportunum curandæ valetudinis subsidium, eis deesse videretur.

Non hìc adhuc meta & finis, erga Canonicam Miechoviensem,

liberali-

liberalitatis Mathiæ: verùm ducentos florenos pro vestiaria, & centum pro Sacristia, ex proventibus mensæ suæ, perpetuò assignavit, in Capitulo Generali Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo, peractô, locô quorum postea, alteram villam, Jadowniki nuncupatã cum prædio, & cum attinentibus, ad radices Calvi montis, in tractu Sandomiriensi, jacentem, cum omni fundo antiquitùs ad eam spectante, sub celebratione Capituli Generalis, Die decima septima Junii, Annô Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, spontè ac benevolè, in dispositionem Canonicorum Nostrorum tradidit, resignavitqué, Bonisqué aliis ad Conventum pertinentibus, adjunxit, & donavit, ut ex ejus reditibus, necessitates vestiariæ, Infirmariæ, Bibliothecæ, juxta ordinationem suam, in diplomate resignationis contentam, providerentur.

Licèt tamen taliter proventum, pro vestiaria Miechoviensi auxit, successu tamen temporis adhuc magis augere voluit, ut suam mentem & intentionem explicat, puncto tertio, secundæ Constitutionis, capite secundò, ne quid tam suæ munificentissimæ Paternæqué liberalitati, quàm necessitatibus Canonicorum, unquam deesse crederetur. Videns autem salis proventum, de Zuppis Bochnensibus, ad Conventum Miechoviensem, antiquitùs pertinentem, cæterùm à multis retroactis annis, dari intermissum, & pænè obliteratum, rursus per suam instantiam, novo super hoc diplomate, à Clementissimo Rege Sigismundo III. ob eximia sua erga Regem merita, obtento, Conventui restituit, auctioremqué reddidit, de actu & Data Varsaviæ, die 6. Mensis Martii, Annô Domini, millesimo sexcẽtesimo decimô nono.

Sed non solùm sumptu, expensis, donationibûs novis, aut variis fundationibûs, & restaurationibûs, Monasterium Miechoviense, dum esset Præpositus Generalis, Mathias Noster ditabat, verùm etiam precibûs, idem monasterium ab imminentibus malis defendebat. Cum enim Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Die decima octava mensis Aprilis, circa medium noctis, Miechoviæ ingens incendium ortum fuisset, quo sexdecim domus, ad limites horti conventualis positæ, deflagrârunt, quo tempore, nisi Mathias accurrisset, & per suam familiam domesticam, manibûs variisqué instrumentis, per se verò præcibûs adlaborâsset, proculdubio jam tum, de Ecclesia, Conventu & tota Civitate actum esset. Quare postridie incendii, cum omnibus Canonicis nostris, & tota Civitate Miechoviensi, in Ecclesia Miechoviensi, Deo persolvit gratias, pro tanti mali aversione. Quapropter gratitudinis causa, pro his, & aliis beneficiis, Conventui Miechoviensi ab eodem impensis, anniversaria dies depositionis ejus solenni officio Defunctorum, quotannis obeunda, ac præterea, singulis feriis secundis, una missa lecta, ad altare privilegiatum, pro anima ipsius absolvenda, à Canonicis Nostris in Capitulo

Generali, ultrò concessa, & in perpetuum in Ecclesia Miechoviensi observanda venit. Ex quo Nomen Mathiæ Nostri in benedictione, decus in immortalitate, memoria, in jucunda & grata apud omnes recordatione.

CAPUT DECIMUM.

De gestis Mathiæ in temporalibus, quò ad Præposituram Generalem Miechoviensem.

POstquam Mathias Noster, possessionem Præposituræ Generalis Miechoviensis apprehendit, statim collapsa hinc inde ædificia reficere, tum nova à fundamentis ædificare, ac elegantissimis structuris, condecorare cœpit. Ac imprimis, arcem muratam, mansionē Præpositorum Generalium Infulatorum Ordinis, penes Ecclesiam prope a latere consistentem, eidemqué Ecclesiæ contiguam, situ squalloreqúé, ob non residentiam Prælatorum Ordinis obsitam, fenestris ac fornacibus destitutam, tectis undiqué laceram, in totoqué ruinatam, Annô Domini millesimô sexcentesimô decimô octavô, de plano restaurari fecit, fenestras novas, fornaces, abacos, scamna, de novo eidem arci accommodando, novis ex toto scandulis tegendo, novosqué canales, per omnia feré ædificia inducendo, & singula palatia per totum, elegantibus picturis exornando, Atrium superius, seu solarium in medio ejusdem arcis existens gravi pondere ad ima depressum, & in suo situ penitus deformatum, novo murato pariete, ex ipsis fundamentis erecto, stabilivit, ac pavimentô tabulatô deinceps convestivit. Restaurata tandem de novo arce, officinas deinde penes arcem existenentes, prout se in longum, in sua circumferentia extendunt, reparare aggressus est; Hinc illa conclavia, supra murum ædificata, quæ campum & hortos Civitatis, versus Ecclesiam Sanctæ Crucis respiciunt, fornacibûs ac fenestrìs novìs additis, de plano reformavit, ac elegante pictura exornare mandavit. Ut autem prædicta conclavia, cum principali arce conjungeret, ambulatorium commodissimum, Annô Domini, millesimô sexcentesimô decimô nonô, quo ex illis edibus ad arcem, & ex Arce, usquè in Conventum Canonicorum, per Ecclesiam satìs commodè transiri potest, ex solido muro erexit, fundavit, ac gratis successoribus suis dedicavit.

Non hìc cessavit Mathias noster, sed facta revisione villarum, ad Præposituram Generalem Miechoviensem, & ad mensam suam spectantium, videns pleraqué prædia, inertiâ ac negligentiâ Arendatorū desolata, tum quæ præ vetustate corruerant, coëmptis pecudibûs, quibûs hæc ipsa prædia indiga erant, illa ad meliorem statum, utì pius

Pater

Pater & Patronꝰ perduxit, plurima ex illis, ab ipſis fundamẽtis excitavit: quo facto ſincerā fidem, paternamq́; gratitudinē, primis ſuæ gubernationis initiis, ſuis ſucceſſoribꝰ teſtatus eſt. Ac imprimis magni prædii Miechovienſis ædificia, majori ex parte reſtauravit Mathias, noviſq́; non nullis additis, præſertim Braxatorio, & caulis ſeu ſtabulis pecudū, quæ præ vetuſtate corruerant, & multa alia, brevi tempore, quantum per æſtatem licuit, non parcendo ſumptibus, unico Anno complevit. Videns autem aliquas, ad ſuam Præpoſituram pertinentes villas, diminutas, multò magis alienatas eſſe, idcirco alienata recuperari, præcipuo ſtudiô curavit, prout id per Dei gratiam, in nonnullis villis, per ſuos Anteceſſores abalienatis, non ſine magnis impenſis, re ipſa præſtitit, eaſdem eliberavit, & tandem Præpoſituræ Miechovienſi reſtituit. Et ſic primò, Villam Michałowice, per Annos plusquam triginta, diverſis Perſonis innodatā, & à menſa Præpoſitorum Generalium abſtractam, non mediocribus impenſis redemit, actionem ex parte Decimæ, ab hortulanis & molēdinatoribus ejuſdem villæ, pro Canonicatu Cracovienſi, decreto curiæ Romanæ adjudicatam factâ concordiâ, & refuſis damnis, Domino Karnkowski, Canonico Cracovienſi actori, conſopivit; ac tandem villas Pſtroſzyce & Wola, ad Annos decem obligatas & invadiatas, multo labore & cura eliberavit, & ad poſſeſſionem Præpoſitorum Miechovienſium reduxit.

Cum verò aliqua redemiſſet, aliqua eliberaſſet Bona Mathias, ad eorum reſtaurationem, reædificationem, totum ſe convertit & applicavit. Ac imprimis Prædium Krzesławienſe, penitus jam collapſum & ruinatum, ſubductis per omnia ædificia magnis lignis fundamentalibus ſtabilivit, & quantum artificio effici potuit, illud ad priorem integritatem perduxit. Stubas utrasque majorem & minorem picturis exornavit, addito de novo atriolo, in ipſo ingreſſu curiæ, ſuper quod ſolarium cum tecto rotundo, exſtructum eſt. Ibidem granarium, ad fruges conſervandas, cum Braxatorio pro conficienda cereviſia, de novo exſtrui, ibi piſcinas à multo tempore neglectas, & limo infectas evacuari, ibi plurima alia bona fieri curavit. Non ſolùm autē Krzeſlavienſe prædium, verùm & Pſtroſzycenſe, in multis reformavit Mathias noſter, ibidem majorem præſertim ſtubam ad tractandos hoſpites ſatis commodam, exſtruxit, abintus coloribûs exornare mandavit, piſcinas ibidem neglectas refecit, & novum ſtagnum aggeribûs firmis vallatis, cum molendino apprimè utili & neceſſario, non ſine notabili ſumptu, erexit. Denuò hypocauſtum pro Familia, una cum atrio, promptuarium novum, ſubtus verò cellarium ſeu teſtudinem muratam, de novo à fundamentis, propriis impenſis ibidem exædificari curavit. Inſuper puteum novum effodit, ac deniqué aliquot longiores rivos, pro exſiccandis & ab inundatione tutandis pratis, ibidem procuravit.

Quid de aliis villis, per Mathiam vel ædificatis, vel restauratis scribam? molendinum novum, in fundo Przecławiensi, aggere, longo tractu á fluvio, ingenti sumptu, deducto, constituit; piscinas vetustas, quarum vix vestigia apparebant, circa molendinum, & in fundo Zagorzycensi, multis impensis limô evacuatô, deinceps ad integritatem perduxit. In Villa Sławno, novam curiam cum capella decenti, de consensu Loci ordinarii construxit, vetustam reparavit, ac suo vigori restituit. In Villis Szczepanowice & Smroków, Domos curiales erexit, & omni supellectili Domestica adauxit. In Villa Wrociryz, quatuor milliaribus a Miechovia distante, curiam pariter Magnificam, cum fundamento murato, cum Hypogœo interiori testudinato, supra quod aliud superius identidem concameratum habebatur, & cum duobus hypocaustis amplis pictura eleganti exornatis, idem Mathias noster construxit, in qua & solarium sub tecto rotundo, & alia quàm plurima, ad decorem & commoditatem spectantia, erigi demandavit.

In Oppido Skaryszow, ubi Ordinis nostri Ecclesia Parochialis, satis elegantissimè exornata, ac Præpositura existit, curam commodissimam, pro hospitio Præpositorum Generalium, Mathias noster fabricari mandavit, ubi pariter stagnum, eidem oppido Skariszoviensi contiguum, antiquitus desolatum, pristinæ integritati restituit, ac multa alia præclara, in Bonis Præposituræ, nullis parcendo sumptibus, optimè ordinavit, neglectaqué ad perfectionem reduxit. Videns item non mediocre damnum, ac detrimentum, inferri arboribus cœduis, in sylvis ejusdem oppidi Skarisoviensis, maximè á colonis villæ Kobylany, ad Abbatiam Sieciechoviensem spectantis, qui prætextu cujusdam Compromissi, ab Antecessoribus facti, indiscretè eâdem sylvâ abutebantur, novam proinde cum Abbate Sieciechoviensi, eâ de re fecit transactionem, quam manibûs propriis subscriptam ac sigillis roboratam á supradictis subditis, in posterum firmiter servandam statuerunt, sub pœnis in hac ipsa transactione expressis, de Actu Varsaviœ in Comitis Regni Generalibus, Die vigesima septima mensis Martii, Annô Domini millesimo sexcentesimo decimo octavo. Cernens insuper, utì circumspectus in una quaque re Paterfamilias, supinam Oppidanorum Skarisoviensium ignaviam, quòd hactenus, ad consilia & judicia Civitatensia pertractanda, Domum specialem, quæ Prœtorium communiter dici solet, non haberent, & quam alias, jam jussu Simonis Turski, Præpositi Generalis Miechoviensis, Prœdecessoris sui, construere cœperant, nec tamen illam perfecerant, certis libertatib9 ac commodis eidem Prœtorio assignatis, intentionem Prœdecessorū suorum, ad debitum finem & effectum perduxit, datô eisdē Civibus, super hoc certô scriptô, de Data & actu, in Conventu Miechoviensi, Die decima quinta Mensis Junii, Annô Domini, millesimo sexcentesimo decimo octavo.

Non

Non solùm autem villas & oppida, suæ jurisdictionis restaurabat Mathias, verùm etiam earundem villarum, & Oppidorum hominibus, colonis & incolis, frequenter subveniebat, ipsis tum varios favores præstando, tum apud Regem impetrando. Contraxerunt debita pro Annis præteritis, contributionis Regalis frumentariæ, in grano prætensæ, *Spy* vulgariter nominatæ, ad magnam administrationem usurpatæ; Mathias Noster, apud Clementissimum Regem, Sigismundum III. effecit, literasque & mandatum à Rege, ad magnum Administratorem obtinuit, de Data Varsaviæ, Die sexta Mensis Aprilis, Annô Domini millesimo sexcentesimo decimo octavo, quibûs literis, omnes colonos Præposituræ Miechoviensis, pro Annis retroactis, liberos pronuntiavit. Enarratis tot & tantis fundamentalibûs restaurationibûs Præposituræ Miechoviensis, ad imitationem posterorum, per nostrum Mathiam factis, cùm in dies maximis beneficiis & gratiis, Ordinem suum cumulare non cessaverit, ad eas enarrandas & conscribendas properamus.

CAPUT UNDECIMUM

De fundatione, dotatione, Ecclesiarum sui Ordinis per Mathiam.

ITa hic Clarissimus Præses Mathias, utiliter ac exemplariter, præesse ordini suo voluit, ut omni ex parte prodesset; ita gubernavit illum, ut ipsius regimine pleræque Ordinis exhilaratæ Ecclesiæ, plurimum incrementi sumerent. Ac imprimis, principem locum teneat, Ecclesia Miechoviensis, post Hierosolymas amissas, totius ac universi Ordinis Caput, prima & unica Mater, per multa Privilegia Pontificum, Regūq; Poloniæ, & Decreta Sacrarum Congregationū, declarata, ad quam omnes Conventus & inferiores Ecclesiæ referuntur, cum totali subordinatione ad suam Matrem, quæ super aliis Ecclesiis sui Ordinis, plurimos jurisdictionis, & superioritatis actus exercet, quæ ex suis reditibus, de novo alias Ecclesias ædificatas, aut dotatas habet; à qua tot aliæ sui Ordinis, in aliis Regnis, prodierunt Infulatæ Ecclesiæ, Pragæ in Bohemia, Nissæ in Silesia; cujus jurisdictionem ac Superioritatem, antiquissimæ in Belgio, Ordinis Nostri plantatæ Ecclesiæ, temporibus Petri Korycinski, Præpositi Generalis Professi, & Archidiaconi Pułtoviensis in Ecclesia Cathedrali Płocensi, agnoscebant & obedientiam profitebantur. In Regno Poloniæ, antiquitate celeberrima, fundata enim, Annô Domini, millesimo centesimo sexagesimo secundo, A JAXA Polono, Principe Serbiæ, & Gedeone Episcopo Cracoviensi, consanguineis, de Domo Gryphorum; dotata, (advectô, eôdem Annô, ex Ecclesia Patriarchali Hierosolymitana, per eundem Jaxam, Martinô Gallô Canonicô Sancti Sepulchri, ortô ex Nobilissima in Regno Gal- 1162. Ecclesia Miechoviensis fundata.

 liæ-

liæ Familia; quæ camelum grisei coloris, procumbentem in campo viridi habet,) Domina & hæres in temporalibus, (si commendata non esset) plusquam quadraginta Villarum & duarum Civitatum, quo ad suam Parochiam, in extensione ac popularitate amplissima, Filia Sanctissimæ illius Ecclesiæ, quam Christus Sacris calcavit pedibûs, sacratissimo conspersit sangvine; Filia inquam Hierosolymitanæ Ecclesiæ, per plurima indulta Pontificum, promulgata, laudata & canonisata; soli Sanctæ Sedi Apostolicæ, & Patriarchæ Hierosolymitano subjecta, à jurisdictione Episcoporum, per privilegia specialia, unà cum suis membris exempta, ita, ac si esset nullius Diœcesis. Et taliter in Bullis Innocentii XI, ad instantiam illius magni ad Reges Hispaniarum & Portugalliæ, à Republica Polona Legati, Petri Koryciński, Præpositi Generalis nostri Professi, in favorem Ordinis nostri obtentis, nominata; Cujus Ecclesiœ Prœpositus, Vicarius Generalis Patriarchœ Hierosolymitani existit, postea verò, Patriarcha de Hierosolymitana Ecclesia, cum Capitulo Canonicorum Sancti Sepulchri, odio fidei, per Saracenos expulso, titulum Vicepatriarchœ Hierosolymitani, ut Nakielski in Prœfatione libri de sacra antiquitate scribit, & jurisdictionem Patriarchalem, prout Dlugossus, in libro Beneficiorũ, Monasteriorum, Ecclesiœ & Diœcesis Cracoviensis, fatetur, obtinet; Pontificalibûs omnibûs, & Cruce pectorali aurea, intorq; pariter aurea, è collo pendente, tam in ipsa Ecclesia Miechoviensi, quàm aliis suœ jurisdictioni subjectis, cum prœrogativa Abbatibûs longè eminentiori, utitur, stallũ in Ecclesia Cathedrali Cracoviẽsi habet, simulque prœrogativam Generalatûs, supra totum Ordinem suum obtinet, attestantibûs plurimis summorum Pontificum, Regum Poloniœ diplomatibûs, ex quibus Serenissimus olim ac Potentissimus Joannes III. Rex Poloniarum, in Literis suis ad Innocentium XI. conscriptis, id ipsum asserit & fatetur, prout ex sequentibus accipe.

Sanctissime ac Beatissime Pater. Post oscula pedum sanctitatis vestræ, & mei Regnorumqué meorum, humillimam commendationem. Ante unum in circa mensem, fatîs functô, Reverendô olim Archiepiscopô Leopoliensi, Præpositô Generalî Miechoviensi, & Frater Venerabilis Koryciński, à Serenissimo Antecessore meo nominatus, à Pientissimo Sanctitatis Vestræ antecedente, Clemente X. confirmatus Coadjutor, cum futura successione, nulla à me jam, ad dictam Præposituram, egeat præsentatione & recommendatione, nihilominus tamen, cum liquidum sit, Præpositum Miechoviensem, Ordinis Canonicorum Sanctissimi Sepulchri Hierosolymitani, fuisse semper dicti Ordinis Generalẽ, tot publicîs id testãtibꝰ monumẽtîs, nec neralatûs officium, fuisse alio tempore quodammodo alteratum, nisi eo, cùm Divi Antecessores mei, ad eandem Præposituram, sæculares Prælatos, per commendam tenendam, præsentaverint, ita cùm idem Conventus Miechoviensis, obtigit Venerabili & Religioso Koryciński, ut claris Domûs suæ natalibûs, morum probitate, vitæ integritate conspicuo, ita Or-

dinis

dinis Canonici, Sanctissimi Sepulchri, actualiter Professo, ideo humiliter, Sanctitati vestræ supplico, quatenus idem Religiosus Venerabilis Præpositus, sanctitatis vestræ, suprema Authoritate, in Generalem dicti Ordinis confirmatus, à duobus pene & ampliùs sæculis possessam, sanctitatis vestræ, beneficiô, retineat dignitatem. Cedet & hoc inter singularissima sanctitatis vestræ, Paterni affectus, erga me Regnũque meum documenta. Longævam interea sanctitati vestræ, eamque firmam valetudinem, prosperum Orbis Christiani regimen, votivos eidem successus, animitus à Deo Ter Optimo Maximo exopto. Datum Varsaviæ, vigesimâ mensis Februarii, Annô millesimô sexcentesimô septuagesimô septimô. Ejusdem sanctitatis vestræ, obedientissimus Filius. *Joannes* Rex *Poloniæ.*

A tergo. *Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri, Domino Domino Innocentio, Divinâ Providentiâ Papæ XI, sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Pontifici, Domino Domino Clementissimo.*

Canonici autem hujus Ecclesiæ & Ordinis, utũtur Rochetis, Mantiletis, aliisquè insignioribus ornamentis, eodem prorsus modo, quo cæteræ insigniores collegiatæ, ac Cathedrales Regni Poloniæ Ecclesiæ, & hoc ex antiquissima consvetudine, ex Hierosolymitana Ecclesia, in nostras oras introducta, & postea speciali privilegio, Leonis X. confirmata, de Data Romæ, apud Sanctum Petrum, Annô Incarnationis Dominicæ, millesimô quingentesimô vigesimô tertiô nonas Octobris, Pontificatûs sui Annô octavô, editâ Bullâ, quæ incipit: *Cùm à nobis petitur, quod justum est.* Tum Decretô Sacræ Rituum Congregationis, de Die duodecima Martii, Annô Domini, millesimô sexcentesimô sexagesimô primô, pro Canonicis nostris lato. Cujus ad extremum Ecclesiæ Canonici, Crucem duplicatam rubeam, aliqui filô sericeô, aliqui autem, idque congruentiùs magisque veteri instituto se conformantes, filô aureô circumductam, juxta antiquissimam praxim & consvetudinem, in Ordine Nostro usitatam, in pectore deferunt, uti attestatur liber intitulatus: *Columna militantis Ecclesiæ, sub Cyriaco Hierosolymorum Episcopo,* tum Venceslaus Hagecius.

Hanc igitur Ecclesiam Miechoviensem, tot titulis honorificam, celeberrimam, ac per totam Europam celebratissimam, reparare, ornare Mathias noster aggressus. Ac imprimis, culmen Ecclesiæ seu faciatam, á parte conventûs, quæ penitus à compage parietum avulsa, jam jam mole sua ruitura erat, damnumque ingens secum ferebat, demoliri, & novam, ferro bene compactam, non parvo sumptu erigi demandavit, fenestramquè circularem, ex secto lapide, quo majori lumine Ecclesia illustraretur, in eodem culmine fieri procuravit. Quid plura? videns pariter Capellam sub turri positam, quam Michaël ejus Nominis secundus, Præpositus Generalis, post conflagrationem totius Ecclesiæ Miechoviensis; deformatam, ad honorem Sancti Sepulchri, consecrari fecit, eandem Capellam, magna ex parte debilitatam, propriis impensis refecit, ipsamque turrim, Ecclesiæ Miechoviensi

ensi annexam, in sua magnitudine, celsitudine, sat sublimem, magno sumptu, quadro eoque secto lapide, eam circumcirca ambiente, stabilivit, finemque huic operi imposuit. Cujus operis exstat testimonium, marmore insculptum, atque eidem Turri insertum, in hæc verba. *Deo Optimo Maximo. Turrim hanc, vetusti operis de Cælo tactam, & vitium patientem, nova quam vides ex secto lapide, à fundamentis excitata substructione Mathias Lubieński, Generalis Præpositus Miechoviensis, cinxit, fulcivit, firmavitque, Annô Christi, millesimô sexcentesimô vigesimô.*

Firmata & reparata ab extra Miechoviensi Ecclesia, ad internum ejus decorem, totum se convertit: Hinc statim recenti Calce linitâ, & debito prius nitori restitutâ Ecclesiâ, hypogœum in ea novum, juxta vetus sepulchrum Præpositorum Generalium, ante majus altare exstrui fecit, mediam partem minoris Chori, quo ad majus altare fit ascensus, gradibûs marmoreis sublimavit, & totam illam superficiem, è Regione majoris altaris, tabulis marmoreis, reliquas autem partes Ecclesiæ, novô pavimentô lapideô, stravit & convestivit. Non remisit adhuc quidquã, de cõsveto suo studio, in Ecclesia exornãda, idẽ pius Præsul, sed curritorium in Ecclesia, à parte parietis Ecclesiæ, quo cõmodè ex conventu in Sacristiam, hinc verò in Ecclesiam transitur, suìs impensìs affabre construi jussit; Armarium seu conservatorium amplum, pro casulis, pluvialibus, & reliquo ornatu Ecclesiæ, commodè asservando, in sacristia parari mandavit; Majus altare vetustate deformatum, aurô novisque coloribûs, reformari fecit; Altare quoquè sanctæ Annæ, partim Fraternitatis impensìs, partim suìs, in Ecclesia prædicta deauravit, postes marmoreos, quibus itur ex Ecclesia in sacristiam, erexit; & stemma ejus, ad futuram posterorum imitationem & memoriam, in marmore insculptum, Capitulum Miechoviense supra fores apposuit.

Reliquos pios ejus conatus, infausta pestis, à principio æstatis, in Annô millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Miechoviam invadens, impedivit; Siquidem tam atrox pestilentia, hanc Civitatem, à medio fere Julii invasit, ut cùm per vulgaria primùm Capita, vagari cœpisset, protinus etiam Canonicos nostros corripuit, & omnibus etiã novitiis exstinctis, duos tantùm Canonicos, sic disponente Deo, in obsequium curæ animarum reliquit. Quid de Sacra supellectili scribã? Pluviale pretiosum, ex auroserico persico, Ecclesiæ Miechoviensi donavit, peristromata sericea, ad vestiendos parietes Templi, tempore solennitatum eidem Ecclesiæ benignè contulit; sex candelabra argentea, justæ magnitudinis, cum insigniis tam suis, quàm ordinis, aliamque non ignobilem supellectilem, pro eadem Ecclesia comparavit, tum insuper aliquot millia florenorum polonicalium, ad resarciendas sacras sacristiæ vestes, de suo erga sponsam amore & pietate, testamentô

inscri-

inscripsit & ordinavit, ac tandem eandem Ecclesiam, spirituali thesauro, impetratis apud Sanctam Sedem Apostolicam, plurimis maximis indulgentiis, tam pro Festo Tituli, quàm Dedicationis Ecclesiæ, ac aliquot altaria, privilegiô eliberationis animæ ornavit, ditavit, ac decoravit.

Sed eheu! hæc antiquissima, ac in sua structura ac magnitudine, nobilissima Ecclesia, unà cum suo Conventu, & tota Civitate Miechoviensi, Annô Domini, millesimo septingentesimo quadragesimo quinto, Die decima nona Aprilis, orto incendiô ex Civitate, insolentiâ cujusdam Oppidani, circa horam secundam post meridiem, cum altaribus aurô superbè onustis, cum campanis prægrandibus, cum Turribus magnificentissimis, etiam ære tectis, cum marmoribus, Epitaphiis, ac aliis structuris pretiosissimis, cum stallis & organis, aurô & picturis elegantissimè ornatis, igne absumpta est; omnisque decor ejus & ornatus, unâ horâ periit, concussum laqueare totum; vastum hiatum, per totum templum aperuit, culmen Ecclesiæ, seu faciata cecidit, & mole sua, reliquos muros concussit. Heu! lachrymas quis nostrûm continere poterit? dum sic periisse videt, excultam studiô multo, longo partam sudore, nobilissimam præstantissimamq; Ecclesiam, olim tam celebrem, tam gloriosam, tam magnificam, pretiosissimis idquè insignioribus Sanctorum Reliquiis, de manibus Sancti Caroli Borrhomei, Archiepiscopi Mediolanensis receptis, & ejus manu munitis, Authenticôquè firmatis, atque etiam ab ipsa Hierosolymitana Ecclesia, cum notabili vivificæ Crucis fragmento, ac spina Coronæ Christi, tum lapide sepulchri Domini advectis, imò totis sanctorum corporibus, uti Sancti Constantii Martyris, Indulgentiis præterea præmaximis, quod non cuilibet Ecclesiæ, etiam prærogativa Cathedrali eminenti, concessum videmus, exornatam & ditatam. Heu! relictis tantùm his, Divinâ Providentiâ, pretiosissimis clenodiis, incensâ igne omnia & suffossa! Heu! quàm obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, & qui in dedicata Sanctissimo Sepulchro Ecclesia, quasi lapides Sanctuarii, contineri solebant, qui Christo, per horas diei ac noctis constituti, cantando & orando, famulabantur, dispersi sunt quasi vagabundi, in capite omnium platearum. Heu! non invenitur qui consoletur eam, ex omnibus charis Fundatoribus & Benefactoribus ejus.

Illud hìc notandum observo, quòd dum tempore incendii, tota præfata Ecclesia combureretur, omnes ejus picturæ elegantissimæ, & inscriptiones variæ per flammas delerentur, sola inscriptio, supra Sepulchrum Christi, in pariete depictum, integra permansit, nempe illa *Et erit Sepulchrum ejus gloriosum*; ex qua inscriptione Sancti Sepulchri, à flammis intacta & inviolata, spes nostras erigimus, & firmissimam fiduciam, in misericordia & Providentia Divina, totaliter reponimus,

nimus, quòd etiam poſt tantas ruinas, cineres & favillas, in ſœpedicta Eccleſia Sanctiſſimum Sepulchrum Chriſti erit glorioſum, & quòd operâ, curâ & impenſis, moderni Reverendiſſimi Domini, Jacobi Radliński, univerſi Ordinis noſtri Præpoſiti Generalis Infulati, glorioſiùs ſurget, Sepulchri Chriſti Eccleſia, & tanquam Phænix, triumphaliùs è cineribus ſuis aſſurget. Annuat Deus, annuant Sancti Patroni Ordinis, piiſſimis ejus conatibus.

Cæterum non ſolùm hæc Miechovienſis Eccleſia, verùm etiam pleræque Ordinis Eccleſiæ, Mathiæ noſtri juriſdictioni ſubjectæ, benignitatis ejus paternæ, hoc ipſo tempore, quo Miechovienſis Eccleſia & poſtmodum ſucceſſivè, non vulgaria argumenta, re ipſâ expertæ ſunt. Et primò, Eccleſia Sanctæ Hedvigis Cracoviæ, cum ſuo Conventu, Ordinis noſtri, Mathiæ beneficentiæ, quoadusque perennabit, memor grataque ſemper erit, quœ per tot ſœcula, ambiguos terminos fundi ſui habens, Authoritatis ejus interventu, ac præſenti patrocinio, pacificata eſt, in circumſcriptione metarum ſui fundi, tam à parte Civitatis Caſimirienſis, quàm à parte Urbis Cracovienſis. Cui etiam in ſupplementum, vicinam Curiam, quam ex antiquo, longa annorum ſerie, Nobiles poſſidebant, aliquot centenis pro ea enumeratis, Conventui Sanctœ Hedvigis, donavit, reſignavitquè; Et inſuper multa alia Beneficia, ex innata ſibi in piiſſimas cauſas liberalitate, & ex intimo erga Sacrum Ordinem noſtrum amore, eidem Eccleſiœ ac Conventui Sanctœ Hedvigis fecit & præſtitit, nihil aliud præmii á Præpoſitis illius loci expoſcens, præterquam nominis ſui gratam recordationem, & in quotidianis ſacrificiis jugem memoriam.

Id quoqué beneficii, hic noſter Mathias, omni œvo recolendus, Eccleſiæ Hoſpitali Siradienſi, Ordinis noſtri ejusqué Prœpoſito, qui ibi de medio Canonicorum noſtrorum electus, reſidere conſvevit, prœſtitit, cùm pro fundo villæ Garbow, ad dictam Eccleſiam olim ſpectantis, ſed ab immemorabili tempore, ab ea alienatæ, & cujus agri ita antiquitate temporum, erant confuſi, ut non facilè conſtaret, quo loci conſiſterent, & quibûs metis, hinc inde clauderentur, cùm id inquam, plenœ difficultatis ac perplexitatis eſſet in recuperando tali fundo, ſingulari cumprimis prudentia, cura ac induſtria ſua, id fecit, ut hæredes de Kalinowa, penes quos talis fundus exſtiterat, Mathiæ noſtri arbitrio, ſe ſubmittere non dubitarent, & ſummam certam, trium millium, cum cenſu annuo reemptionali, centum octoginta florenorum, Præpoſito illius Eccleſiæ, quotannis, de Bonis Kalinowa ſolvendam conſtituerent, facta ejus cauſæ recognitione, coram actis Conventionalibus Regni Generalibus, Varſaviæ feriâ tertiâ poſt Dominicam ſeptuageſimœ proxima, Annô Domini, milleſimo ſexcenteſimo decimo nono, Quam transactionem, idem Mathias

thias noster, à Serenissimo Rege Sigismundo III. approbari & confirmari curavit, prout eandem confirmationem obtinuit, de Data Varsaviæ, Die quinta mensis Martii, Annô Domini, millesimô sexcentesimo decimo nono.

Neque Ecclesia Parochialis Vrociriensis, Ordinis nostri, frustratâ est beneficiis & liberalitate Mathiæ, illi enim & Parocho ejus, Alberto Jandulio, Canonico Ordinis nostri, ejusque successoribus, ex innata sibi benignitate, unà cum Capitulo Miechoviensi, medium laneum agri desertum, Spodowski dictum, in Villa suæ Præpositur æ Wrocirył, in tribus campis, inter agros Cmetonales consistentem, ad promovendum ibidem cultum Divinum inscripsit, ac perpetuè incorporavit, datô super hoc speciali Privilegiô, de Data Miechoviæ, Die vigesima quinta mensis Decembris, Annô Domini, millesimô sexcentesimo decimo octavo.

Tandem Ecclesia Hospitalis Sanctæ Barbaræ, Ordinis nostri, in Civitate Miechoviensi consistens, à Canonicis nostris fundata, & dotata, à Mathia nostro non mediocri provisione aucta fuit. Et imprimis, cùm jam nominatus Episcopus Posnaniensis esset, antequam valedixisset Canonicis nostris, videns veterem Ecclesiam, vetustate consumptam esse, & volens adhuc in sua Miechovia, jam migraturus ad Posnaniensem Cathedram, perpetuum devoti sui in Deum, ejusque Divos Cœlites relinquere monimentum, non minùs alacriter, quàm devotè, veterem Ecclesiam Sanctæ Barbaræ, demoliri aggressus est, & novam muratam ad honorem Dei Ter Optimi Maximi, & Sanctæ Barbaræ Virginis & Martyris, ad hospitale præfati Oppidi, de coctô latere erigere cœpit, Anno Domini, millesimo sexcentesimô vigesimo septimo, quam in suo opere cum Dei adjutorio, ex totô completam, posteritati reliquit. Antequam autem prædictam Ecclesiam Sanctæ Barbaræ, erigere cœpisset, ut assidua pro se, suaque incolumitate, à pauperibus ad Deum oratio fieret, de sua innata benignitate, Cmetonem unum, Nomine Andream Jadamek, in Villa Wola Podmieyska dicta, cum agris, pratis, aliisque pertinentiis, ab antiquo ad dictum Cmetonem spectantibus, in culturam agrorum Ecclesiæ Hospitalis prædictæ, liberaliter contulit, tradens super hoc literas Authenticas, Præposito Ejusdem Ecclesiæ, de Data Miechoviæ, Decima mensis Novembris, Annô Domini, millesimo sexcentesimô vigesimo primo.

Dum verò Annô Domini, millesimô sexcentesimo vigesimo tertio, & immediatè sequenti, per Tartaros in Russia, Canonicis nostris aliquibus cæsis, & aliquibus in servitutem barbaricam abductis, templa Ordinis nostri, per eosdem Tartaros ibidem expilata, polluta, ædes tam sacræ quàm profanæ exustæ; possessiones Ecclesiarum Ordinis, iteratis Tartarorum incursionibus accisæ, & ad summam inopi-

am redactæ fuerunt, ex quibus *Urzejovicensis* cum Tuligłoviensi, ac tandem Gniewczynensis & Giedlaroviensis, Parochiales Ecclesiæ omni suo ornatu ac supellectili argentea, spoliatæ ac expilatæ, Rudołovicensis autem pariter spoliata, & supposito igne de toto combusta erat. Mathias illis Ecclesiis, damna per has calamitates illata, resarciebat, & quantùm potuit auxiliante Deo compensabat.

Præter tot beneficia, Ecclesiis nostris præstita, Mathias nullis in Ecclesia Dei fractus laboribûs, easdem, ubi necessitas postulabat, sive altaria in iisdem contenta, consecrabat, quod ipsum fecisse constat, in Silesia Charzoviæ, ubi à Joanne Bratkowski, Ordinis nostri Canonico, Præposito illius loci, noviter exstructam, non mediocri sumptu ab ipsis fundamentis, penes Ecclesiam Charzoviensem, satis elegantem Capellam, sub titulo & patrocinio Sancti Joannis Baptistæ, unâ cum reliquis altaribus, Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, cùm esset Episcopus Chelmensis, tum in Ecclesia Ordinis Nostri Cracoviæ, & alibi quatuor altaria consecravit, Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo tertio. Antequam autem Episcopus factus esset, earundem Ecclesiarum Ordinis nostri, quæ consecrandæ erant, consecrationem procurabat, uti Ecclesiæ Parochialis Chodoviensis antiquæ, quam, in Anno millesimo sexcentesimo decimo nono, solenniter consecrari curavit, & in ipso actu consecrationis fuit, plurimis aliis Prælatis invitatis.

Non satis adhuc habens Mathias Noster, quòd dum esset Præpositus Generalis, tot ac tantis beneficiis, ut supra commemoratum est Ecclesias Ordinis nostri cumulaverit, verùm factus Episcopus Posnaniensis, amplioribus hunc Ordinem gratiis exornare non destitit, cum unâ cum Fratre suo, Stanislao Lubieński, Episcopo Płocensi, Viro, perpetuô præconiô, ob ipsius in Ecclesiam & Patriam, tum verò præcipuè in Ordinem Nostrum benemerita, celebrando, unâ igitur cum hoc clarissimo suo Fratre, Ecclesiam in fundo Wągczowiensi, Regalis jurisdictionis, in Palatinatu Siradiensi, ab ipsâ Civitate Siradia, duobus milliaribûs distante, ubi antiquitus Ecclesia Sancti Clementis Pontificis & Martyris, sæcularem habens Parochum, ex ligno constructa habebatur, & in qua corpora, piè defunctorum majorum suorum, sepulta quiescunt, ac in ipsa, sacro baptismate, (nam Parochialis est,) pientissimi Fratres, abluti erant, priori diruto, ligneorum & diuturna carie corruptorum, jamque pene labentium parietum, vetusti templi ædificiô, novam deinceps Ecclesiam, lateritio opere, muratam & concameratam, in eodem loco, ab ipsis fundamentis, magnifico sumptu exstruxit, exornavit, altaribûs ac picturis elegantibus condecoravit, liberaliter dotavit, Divinamque laudem amplificavit, additis ad eandem aliis percommodis, ex solido quoque muro structuris & residentiis. Eam autem non cuipiam alteri, præterquam nostris Canonicis,

nicis, ex intimo erga Ordinem affectu, ferventissimo zelo, & magna erga Ordinem nostrum propensione, regendam & gubernandam addixit.

Antequam autem, prædictam Ecclesiam, plenè & in suo opere perfecto erexisset, priùs ejusdem fundationis confirmationem, & juris patronatûs Ordini nostro cessionem, à Serenissimo Sigismundo III. Poloniæ & Sveciæ Rege, & à Regni Ordinibus, jure perpetuo impetravit: de Data Varsaviæ, in Conventione Regni Generali, Die prima mensis Martii, Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, tenoris sequentis: *Exempla etiam majorum nostrorum, Serenissimorum Regum Poloniæ, qui ex Monasterio Miechoviensi, evocatos Religiosos, maximè ad curam animarum gerendam ideneos, re ipsa experti in compluribus Regni locis, Ecclesiarum Regimen illis demandârunt, secuti; hanc eorum Ecclesiæ, in Villa nostra Wągczow, à fundamentis erectionem, Præpositura & Presbyterorum fundationem ac dotationem, authoritate nostra Regia confirmandam, ratificandam & approbandam, Jusque Patronatûs nostrum Regium, quod nobis in antiqua Ecclesia competebat, Præposito Generali Miechoviensi, & Ordini ipsius, jure perpetuo attribuendum, uniendum & incorporandum duximus, prout præsentibûs literîs nostrîs, de omni meliori modo, forma, & jure confirmamus, ratificamus, approbamus, attribuimus, unimus, incorporamus, totumque jus nostrum, quod Divis majoribus nostris, Regibus Poloniæ, ac nobis ipsis in dicta Ecclesia & Parochia competebat, ac Serenissimis quoqué successoribus nostris, competere poterat, in præfatum Præpositum Miechoviensem, & Ordinem ipsius plenè, totaliter & omnimodè transferimus, perpetuò & in ævum.*

Cùmque dos antiqua prædictæ Ecclesiæ, valde tenuis esset, Decimam manipularem, quæ à Colonis Villæ Wągczow, ad mensam Archiepiscopalem exigebatur, á quodam, qui advitali jure eam possidebat, suâ pecuniâ redemptam, à piæ memoriæ Illustrissimo Laurentio Gęmbicki, Archiepiscopo Gnesnensi, consensum suum prœbente universali Capitulo Almæ Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis, impetravit. Ut verò majoribûs, hæc ipsa nova fundatio, deinceps niteretur adminiculis, & esset unde Collegium Canonicorum nostri Ordinis, continuas Deo laudes persolventium, honestè ac decenter viveret, totam & integram villam Prochna, Ecclesiæ Wągczoviensi contiguam, in terra & districtu Siradiensi consistentem, à Magnifico Adamo Więżyk, Thesaurario Siradiensi, more & cõsvetudine terrestri emptam, eidem Ecclesiæ Wągczoviensi, jure perpetuæ & irrevocabilis donationis & resignationis, pro fundo & dote consignavit & coram officio & actis Castrensibus Capitaneatûs Varsaviensis Annô millesimo sexcentesimo trigesimo secundo, feriâ tertiâ ante Festum Sanctæ Elisabeth proxima, de actu in Curia Regia Varsaviensi, eidem Ecclesiæ & Conventui Canonicorum Sancti Se-

pulchri dedit, donavit & inſcripſit. Ac inſuper ſummam annui cenſûs, ſeptingentorum florenorum Polonicalium, pro ſumma decem millium florenorum Polonicalium, in certis bonis terreſtribus hæreditariis, ab omni onere mundis & liberis, collocatam & inſcriptam; eidem, & Conventui Canonicorum noſtrorum, adſcripſit & incorporavit, relicta in Turri ejuſdem Eccleſiæ ab extra, ad perpetuam memoriam, in tabula marmorea, ſed magis in cedro & auro notanda inſcriptione: *Tibi Domine, Matri Tuæ Reginæ Cæli, cæterisquè hujus loci & ſuis Patronis, Stanislaus Luceorienſis, Regni Vicecancellarius, Mathias Chelmenſis, Præpoſitus Generalis Miechovienſis, Epiſcopi, Albertus, Gneſnēſis & Cracovienſis Canonicus, Martinus Societatis JESU Preſbyter, Sventoslaô Lubienſki Pomianô, & Barbarâ de Zapolice Pobogiâ geniti, beneficiorum à te, qui eos omnes altari tuo addixiſti, & à piis Parentibus piæ educationis acceptæ memores, hanc ædem, in qua olim ex ſacro fonte renati ſunt, antea ligneam, cocto latere, à fundamentis excitatam, ornatam, dotatam, collocatìs in ea Canonicìs Regularibûs Sancti Sepulchri, dicarunt, Annô Domini, milleſimô ſexcenteſimô vigeſimô ſextô.*

Taliter fundatam & dotatam Eccleſiam, atque Canonicis Noſtris attributam, ipſemet Mathias, jam tunc Epiſcopus Poſnaniénſis, in magna frequentia hoſpitum, & præcipuè Cleri, octavô Idus Octobris, Annô Domini, milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono, conſecravit, & Sanctorum: Clementis Mattyris, & Auguſtini Epiſcopi & Eccleſiæ Doctoris, honori dedicavit, erectionemquè ejuſdem, in pargameno, unà cum Fratre ſuo Stanislao, Epiſcopo protunc Płocenſi, eadem die, & ſub eadem Data, in Villa ſua hæreditaria Łubna, conſcripſit & ſubſcripsit, quam poſtea ab Archiepiſcopo protunc Gneſnensi, Joanne Wężyk, de Data & actu Łovicii, die mercurii vigesima ſexta Mensis Aprilis, Annô Domini, millesimo ſexcentesimo trigeſimo tertio, imò & à ſede Apoſtolica, in conſtitutionibus Ordinis, à ſe univerſo Ordini ſuo, conſcriptis, Capite ſeptimo, approbari curavit & obtinuit. Auxit conſequenti tempore, idem Mathias noſter, hanc ipſam Wągczovienſem Eccleſiam, haud exiguis proventibûs ac largitionibûs, utpote censibûs reemptionalibus, hortìs & hortulanìs, piſcinìs ac Decimìs, & præcipuè dum eſſet Archiepiſcopus Gneſnenſis, donatione Decimarum manipularium, omnis grani & ſeminis, ad menſam ſuam pertinentium, videlicet villarum, & quidem Godynice Regalis, poſt omnes & ſingulos, tam antiquos quàm de novo extirpatos agros Cmethonales, ac molendina ſingula, ad eandem hæreditatem pertinentia, & in nova radice locata. Item Brząſzovice, poſt omnes tàm Prœdiales, quàm Cmethonales, itidem de novo extirpatos agros; Brudzowek, ſub Wągczoviensi Parochia, villæ militaris poſt omnes & ſingulos Cmethonales agros, quam donationem, cum conſenſu Capituli, Almœ Ecclesiœ Metropolitanœ Gneſnensis

fecit,

fecit, Instrumentumque super easdem decimas, cum suæ manûs & Capituli subscriptione, tum cum singulis, dedit, deData in Opatowek, die decima sexta Mensis Septembris, Annô Domini, millesmo sexcẽtesimo quinquagesimo. Prœstat tanti ejus beneficii inserere documẽtũ

Mathias à Lubna Lubieńſki, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ, Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus, Natus, Regni Poloniæ Primas primusquê Princeps. Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest universis. Quia nos Admodum Reverendi Maximiliani Jarochowski, Custodum Sanctissimi Sepulchri Hierosolymitani, Præpositi Wągczoviensis, studium, Zelum & pietatem, in exornanda Ecclesia Parochiali Wągczoviensi, augendoquè Cultu Divino, promovere cupientes, eidem in subsidium ejusmodi necessitatum, Decimas manipulares, omnis grani & seminis, ad mensam nostram pertinentes, villarum, & quidem Godynic Regalis, post omnes & singulos, tam antiquos quàm de novo extirpatos agros Cmethonales, ac molendina singula, ad eandem hæreditatem pertinentia, & in nova radice locata: Brąszowice, post omnes tam prædiales, quàm Cmethonales, itidem de novo exstirpatos agros, Brudzowek sub Wągczoviensi Parochia, Villarum militarium, post omnes & singulos agros Cmethonales, uti quidem easdem, quæ nec mensæ nostræ, nec cuipiam alteri extraduntur, dandas & conferendas esse duximus, prout damus & conferimus, futuris & perpetuis temporibus, sub ratihabitione tamen, Illustrium & Admodum Reverendorum, Prælatorum & Canonicorum, totiusquê Venerabilis Capituli, Almæ Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis, Fratrum nostrorum charissimorum, cum ea conditione, ut postquàm Decimarum, liberè & pacificè adierit possessionem, extunc Præpositus, sit adstrictus, sive per se, sive per Vicarium suum, pro Defunctis Antecessoribus nostris, unum, pro nobis verò alterum sacrum absolvere. In quorum fidem, præsentes manu nostra subscribimus, Sigillóquê nostrô communiri jussimus. Datum in Opatowek, die decima sexta Septembris, Annô millesimô sexcentesimô quinquagesimo. Mathias Lubienski Archiepiscopus Gnesnensis mpp. Locus † Sigilli Archiepiscopalis. Stanislaus Sławieński, Cancellarius Gnesnensis, mpp. Locus † Sigilli Capituli.

Auxit prætera & supellectili sacra, tam in argento, auro, quàm in ornamentis & libris, ad cultum Divinum pertinentibus, & præcipuè aliquot paria Candelabrorum Argenteorum, pro usu Sacri Altaris, Casulas rubri coloris, ex tela auro intertexta, aulæa ex Damascena rubra & viridi, persicas duas, partem librorum notabilem, imagines insigniores, unà cum aliis rebus minutioribus, necessariis tamen, & quibus ista Ecclesia, indiga fuit, eidem Ecclesiæ donavit, dedit & incorporavit. Vivet proinde in nostrorum Canonicorum cordibus, in Ecclesiarum à se fundatarum monimentis, in annalibus, in fastis, nequé ulla ætas vel adeò immomor, vel adeò ingrata erit, quæ optimi Præsidis nomen, virtutes, res gestas, non suspiciat, non admiretur, non extollat, aut illius præconia, justa prædicatione, celebrare aliquãdo conticescat.

CAPUT DUODECIMUM

De Zelo Mathiæ Jurium sui Ordinis.

ETsi tot & tantas ingentes curas, labores, sudoresq; in exornando, promovendo, ampliandoqué Ordine Canonicorum Sanctì Sepulchri, impenderet Mathias noster, tamen adhuc majoribûs illum beneficiis amplificare, jura vindicare, tueriqué non desistebat, ingentiqué Zelô ejus immunitates, prærogativas defendebat. Et sic cum Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo, Diebus Februarii, celebrata fuisset Cracoviæ, ad ædes omnium Sanctorum, Diœcesana Synodus, per Reverendissimum Dominum, Martinum Szyszkowski, Episcopum Cracoviensem, in qua etsi pro augmento Cultûs Divini, & reformatione Cleri, plurima sancita fuissent, quia tamē immunitatibus Regularium, derogare, illorumque statum, quodammodo opprimere videbantur, Abbates & aliorum Ordinum Regulares, qui præsentes Synodo affuerant, protestationibûs interpositis graviter hujusmodi constitutionibus reclamarunt; Noster Mathias Præpositus Generalis, cum præsens Synodo ob discessum suum Varsaviam, non adfuisset, posteaquàm ex itinere rediisset, de his omnibus, quæ in hac Synodo acta sunt commonefactus, & aliorum Regularium exemplô permotus, contra hanc Synodum, solenniter protestatus est, quam suam protestationem, per manus Samuelis Nakielski, Sacræ Theologiæ Doctoris, Pæpositi Conventûs Cracoviensis Sanctæ Hedvigis, Canonici sui, Reverendissimo Loci ordinario detulit. Quod autem fecit Mathias contra Synodum Cracoviensem, Authoritate Martini Szyszkowski, Episcopi Cracoviensis congregatam, id ipsum fusiùs in Synodo Provinciali Petricoviæ, Die decima nona Aprilis, ejusdem Anni congregata, ubi ex toto Regno, omnes fere Episcopi convenerant, fecit, gravissimisqué verbis, immunitatem & prærogativas Ordinis sui, apud Synodum tutatus est & promovit.

Cùm verò Canonica Miechoviensis in Nostra Polonia, post extinctas Hierosolymas, sit Ordinis Canonicorum Sancti Sepulchri Caput, ubi Præpositi Generales Ordinis, sedem ordinariam habent, & cujus jurisdictioni, parebant Ecclesiæ, quæ sunt & fuerunt in Hungaria, in Silesia, in Bohemia, & posteriùs in Belgio, temporibus Petri Korycinski, Præpositi Generalis in Polonia, idcircò Mathias noster, illô qui sibi ex variis Privilegiis competebat, in variis rescriptis à se editis, utebatur titulô, nempe, *Mathias Lubieński, Divina vocatione Præpositus Generalis, totius Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Sepulchri.* Ut autem res titulo correspondert, curavit ex animo, Ecclesias & Conventus, quæ sunt in Silesia & Bohemia, sibi conjungere, curavit Canonicam Infulatam Nissensem, cum suis membris, quæ olim

Juris-

Jurisdictioni Præpositorum Miechoviensium parebat, illorumque o-bedientiam quondam agnoscebat, in pristinum statum, communemque statutorum Ordinis observantiam, reducere. Quare obtentis ea in re, à Serenissimo Sigismundo III. Poloniarum & Sveciæ Rege, ad Episcopum Vratislaviensem, (qui tunc erat, Carolus Episcopus Brixiensis & Vratislaviensis, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliœ, Vitembergœ, Comes Tyrolis) uti affinem suum suffragatoriis (ut ajunt) literis, suis quoque ad eundem conscriptis, Samuelem Nakielski, Canonicum Ordinis sui, virum ad tractanda quœvis maximi momenti negotia idoneum, ad id negotium conficiendum designavit, & adjunctô ei in socium Alexandrô Zbikowski, Canonicô nostrô, pro eo tempore Custode Miechoviensi, Nissam in Silesiam misit. Literas prœdictas Serenissimi Poloniarum Regis, cum & originem Canonicorū Sancti Sepulchri Nissensium, & Matricitatem nostrœ Miechoviensis Canonicœ, & Zelum nostri Mathiœ in vindicandis Juribus sui Ordinis, tum Patrocinium ipsius Regis, ad tuendum Jus nostri Mathiæ contineant, hic inserendas putavi.

Serenissime Princeps, cognate & affinis noster, uti Fili Charissime. Ab annis propè Quingentis, deducta est in Regnum nostrum, ex Hierosolymitana Patriarchali Ecclesia, eorum Religiosorum Colonia, qui Divi Augustini Institutum professi, ac duplicata Cruce rubea insigniti, Custodes Sepulchri Domini dicuntur, sacræ hujus Familiæ, summa cum potestate, præses est Præpositus Miechoviensis, summorum Pontificum Authoritate constitutus, sparsasqué per Regnum nostrum ac vicinas Hungariæ, Bohemiæ, & Silesiæ Societates & Conventus, ad suum jus pertinere, & primævis vetustæ fundationis diplomatibus, ex quibus apparet, reliqua Cœnobia, ex Miechoviensis Instituti fontibus derivata esse, & usu legitimo continuatæ jurisdictionis liquidò comprobat. Tale est Monasterium Nissense, quod deductis Miechoviâ Fratribus, à trecentis circiter Annis, liberalitate magnæ pietatis, Thomæ tunc Episcopi Vratislaviensis, dotatum & fundatum, semper & ortûs sui initia, ad Monasteriū Miechoviense referebat, & Præpositum Miechoviensem, tanquam eum, ad cujus jurisdictionem pertinebat, & ex instituto Ordinis, & præscripto Fundatoris sui, venerатur. Intermissum hoc jus abusu quodam, repetit nunc Reverendus *in Christo Pater Mathias Lubieński, Episcopus Chelmensis, & Præpositus Miechoviensis, ejusdem Ordinis Institutum professus, idqué & nostra fretus Authoritate, & juris sui prærogativa, se consecuturum confidit. Neque dubitat Serenitatem Vestram, causâ hâc, cui nos & favorem & patrocinium debemus, cognitâ, justis illius desideriis assensuram, maximè cum ille, nec suum ullum commodum, in eo quærat, nec quidquam alienum appetat, illud tantùm urget, ut illi fortasse vel errore, vel oblivione sui Ordinis, ab obsequio & Societate propagatorum suorum, recesserunt, iterum eò, unde exciderunt, restituantur. Pertinebit*

bit hoc ad eximiam Serenitatis Vestræ pietatem, & singulare cultûs Divini propagandi studium si Serenitas Vestra ea in re voluntatem suam, nostro desiderio accommodaverit, causamqué Præpositi Miechoviensis, suo favore & patrocinio promoverit. Quod nos mojorem in modum, à Serenitate Vestra postulamus. Varsaviæ Die prima Januarii, Annô Domini millesimô sexcentesimô vigesimô quartô.

Pariter Mathias noster, ad eundem Episcopum Vratislaviensem, in hoc negotio scripsit, literasqué per suos Legatos transmisit, in quibus talibûs verbis in vindicanda suæ jurisdictioni Canonica Nissensi, suum Zelum exposuit: *Nissense Canonicorum Regularium, Divi Augustini, qui sub Nomine Custodum Sepulchri Domini, duplici rubea Cruce, à cæteris distingvuntur, Collegium, ab ipsa fundatæ ejus Ecclesiæ Origine, deductis eò, ex Monasterio Miechoviensi viris Religiosis, ita constitutum est, ut qui isthic agerent, imperium, potestatemqué Præpositi Miechoviensis agnoscerent, & sub ejus essent obedientia, à qua cùm injuriâ temporum, vel recessissent, vel abstracti fuissent, & ad jus, officiumqué meum pertineant, eorum salutis rationem habere, nec sinere, ut membra, à Capite avulsa, stationem religiosam deserant. Supplico Serenitati Vestræ, ut in asserendo jure meo, & ad obedientiam meam revocandis Nissensis Monasterii Religiosis, mihi opem & auxilium ferre dignetur. Explicabit Serenitati Vestræ, Religiosus Samuel Nakielski, Canonicus Ecclesiæ meæ Miechoviensis, & Stradomiensis ad Cracoviam Præpositus, juris mei rationes, ostendetq; Nissenses Religiosos, & ab initio è Miechoviensi Monasterio, eò deductos, votoqué obedientiæ, Præposito Miechoviensi obstrictos fuisse, & deinceps eidem paruisse, & nunc cum nemo alter sit, qui huic Ordini, Generali cum potestate præsit, Miechoviensi Præposito, ad quem hoc munus, simul ac Ordo iste, ex Hierosolymitana Ecclesia, in istas partes deductus est, delatum fuit, huic uni parere debere. Non dubito Serenitatem Vestram, pro sua pietate, tam justæ & piæ petitioni meæ favorem & patrocinium suum accommodaturam, maximè cum Serenissimus Rex noster, idem adeo obnixè à Serenitate Vestra contendat, suumqué vicissim patrocinium, ad tuendum jus Ecclesiæ meæ, ultro mihi deferat. Deus Optimus Maximus, Serenitatem Vestram, diu* Ecclesiæ *& Augustæ Domui Austriacæ, atqué adeo Orbi Christiano servet incolumem.*

Præter hos & alios labores, in vindicandis juribus Ordinis sui, à Mathia susceptos, alios ultra & ultra labores & sumptus adhibuit, dum Alexandrum Zbikowski, Canonicum Sancti Sepulchri, virum probum ac eruditum, protunc Custodem Miechoviensem, Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, Romam cum statu Diœcesis Chełmensis, & pro expediendis Ordinis Sancti Sepulchri negotiis, misit, expensam & sumptum, aliaqué necessaria, pro tam longo itinere & mansione in Urbe, subministravit, per quem statuta & constitutiones Ordinis, à se cum consensu Capituli, Canonicorū

Sancti

Sancti Sepulchri, sancitas, ab Urbano VIII. approbari curavit; & per breve suæ sanctitatis, de Data Romæ, Decimâ quartâ Januarii, Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, eandem approbationem obtinuit. Ut autem tutiùs juribus sui Ordinis, & totius Congregationis suæ Polonæ, Mathias noster consuleret, Samueli Nakielski, sui Ordinis Canonico, viro, ingenio, eruditione & doctrina præstantissimo, jura, privilegia, immunitates, exemptiones, beneficia, tum à summis Romanis Pontificibus, tum ab ipsis Hierosolymitanis Patriarchis, tum ab aliis Archiepiscopis, Episcopis, Regibus, Principibus, Dynastis, Baronibus ac plerisqué Regni Poloniæ, utriusqué status nobilibus, Ordini nostro, & universæ Congregationi Miechoviensi, gratiosè collata, Ecclesiarum nostri Ordinis fundationes, incrementa, in unum colligere, conscribere, & in volumen grande redigere, commendavit, super quo, typo imprimendo, sub titulo: *Miechovia sive Promptuarium antiquitatum, Monasterii Miechoviensis*, ad communem Ecclesiarum sui Ordinis usum & defensionem, sumptum non exiguum, liberaliter Authori suppeditavit, per quod suum Zelum, in tutandis & manutenendis immunitatibus sui Ordinis, monstravit & declaravit.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De gestis Mathiæ, in Episcopatu Chełmensi.

VEnit jam tempus illud & hora, quô eximia Mathiæ nostri virtus, ad altius & sanctius candelabrum evehitur, quô emeritum ejus in Ecclesia Caput, Episcopalibûs Infulis coronatur, & Senatoria in Regno dignitate præmiatur; venit jam ad Mathiam, ille honor, & Episcopalis dignitas, quæ pridem dum adhuc nullæ spes essent, ante annos octodecem, Mathiæ nostro, *à* Pstrokonio Episcopo Præmisliensi, viro non minùs docto, quàm pio, prædicta, & spiritu Divino prophetata, ut Capite quarto innui; cum enim Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo, post obitum Georgii Zamoyski, de armis Jelita, ultimi & immediati Chełmensis Episcopi, Cathedra Chełmensis vacaret, Rex Sigismundus III. Princeps, nunquam in mandandis magistratibus, & decernendis honoribus, *à* scopo Reipublicæ dignitatis aberrans, & Mathiæ nostri, multifariam eruditionem, & in rebus gerendis prudentiam & dexteritatem, optimé perspectā habens, sed præcipue ejus in Ordine Canonicorum sancti sepulchri contemptum sæculi, honorum & dignitatum, cultûs Divini augendi & propagandi zelum, insigne pietatis studium, è longinquo, tanquam per speculam cernens, eundem Mathiam, ad Episcopatum Chełmensem, tempore Comitiorum Varsaviæ, tertio No-

nas Novembris, Anni ejusdem, millesimi sexcentesimi vigesimi, indictorum, nominavit ac designavit. Non mea hæc sunt verba, nequé motiva hæc, promotionis Mathiæ ad Episcopatum, absqué fundamento relata, sed Stephani Damalewicz, in Serie Archiepiscoporū Gnesnensium, oculatissimi Mathiœ testis, qui sic inquit: *Et tunc jam Mathias, in Aula Regis, vitæ Religiosæ studio illectus, Divi Augustini Hipponensis Episcopi, fuisset amplexus institutum, in illo cænobio, Canonicorum Hierosolymitanorum, Custodum sepulchri Domini, certavit ita, cum ea moderatione animi, & sæculi contemptu, ut eum, ad Chelmensem Episcopatum Rex evexerit.* Hoc ipsum & Rex ipse testatur, in Epistola ad Paulum V, Pontificem Maximum, inferius in hoc Capite adducenda, his verbis: *Postquam curam Monasterii Miechoviensis* (Mathias) *suscepisset, ubi Religiosam vitæ institutionem, ad pristinam observantiam revocavit, universumqué eum Ordinem, totum demandati sibi muneris, & suæ jurisdictioni subjectum, lustratâ Provinciâ, ad normam legitimam, primævo Instituto conformem, redegit. Hic ejus cultûs Divini augendi & propagandi zelus, hoc tam insigne pietatis studium, me induxerunt, ut eum Episcopum Chelmensem designarem.* Diceret aliquis; Mathiam nostrum, ad Episcopalem & Senatoriam in Regno dignitatem, evectum esse ex eo, quod fuerit nobilissimœ in Regno Familiœ? quod Promotores suos apud Regem habuerit? quòd Regi placere & adulari studuerit? quòd opes ad obtinendum Episcopatum profuderit? sed non ideo, verùm ut gravissima, supra allegata evincunt testimonia, quod Mathias Ordinem Sancti Sepulchri ingressus, sæculum & ipsos honores, Infulasqué contempserit, cultui & honori Divino, in Ordine Canonicorum Sancti Sepulchri, pietatiqué ac aliis virtutibus, totum se dedicaverit.

Facta nominatione nostri Mathiœ, ad Episcopatum Chelmensem ejusdem nominationis, ad Canonicos Chelmenses, hujusmodi Literœ à Rege amandantur. *Venerabiles devotè nobis dilecti. Quantæ curæ nobis sit, ne Ecclesia Chelmensis, defunctô Reverendô Dominô Georgiô Zamoyski, Pastore ejus, detrimentum patiatur, ex eo Devotiones vestræ perspicere possunt, quòd simul atqué mors ejus nobis nuntiata fuit, alium qui ei succederet, nominandum duxerimus, Reverendum Mathiam Lubieński, Præpositum Miechoviensem, Secretarium nostrum, virum ætate maturum, experientiâ probatum, pietate ac eruditione præstantem, & iîs virtutibûs, quæ eis, qui curæ animarum, Senatoriæ in Republica functioni conjunctæ, admovendi, sunt necessariæ, cumulatè ornatum. Quod nostrum de eo judicium, tanti Devotiones vestras habituras existimamꝰ, ut continuò nominationem, designationemqué nostram, pronis voluntatibus eas accepturas, eundemqué Reverendum Mathiam Lubieński, sibi in Pastorem & Episcopum, dari à Sanctissimo Domino, consentientibûs animis postulaturas, non dubitamus. Quod ut faciant, studiaqué sua voluntati*

luntati nostræ accommodent, Devotiones Vestras hortamur, quibus gratiam nostram deferimus, ac bene easdem valere cupimus. Datum Varsaviæ Die sexta Februarii, Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo primo.

Accepto tali nuntiô, à Regia Majestate Canonici Chelmenses, notam habentes virtutem, aliasqué animi nobilissimas dotes, nostri Mathiæ, summo repleti gaudiô, Sacræ Regiæ Majestati, pro tam grata Persona, submissas persolverunt gratias, in hisce subsequentibus ad Regem conscriptis literis.

Serenissime Rex Sigismunde, Domine Domine Clementissime. Quòd optatis Nostris, favor Sacræ Regiæ Majestatis, Domini Nostri Clementissimi, responderit, est quod & nobis gaudeamus, & Illustrissimo & Reverendissimo Domino, Episcopo Nominato Chelmensi, gratulemur. Talem namque Pastorem, ad Ecclesiæ vacantis gubernationem, Sacra Regia Majestas Vestra, admovere dignata est, qui & Ecclesiæ Dei, nobilissimîs suis Episcopatu dignîs virtutibûs, lucem multam afferret, & Regno pro amplitudine Ordinis Senatorii, fide, consilio, dexteritate, nulla in re unquã deesset. Immortales gratias, Sacræ Regiæ Majestati Vestræ, quanta possumus submissione agimus, quòd dispositione Divina, tantæ exspectationis Virum & tam maturum ad Episcopatum Chelmensem, designatum esse voluerit, quem etiam & nos, Authoritatem Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ secuti, concordibus sententiîs, Episcopali Sede dignissimum judicavimus, & Sanctissimo Domino Nostro, Cathedræ hactenus vacanti, Authoritate Apostolica præfici, supplices postulavimus. Quod superest, Sacram Regiam Majestatem Vestram, Dominum Nostrum Clementissimum, toto Orbe, omni genere laudum florentem, Regni hostibus invictum, diutissimè vivere & valere cupimus. Datum Crasnostaviæ, Die sexta mensis Martii, Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo primo.

Eadem sua desideria, tum gaudium universæ Diœcesis Chelmensis, ex designatione Mathiæ Nostri, ad Episcopatum prædictum, Canonici Chelmenses, Gregorio XV. Pontifici Maximo, noviter protunc electo, in literis à se ad eundem Pontificem conscriptis, exposuerunt, & eundem Cathedræ suæ præfici, supplicârunt, tenoris sequentis.

Beatissime Pater. Post oscula Beatorum pedum Sanctitatis Vestræ, in publico totius Diœcesis Nostræ gaudio, fateri non possumus, quin apud Te Pontifex Optime, Dei Maximi Vicarium, Principemque generis humani, testemur habitum hoc animi quoque nostri gaudium, profiteamur lætitiam, quòd Serenissimus Rex Sigismundus, Dominus noster Clementissimus, ætatis maturitate vigentem, pietate ac eruditione præstantem, cæteris etiam sive Pontificis, sive Senatoris dotibûs, nobilissimè ornatum, Reverendissimum Dominum, Mathiam Łubieński, Præpositum Generalem Miechoviensem, Sacræ Regiæ Majestatis Secretarium, Episcopatûs Chelmensis fastigiô, dignum arbitratus, Collegio nostro Capitulari commendarit.

Judicium Sacræ Regiæ Majestatis, Ecclesiæ & Regno plurimum profuturum, cum cerneremus, libenter id secuti, designationem tanti in Polonia Viri, ratam habuimus, eumque unanimi consensu, Pastorem & Episcopum nostrum delegimus, atque à Sanctitate Vestra, vacanti hactenus Chelmensi Cathedræ, præfici postulare non dubitavimus: quod quemadmodum, consentientibus animis, cùm facimus, ut supplicationi nostræ, pro suæ Sanctitatis benignitate & gratia, annuere non dedignetur, submissè oramus. Deum immortalem precabimur, ut Sanctitatis Vestræ felicia hæc initia, prosperrimi in Ecclesia Dei, consequantur eventus, Sanctitatem Vestram diu, & feliciter totius Orbis Christiani & commodis & ornamentis, vivere & valere cupimus. Crasnostaviæ. Die octava mensis Martii, Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo primo.

Tandem ipse Rex Sigismundus III. hanc promotionem Mathiæ, ad Episcopatum Chelmensem, Paulo V Pontifici Maximo, in sequẽtibus literis suis, summopere cómmendat, in quibus & virtutes ejus enumerat, & insuper eundem, absque ulla labe vixisse fatetur, quarum Literarum fragmentum, ad perpetuam tanti Viri memoriam & commendationem, hic inserendum putavi: *Vitâ functo Reverendo Georgiô Zamoyski, Episcopo Chelmensi, cùm animadverterem Episcopatum illum, quò inter cæteros Russiæ Episcopatus, minores reditus habet, eô ampliori egere subsidiô, Reverendum Mathiam Lubieński, Præpositum Miechoviensem, Ordinis Divi Augustini, Custodum Sepulchri Domini Generalem, & ejusdem Ordinis institutum, ante aliquot annos professum, Secretarium nostrum, ad eundem Episcopatum, promovendum suscepi, Virum hoc honore imprimis dignum, ob eruditionem, pietatem, & Sacerdotalis functionis, quam à viginti prope Annis, absque ulla labe sustinet, peritum. Crevit in Aula mea, gravissimis & difficillimis quibusque, functus magistratibûs, in Ecclesiasticis verò functionibus, probavit operam & industriam suæ summæ prudentiæ Antistitibus, maximè posteaquã curam Monasterii Miechoviensis suscepisset, ubi religiosam vitæ institutionem, ad pristinam observantiam revocavit, universumque eum Ordinem totum, demandati sibi muneris, & suæ jurisdictioni subjectum, lustratâ Provinciâ, ad normam legitimam primævo instituto conformẽ, redegit. Hic ejus cultûs Divini augendi & propagandi zelus, hoc tam insigne pietatis studium, præter obsequia, quæ mihi summa cum laude, præstitit, me induxerunt, ut eum Episcopum Chelmensem designarem, ac Sanctitati Vestræ commendarem, ab eaque magnopere peterem, ut reservata Præpositura Miechoviensi, in qua restauranda, multùm operæ, non minus & sumptuum, ille hactenus impendit, & cujus proventus, militari licentia, satis accisi sunt, Episcopum Chelmensem Authoritate Apostolicâ, eum esse jubeat nominationemquẽ & designationem ratam habeat &c.*

Cùm autem brevì, sub initium Anni millesimi sexcentesimi vige-

simi

ſimi primi, idem Pontifex Paulus V. ex humanis ſublatus eſſet, & in locum ejus Die Nona Februarii, ejuſdem Anni, Gregorius ejus Nominis XV. votis Cardinalium electus fuiſſet, ad eundem noviter electum Pontificem, idem Rex, Noſtrum Mathiam, pro obtinendo Epiſcopatu Chelmenſi, per literas recommendare & ejus virtutes deprædicare, non intermiſit, quarum Literarum fragmentum, quod magis ad rem noſtram faciat, hic pono: *Epiſcopum Chelmenſem, Reverendum Mathiam Łubieńſki, ita à Sanctitate Veſtra confirmatum, ut cum Epiſcopatu cujus tenues admodum rationes ſunt, Præpoſituram Miechovienſem, Canonicorum Divi Auguſtini, Cuſtodum Sepulchri Domini Hieroſolymitani, quam hactenus, eandem Regulam Profeſſus, obtinuit, deinceps quoque Sanctitate Veſtra, ſacris legibûs illum ſolvente, obtineret, & ut in expediendis æſtimandisqué Apoſtolicis diplomatibus, ratio ipſius haberetur. Merentur id præclaræ virtutes, ejuſdem deſignati Epiſcopi, conſtans Ipſius de Eccleſia Dei, benemerendi ſtudium, & eximiæ animi & ingenii dotes, quibûs jam dudum, ut eum ſingulari beneficentia proſequerer effectum eſt &c.*

Hoc ipſum & ad Cardinalem Monte Altum, idem Rex Sigiſmundus ſcripſit, & Mathiam Noſtrum, in eodem negotio, tum virtutes ejus, cum ſummo elogio deprædicavit, in ſubſequenti Literarum fragmento, *Vacat nunc ea ſedes Reverendi olim Georgii Zamoyſki obitu, cui nos promotione noſtra, Reverendum Mathiam Łubieńſki, Præpoſitum Miechovienſem, Ordinis Canonicorum Divi Auguſtini, Cuſtodum Sepulchri Domini Generalem Profeſſum, ſubrogandum Sanctiſſimo Domino Noſtro proponimus. Commendamus diligenter Illuſtrati Veſtræ, hunc à nobis deſignatum Epiſcopum, Virum gravem, ætate maturum, diuturno rerum uſu, ad omnes Eccleſiaſticas functiones, ſumma cum laude ſuſtinendas formatum, de Eccleſia Catholica ac de nobis præclarè meritum &c.* Neque prætermittendas cenſui Literas, ejuſdem Sereniſſimi Regis, ad Cardinalem Ludoviſium, in negotio promotionis Mathiœ, ad eundem Epiſcopatum, *Reverendum Mathiam Łubieńſki, Præpoſitum Miechovienſem, Secretarium noſtrum, quem nominatione noſtra, Epiſcopum Chelmenſem deſignavimus, & Sanctiſſimo Domino Noſtro, renuntiando commendavimus, Illuſtritati Veſtræ magnopere commendamus. Eæ ſunt illius virtutes, id de Eccleſia Dei benemerendi ſtudium, ut dignus ſit omni favore. Tenues ſunt rationes, iſtius Epiſcopatus, acciſœ nimis facultates, inter Schiſmaticos illi agendum, & cum illis quotidie decertandum eſt. Quare petimus à Sanctiſſimo Domino Noſtro, ut Præpoſituram Miechovienſem, Canonicorum Divi Auguſtini, Cuſtodum Sepulchri Domini, quã eandem Regulam profeſſus poſsidet, cum Epiſcopatu Chelmenſi, illi reſervet, & in ſua Sanctitate legibus Canonicis illum ſolvente, utrumqué hoc Sacerdotium, licitè retinere poſſit, Authoritate Apoſtolica jubeat &c.*

Hæc dum ita aguntur, Mathias Noſter functionis Epiſcopalis magnitu-

gnitudinem, & suas vires, diligenter expendendo, diu anxius & sollicitus de hac sua vocatione, ad Episcopatum fuit, nesciens rem magisne amplectendam, an omni conatu fugiendam. Multa occurrebant ei, quæ animum ejus, determinatum ad non acceptandum Episcopatum reddebant, nam veniebat in mentem ejus, gravissima functionis Episcopalis difficultas, ipsis etiam Angelicis humeris formidanda, dicebat sibi, & quæ ab Avunculo suo, Mathia Pstrokonio, in monitis domesticis audiebat, repetebat: Sanctissimos quoque Viros, tantopere delatum Episcopalem honorem, aspernatos fuisse, ut in speluncis latere, vitæ quodvis periculum adire, patriâ extorres esse, & voluntarium pati exilium maluerint, quàm tanto oneri subjicere cervicem. Exempla quoque ibi sibi data, ad memoriam reducebat: Sancti Nilamnonis, cujus Nomen fastis Ecclesiasticis ad diem octavam Idus Januarii adscriptum legimus, qui cum è solitudine, in qua Sanctissimè vixerat, per vim traheretur, Episcopus Geris in Ægypto renuntiandus, tanto pavore consternatus esse dicitur, ut inter trahentium magis, quàm deducentium manus, fusis ad Deum precibûs, impetrato fine vitæ, mori potiùs, (quod & obtinuit,) maluerit, quàm discrimen salutis, ex suscepto Episcopatu adire. Pariter Chrysostomi, Ambrosii, Gregorii, & aliorum Sanctissimorum Virorum exempla; qui pari humilitate, delato honori Episcopali, se subducebant, sibi in memoriam revocabat. Memor insuper erat propositi & verbi, suœ Religioni dati, quòd ita officium Præposituræ Generalis sui Ordinis, obire constituerit, ut Instituti sui votis obstrictus, huic uni curæ vacare, in animo habuerit, ut literæ Regis testantur, sub Capite quinto relatæ.

In his aliisque existebat angustiis, donec precibûs Diœcesis Chełmensis, desideriis amicorum, persvasionibus ipsius Regis, ad extremũ mandatis Papæ, (pro quibus impetrandis Rex, tum ad ipsum Pontificem Paulum V. tum ad Cardinalem Ludovisium, literas in hoc Capite superiùs insertas dedit, ut Mathiam Nostrum Episcopum Chełmensem esse, Authoritate Apostolica juberet,) convictus, nominationi & postulationi Regis, sed præcipuè vocationi Divinæ & mandatis Papæ, uti filius obedientissimus, paruit, & oblatum Episcopatum suscepit. Sed quia nimis angustæ fuerunt, Episcopatûs Chełmensis facultates, & præcipuè tunc, propter continuas Tartarorum incursiones; & ut faciliùs utriusque Sacerdotii curam sustinere posset, Præposituram Generalem Miechoviensem reservavit sibi, eandemque reservationem à Sede Apostolica postulavit.

Interim Nostro Mathiæ, Nominato Episcopo Chełmensi, ad capiendam ejus Sedis possessionem, Romæ procuratur Breve, paucis deinde interjectis diebûs, diploma consecrationis, (Sacram vulgus appellat) à Sanctissimo Domino, Gregorio XV. per Achatium Grochowski, Secretarium Regium, (qui petitum auxilia, contra Turcam, à Rege ad

Roma-

Romanum Pontificem missus fuerat,) affertur, & consecrationis Dies, Dominica Vigesima secunda post Pentecosten, quæ fuit ultima octobris, Annô millesimo sexcentesimo vigesimo primo, assignatur. Adveniente itaque consecrationis die, consecratus fuit in Episcopum Chelmensem, à Martino Szyszkowski, Cracoviensi, cum Joanne Wężyk, Premisliensi & Thoma Oborski Laodicensi, Suffraganeo Cracoviensi, Episcopis, id potissimùm muneris, in primaria Ecclesia Cathedrali Cracoviensi, perficientibûs, assistentibûs pro more ministris, quàm plurimis, inter quos Samuel Nakielski, Ordinis Nostri Canonicus, à latere Mathiæ, propter insinuandos actus Ceremoniales, non discedebat. Solenni actu consecrationis, in Episcopum Chelmensem absoluto, Sanctissimo imprimis Pontifici, Gregorio XV. novus Præsul Mathias, pro sua promotione, per literas gratias egit, quas Literas, cum ex illis magna devotio, & demissio illius, erga Sanctam Sedem Apostolicam appareat, hîc inserendas putavi:

Beatissime Pater. In mea ad Episcopatum Chelmensem promotione, agnosco & Dei me vocantis voluntatem, & Sanctitatis Vestræ de me judicium, à Paterno profectum affectu, agnosco inquam, & tacita mentis cogitatione, mecum expendo, quid Deo imprimis, Bonorum omnium Authori, quid Sanctitati Vestræ, Summo Ecclesiæ militantis Præsidi, quid muneri, cui adjunctus sum debeam. Scio me imparem esse, tanto ferendo oneri, subjicio tamen humeros, huic functioni, non quòd præsumam me, meis Viribûs, aliquid mea statione dignum effecturum, sed quòd confidam, in vinea Domini, aliquid pro gloria Dei conanti, ejus auxilium mihi non defuturum. Experietur Sanctitas Vestra, me si minus idoneum & utilem, ad Pastoralem functionem obeundam cooperatorem, promptum tamen ad parendum mandati, Sanctitatis Vestræ, cui secundùm Deum, omne meum obsequium, ac me ipsum devoveo & consecro, humillimè Sanctitatis Vestræ pedes osculatus.

Hoc ipsum & ad Cardinalem Monte-Altum, per Literas subsequentes, Mathias significare voluit.

Illustrissime & Reverendissime Domine. Eximia Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ, quam in mea ad Episcopatum Chelmensem promotione, testari voluit, benignitas, me ultro invitat, ut liberiùs Illustrissimam Celsitudinem Vestram compellem, cui imprimis humillimas ago gratias, quòd immeritum, tanta complecti me gratiâ, dignata sit. Admovit manum, & me humo sublatum, sublimis dignitatis functione ornatum, Illustrissima Celsitudo esse voluit. Deinde illud recipio, me si non consecuturum, conaturum certè, ut in munere hoc Pastorali obeundo, exspectationi Sanctissimi Domini Nostri, & Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ, respondeam, & quacunque ratione aliquando potero, grati animi testificatione, Illustrissimam Celsitudinem Vestram demerear, eò certè voluntatem, viresque meas omnes conferam, in eam semper incumbam curam. Interim

rim Pontificalis unctionis beneficium consecutus, juramentum quale ex præscripto literarmu Apostolicarum debetur, continuò solenniter præstiti, q od manu mea subscriptum mitto Illustrisimæ Celsitudini Vestræ, cui præterea humillima mea obsequia defero &c.

Tandem Cardinali Ludovisio, memor beneficiorum ipsius, Mathias Noster, grati sui animi, in suis Literis reliquit testimonium.

Illustrissime & Reverendissime Domine, Quæ acceptis ingentibus beneficiis, à quibus ea profecta sunt Patronis debetur gratia, ejus egopromotione, Illustrissimæ Celsitudini Vestræ, à Sanctissimo Domino Nostro, renuntiatus Episcopus Chelmensis, debitorem me esse profiteor. Facilè quidem animadverto, me (licèt omni conatu eò incumberem,) efficere non posse, ut vel minima ex parte, & meo testandi grati animi desiderio, & Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ exspectationi, respondeam, adnitar tamen, ne unquam Illustrisimam Celsitudinem Vestram, eo erga me animo fuisse, pœniteat. Deumque precabor, ut Illustrisimam Celsitudinem Vestram, omnibus optatæ felicitatis incrementîs, & ornamentîs florentem, diu servet incolumem. Cui humillima mea obsequia defero &c.

Postquam verò consecratus in Episcopum fuisset Mathias, & præinsertas Literas, tum ad Pontificem Maximum, tum ad Cardinales dedisset, easdemqué expedivisset, statim ad diem duodecimam Novembris, Anni protunc currentis, millesimi sexcentesimi vigesimi primi, Miechoviâ ad Diœcesim Chełmensem, Sedem dignitatis suæ proficiscitur, ingressum primum ad Ecclesiam, quæ Crasnostaviæ, tum fortè aut Chełmæ nulla exstabat, nisi apud Eremitas, Regulam Sancti Augustini profitentes, peragit, & possessionem realem, suæ jurisdictionis accepit, deducentibus illum, Charissimis suis Fratribûs, Stanislao protunc Abbate Tynecensi, Alberto Canonico Cracoviensi, & Martino Starczewski, Nepote eorum ex Sorore; adhibitis prætere a in comitatum, duobus Nostris Canonicis, nempe Stanislao Coccinio Scarisoviensi Præposito, nuper Custode Miechoviensi, & Paulo Rybczyński ejusdem Reverendissimi Mathiæ Episcopi, Capellano. Venit jam Præsul noster Chełmam, ad ovile suum Pastor, ad Filios Pater, ad Sponsam Sponsus, ad Cathedram Episcopus, quam cum ingenti applausu, & congratulatione Optimatum terræ illius, totius Diœcesis & Capituli Chełmensis, feliciter apprehendit, fuitque in Cathedra Chełmensi, hujus nominis secundus, in Ordine verò Episcoporum Chełmensium, vigesimus quartus. Hinc lætitia populi, aggratulationes Cleri, ubique personabant. Horum unus Laurentius Starnygiel, Decanus Zamoyscensis, Mathiam Nostrum tali salutavit oratione.

Gratulor primùm virtuti, quæ identidem conquerebatur, sibi locum non esse, hæc in persona Illustrissimæ ac Reverendisimæ Dominationis Vestræ, valde honorata est, judiciô Optimi ac prudentisimi Principis. Multos summa Nobilitas, nonnullos opes, alios alia, ad summos honores pro-

provebunt, sola virtus paucos extulit, inter quos jure optimo Illustrissima & Reverendissima Dominatio Vestra, censeri debet. Gratulor Patriæ tot malis vexatæ, tot calamitatibus afflictæ, cujus commodis, Illustrissima & Reverendissima Dominatio Vestra, pro sua virtute, pietate, ac prudentia ita consulet, ut intermissa disciplina, projecta æquitas, oppressa veritas, afflicta Ecclesiæ dignitas, adversus insolentium licentiam ac violentiam, tuta sit & secura. Gratulor Diœcesi Chelmensi, quòd in hoc valde necessario tempore, in his communibus miseriis & ærumnis in hac tanta rerum vastitate, in his depravatis moribus, Illustrissimam & Reverendissimam Dominationem Vestram, certum ac paratum habeat, calamitatum refugium, rerum agendarum regulam, morum ac vitæ Directorem ac moderatorem. Gratulor & bonis omnibus, qui habent omnium actionum suarum testem, meritorum æstimatorem, virtutum laudatorem, innocentiæ Patronum. Gratulor denique & Ecclesiæ meæ, quæ quasi profana, sinè consecratione hucusque permanet. Clerus sinè Legibus, ac certa vitæ Regula vivit, unusquisque voluntatem & arbitrium pro jure habens. Quod igitur à Deo Optimo Maximo, supplex imploravi, ut nobis tandem, aliquod Sydus propitium affulgeat, quod istas tenebras confusionis perpetuæ discutiat, lumenque optatum, desiderati Ordinis ac Regiminis boni exhibeat. Gloriosus sit Deus, quòd Illustrissimam & Reverendissimam Dominationem Vestram, huic Provinciæ præfecerit, animarumque nostrarum Præfecturam, adhibuerit, ut deinceps, nihil jam aliud sperandum nobis sit, ab Illustrissimæ & Reverendissimæ Dominationis Vestræ pietate, virtute ac eruditione, quibus luculenter Divina clementia, Illustrissimam & Reverendissimam Dominationem Vestram, cumulavit, nisi quod bonum, futurum sit & Nobis & Ecclesiæ Dei. Hæc vota identidem repeto, & oro Cæleste Numen, ut det ac conferat, Illustrissimæ Dominationi Vestræ omnia, quæ ad hoc grave munus obeundum requiruntur, tribuatque ætatem quam meretur, conservetquè animum, quem dedit.

Responsum Mathiæ Episcopi, ad gratulationem, à Prælatis Ecclesiæ & Diœcesis Chelmensis.

Posteaquam Divina Providentia, ita disponente, primò à Regia Majestate, Domino meo Clementissimo, designatus, postea à Sanctissimo Domino Nostro, confirmatus, ad hunc Episcopatum fui, multa sanè occurrebant, quæ animum meum anxium & sollicitum, de hac mea vocatione reddebant; nam imprimis veniebat in mentem, gravissimæ functionis Episcopalis difficultas, ipsis etiam Angelicis humeris formidanda, quam olim Viri illi Sanctissimi, & in omni Christianarum virtutum genere, exercitatissimi, non tam ultro oblatam detrectabant, sed etiam ne inviti, eam assumere cogerentur, in speluncas & latebras, se abdebant. Occurrebat præterea in oculos, non tam ex propria notitia, quàm ex fama & aliorum relatione, Diœcesis hujus, jam pridem multis hæresibus & Schismati-

ſinatibus, deformatæ, & in varias partes diſcuſſæ, minùs gratus & jucundus aſpectus, augebat inſuper, hanc meam ſollicitudinem, Eccleſiæ Cathedralis, tum ipſius ſtructuræ, (injuriâné temporum, an Prædeceſſorum meorum negligentiâ, non judico,) deformitas & ruina, tum & Cleri multò minor, quàm in aliis hujus Regni Cathedralibus Eccleſiis, reperitur numerus, ac proinde cooperariorum defectus. Hæc inquam erant, quæ mihi non parum ſollicitudinis, in hac mea vocatione afferebant, ſed tamen poſteaquam, & jam antea, ex aliorum relatione intellexi, & nunc in hoc meo primo ad hanc Eccleſiam *acceſſu, oculis ipſis intueor, Collegium hoc R. R. Dominationum Veſtrarum, licet non adeo numeroſum, vitæ tamen integritate, morum gravitate, prudentia & eruditione, cum aliis in hoc Regno ampliſſimis Collegiis, non immerito conferri poſſe. Reſumpſi animum ad hanc Palæſtram, ad quam vocatus ſum, alacriter ingrediendam, & in ea, unà vobiſcum, gratiâ Divinâ ſuffragante, fortiter & ſtrenuè decertandum. Neque enim dubito, quin R. R. Dominationes Veſtræ, pro ſua ſingulari providentia, me & in munere Epiſcopali rectè obeundo, haud ſegniter ſint adjuturæ, & in ovibus hujus Diæceſis, quæ ab unitate Eccleſiæ diſceſſerunt, ad conſenſum Orthodoxæ fidei reducendis, ſingularem operam ſuam navaturæ, & denique ad templi hujus ruinas reficiendas, & ad Collegia Cleri cum occaſione augenda, conſilium ſuum præſtituræ. Quemadmodum igitur RR. Dominationes Veſtræ, multis laudibus & encomiis, præter omne meritum meum, in me conjeſtis, ex hoc meo primo in hanc Eccleſiam ingreſſu, magnam lætitiam ſe cœpiſſe, luculenta oratione ſunt teſtatæ, ita ego viciſſim, poſteaquam hunc nobiliſſimum cætum Veſtrum conſpexi, vehementer gaviſus ſum, eos mihi in hac Vinea Domini, cooperatores obtigiſſe, quos maturo ſuo judicio, in omnibus hujus Eccleſiæ negotiis, præſto mihi ſemper adfuturos, operamque & ſtudium ſuum, mihi utiliter navaturos, recto perſvadeam. Qua quidem in re, quo alacriores RR. Dominationes Veſtras, expertus fuero, eo etiam diligentiùs enitar, ut & huic tam amplæ, de me conceptæ expectationi Veſtræ, reſpondere, & hoc munus laborum & periculorum plenum, pro virium mearum imbecillitate, ita obire poſſim, quatenus communicato vobiſcum, in hac vinea Domini excolenda labore, diurnum illum denarium, in extremo Dei judicio, pro apportato fructu, omnes recipere mereamur. Quod ut nobis Divina cooperante gratia, contingat, Deo præpotenti, humillimè ſupplico, ejusque Paternæ directioni & protectioni, me & hanc univerſam Diœceſim meam, diligentiſſimè commendo, RR verò Dominationibus Veſtris, non tantùm paternam benevolentiam, ſed etiam fraternum amorem meum, prolixè polliceor.*

Finitis Ceremoniis, & munere Epiſcopali, Mathias in ſe aſſumpto, ſtatim ad illud ritè gerendum, animum ſuum adjecit, & omnes diurnas nocturnasqué horas, (ut teſtem ſe ejus ſtudii dicit, Stanislaus Lubieńſki, in monitis domeſticis) huic ſollicitudini impendendas duxit.

Hinc

Hinc sine mora, Annô millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, assumpto secum Samuele Nakielski, Sacræ Theologiæ Doctore, Canonico Nostri Ordinis, Viro gravi, docto, nulla turpis vitii vel avaritiæ suspicione notato, universam cœpit visitare, ac circumire Diœcesim, quæ cùm rara & sparsa admodum Templa habeat, ob idqué accessus ad eam, è remotioribus locis difficilis, nullus tamen remotus locus, nullus adeò abstrusus angulus quem ille non adierit, quem non inspexerit, salutaribûsqué monitis, sanctis institutis, paternis deniqué exhortationibûs, tam Clerum, quàm populum, non correxerit, & insuper Decreta peculiaria, juxta rei & personarum exigentiam, per totam Diœcesim confecit, & exequenda Ecclesiarum Rectoribus reliquit; spargendo ubiqué uberrimam sementem virtutum ac meritorum. Quosdam ex Clero, in vita integerrima confirmavit, quosdam qui suæ vocationis obliti paulò licentiùs vivebant, condigna animadversione ad tremendi ministerii propositum reduxit, hoc nempe unum agens, ut hi qui in sortem Domini, vocati sunt, & quibus Cælestium ministeriorum dispensatio, commissa est, providerent bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus, ne per eos nomen Domini blasphemaretur, pro cujus gloria, lingva opere, & ipso sangvine decertare deberent.

In hac visitatione, in qua duos integros menses, Octobrem cum Novembre consumpsit, miserum erat videre Mathiæ, tot oppida, tot Villas, feritate Tartarorum, superiori Annô, ferro igneque depopulata, ubi nec Divorum Templis, barbaricus furor pepercit, sed Sacra supellectili, eadem spoliavit, altaria evertit, plerasque Ecclesias, inter quas non postremam, cum oppido Potelicen Ecclesiam, in cineres redegit, ingentem prædam ex hominibus, in diram servitutem, ab illis fuisse abactam, multos ex populo conqueri audivit. Hinc in illa regione, cœperunt pullulare scelera, dum mariti, in locum amissarum uxorum, & uxores similiter, captis maritis, alios superinducere, & ad nova connubia convolare, nullâ certâ notitiâ, de morte captivorum habitâ, non vererentur. Quorum temeritati comprimendæ, necesse erat, Authoritatem Mathiæ Episcopi interponi, tales siquidem, qui proterva stoliditate Poponum, copulati reperiebantur, excommunicationi subjiciendos, & à cætu fidelium sequestrandos, Mathias Noster censuit. Pariter & contra Judæos, præcipuô zelô investigabat Mathias, an jurisdictionem aliquam, in Christianos sibi vendicarent? an familiam Christianam, præsertim nutrices alerent? an inde scandala orirentur? an opprobrium aliquod, homini Christiano inferretur? an novas Synagogas ædificarent? in qua inquisitione, cùm patuisset perfidos Judæos, aliqua ex his fecisse, miris modis eosdem puniebat, inhibebat, fautores eorum, suis Decretis excommunicationi subjiciebat, & à Communione Christi fidelium arcebat. Tanta consci-

entiæ teneritudine, & exacta Legum Ecclesiasticarum Observantia, Proceres tractus illius, & totum Equestrem Ordinem, in sui amorem & observantiam traxit. Unde Thomas Zamoyski, tunc Palatinus Kijoviensis, demùm Supremus Regni Cancellarius, magnarum Possessionum, in illo tractu Hæres, tanti Mathiæ æstimavit integritatem, ut omni genere Officii, firmum stabilemqué amicitiæ nexum, cum eodem retinendum, servandumqué censuerit, eundemqué, actis publicis, & supremæ voluntatis tabulis, unico suo Filio Joanni, qui Palatinus Sandomiriensis obiit, tutorem inscripserit.

Cursu tandem Anni, millesimi sexcentesimi vigesimi secundi, ad finem vergente, Mathias Noster, etiam ordinariam visitationem Ecclesiarum, suæ Diœcesis Chełmensis, quæ in decem Decanatus antiquitus divisa, Ecclesias in se, circa septuaginta complectitur, Divina gratia cooperante finivit, in qua visitatione, in unaquaque Ecclesia, Sacramentum confirmationis, Christi fidelibus contulit, novas Ecclesias, altaria, campanas, sacra vasa, ubi necesse fuit, consecravit; imagines, apparamenta, in plerisque benedixit, & id, quod Episcopalis functionis, & Pastoralis sollicitudinis erat, diligenter administravit. Peracta visitatione, constituit in Dei nomine, Synodum Diœcesanam, in Ecclesia Cathedrali Crasnostaviensi celebrandam, quantocyus indicere, sed quoniam id, ptopter præsentem tunc Regni statum perficere non potuit, in aliud tempus commodius, rem illius Diœcesis valde salutarem, differre necesse habuit. Hæc & alia in illo Episcopatu, Mathiæ laudabilia gesta, Frater ejus germanus, Stanislaus Lubieński, Płocensis Episcopus, in monitis, de rectè gerendo Episcopatu, commemorat, dum eum sic alloquitur. *Simul ac munus Episcopale Jusceptsti, ad illud rite gerendum, animum te adjecisse video, ut omnes nocturnas, diurnasque horas, ei sollicitudini, ducas impendendas. Testis ego sum studii tui, quod nè aliquos quidem latet, biennio isto, ex quo Episcopus factus es, universam lustrâsti Diœcesim, nullus remotus locus, nullus adeò abstrusus angulus, quem non inspexeris, salutaribûsque monitîs & institutîs, non correxeris.* Hoc à fraterno calamo elogium, tanquam ex Jovis tabulis, vigilantiam Pastoralem, circa gregem illum, ejus curæ commissum, luculenter deprædicat.

Interim autem, totus se incremento honoris Divini, consecravit Mathias, videns enim lachrymabundus, Ecclesiam Cathedralem suæ Diœcesis, sponsam suam, Crasnostaviam translatam, nec procul Chełmâ distantem, tot variis bellis & incendiis, ex integro desolatam suis ruderibûs ac cineribûs sepultam, & omni decore & ornamento spoliatam, & aliàs ab initio rudi opera constructam, idcirco ad eam fundandam, erigendam, ornandam, dotandam, totus se convertit. Ac imprimis eandem Ecclesiam, ab imo evectis ex secto lapide, parietum & columnarum fundamentis, substruxit, fornicem imposuit,

sacel-

sacella ad latera, & in frontispicio turrim adjecit, tectôque novo testaceo contexit, ac intus & extra exornavit, ab angustiis vindicavit, ex integro contectam, auctam, decoram & speciosam, Angeli potiùs virtute & celeritate, quàm hominis activitate, reliquit, atque in Augustam magnitudinem, reliquis, splendore & capacitate, in Regno Cathedris similem, ita erexit, sublimavit, ut novam pene fundasse, & erexisse censeretur. Ejus æviternæ gloriæ, in eadem Ecclesia, in Marmore insculptum, relictum est monimentum *Cernis Viator hanc Basilicam? olim jam incendiîs deformata, & ab initio rudi opera structa, corruisset: nisi Mathias Lubieński, Episcopus Chełmensis, pene à fundamentis, parietibûs columnîsque structîs, ac imposita fornice, sacellîs ad latera, & in frontispicio turrî adjectîs, latericiô tectô eam texisset, idque ad Majorem Dei Gloriam, & honorem omnium Sanctorum. Annô millesimo sexcentesimo vigesimo octavo.*

Taliter fundatam, & erectam à se Ecclesiam Cathedralem, ut etiam Mathias noster dotaret, Fratribusque suis, Prælatis videlicet & Canonicis Chełmensibus, suam benevolentiam ac beneficentiam, actu & effectu relinqueret, consensum Regium, super incorporatione Venerabili Capitulo Chełmensi, Ecclesiæ Parochialis Grabovecensis obtinuit, ejus omnes & universos proventus, Capitulo Chełmensi incorporavit, & eosdem pro distributionibus quotidianis, inter residentes Canonicos ordinavit. Eandem suam benevolentiam, & Vicariis ejusdem Cathedralis Ecclesiæ monstravit, dum ipsis fundationem ampliavit, proventus auxit, reditus cumulavit.

Hæc dum perageret, Ecclesiamque Crasnostaviensem fundaret & dotaret, memor præterea & templi Dei, quod juxta Paulum dicentem sumus nos, idcirco ad renovationem illius internam & spiritualem, processit, dum Annô millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Die decima octava Mensis Junii, intra jam imminentes, & omnia ferro igneque, ac rabida rapidaque manu, devastantes Tartaros, qui tertio jam ausu, catervatim ex Valachia in Pokucie, & exinde in Russiam, infra ferias Sacratissimi Corporis Christi, prorumpentes, metuque hostili complentes omnia, ingens in ea Provincia damnum dederunt, facta excursione, usque ad Sędziszow Oppidum, & innumerabilibûs pagis & Oppidis, longè lateque vastatis, ac igne combustîs, plusquam decem millia hominum, cum ingenti præda secum in Valachiam abduxerunt. Quot putas Matronæ, quot Virgines Christianœ & ingenuæ, nobilioraque Corpora, his belluis ludibrio facta, ubique luctus, ubique gemitus, lamenta & Clamor; abducta juventus, cum qua pecus atque labor omnis interiit rusticorum, constupratæ in conspectu virorum matronæ, infantes jugulati, cæsæ anus, ante ora Patrum violatæ Virgines, cætera hominum turba, ab effera gente, vestitu nudata, ac durioribûs corrigiis à tergo revincta, fla-

gris adhibitis, ante barbaros propellebatur. Hac igitur tempestate, cùm non daretur aliud tempus, ob sæpius factam incursionem Tartarorum, Mathias noster, intrepidè, convocatô universô suæ Diœcesis Clero Crasnostaviam, Synodum inchoavit, in qua saluberrima quæque, & maximè scitu observatuque necessaria, statuit, salutaria documenta pronuntiavit, Decreta promulgavit, mores tum Cleri tum populi correxit, pulcherrimam Ordinis in administrandis Sacramentis, Divinisque obeundis officiis, Synthesim asseruit, confusiones instituta majorum perturbantes, proscripsit, actumque, Deo protegente feliciter absolvit, & quo majori diligentia & sedulitate, à Clero exerceri possint, scriptô connotata, Typis Zamoyscianis evulgari procuravit, impressamqué Synodum, per Decanatus, indeque per singulas Parochias, transmisit. In his autem sacris ordinationibus, & in gubernanda sua Diœcesi, plurimùm Samuelis Nakielski, Ordinis nostri Canonici, Viri aliàs gravissimi, utebatur operâ, Hic enim per totum planè Episcopatûs tempus, apud Mathiam manebat, cum Mathia conversabatur, cum Mathia Diœcesim universam peragrabat, in visitatione Diœcesis, Mathiæ Comes, viarum socius, & in arduis consultor.

Licèt tamen universam, ita solidè, piè & exactè, Mathias noster gubernaret Diœcesim, nihil tamen eorum, quæ ad Præpositum Generalem sui Ordinis spectabant, intermisit, circa Ecclesiam Miechoviensem sui Ordinis, quantum tempus permittebat, residebat; pro solennioribus Festis, tum Ordinis sui, tum ipsius Ecclesiæ Miechoviensis, comparebat, nec facilè absentabatur ab ea, nisi causâ legitimâ evocaretur.

Cum verò Annus Domini, millesimus sexcentesimus vigesimus septimus, venisset, & quinquenniô Ecclesiæ & Diœcesi Chelmensi, universô autem Ordini, Canonicorum Sancti Sepulchri, novem Annis, summa cum laude & utilitate præfuisset, plurimaque bona, tam Ordini suo, quàm Diœcesi Chełmensi, ex innata sibi pietate fecisset, ad ampliorem Episcopatum Posnaniensem, à Rege promotus fuit, successoremqué ad locum suum, ad Episcopatum Chełmensem, Remigium Koniecpolski, de armis Pobog, jam antea Abbatia Andrejoviensi cumulatum, Atavis editum Heroibûs, Fratremque germanum, tot clarissimorum Virorum, Stanislai Castellani Cracoviensis, Supremi in Regno armorum Ducis, continua felicitate, & victoriis celebratissimi, Chrystophori, Bełzensis, Joannis, Siradiensis, Palatinorum, voluntate Regia accepit, simulquè tam Ordini suo, resignando Præposituram Generalem, quàm Diœcesi Chełmensi valedixit. De quo Michaël Piechowski, in cornucopiis Infulæ Chełmensis, post enumerationem meritorum ejus, in Diœcesi Chełmensi, pro Coronide adnotavit sequentia: *Intra quinquennium, illudque turbulentissimum, tantum*

bonum

bonum Ecclesiis, Clero, populoque universo Mathias præstitit, quantum alius intra, quinquaginta Annos, non, aut vix, in altissima licet pace, præstaret. Utinam tales frequentiùs, huic Diœcesi & Cathedræ, provideantur.

CAPUT DECIMUM QUARTUM

De Erectione Suffraganeatûs Chełmensis, per Mathiam.

CUm in Diœcesi Chełmensi, plurimi reperirentur tales, qui ab unione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ est vinculum veritatis & charitatis, avulsi, Græcorum & Schismaticorum mores & ritus sequerentur, qui à fide & obsequio Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, abstracti, in ipsis ignorantiæ tenebris, versarentur, Mathias noster, tanta sollicitudine Pastorali, in regenda illa Diœcesi Chełmensi eluxit, tam ardentissimò Zelò, animarum Christi saingvine redemptarum, flagravit, ut continuò cogitaret, quibûs mediis, quaq; arte, reducerentur ad rectam salutis viam. Invocatò itaque de Cælo auxiliò, duobûs remediis, quæ multum valent, ad animas ab errore revocandas, & in debito officio retinendas, huic perniciei occurrere statuit, vitœ videlicet probitate, & verbi Divini prædicatione; Viros itaque in scientia Dei exercitatissimos, conducere & adhibere cogitat, qui unà secum, veram doctrinam, contumaci populo, in lenitate Spiritûs, annunciarent, & quanto in discrimine æterni interitûs versarentur, explicaret. Obtulit se occasio quòd Georgius Zamoyski, Episcopus Chełmensis, & Mathiæ nostri in hac Cathedra, im̃ediatus Antecessor, aliquot millia florenorum Polonicalium, omnemque vestem pretiosiorem Sacram, Religioso Abrahamo Sladkowski, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Licentiato, suo ex Sorore Nepoti, eximio Verbi Divini Prædicatori, moriens, ita testamento legaverat, si ille Suffraganeus Episcopi Chełmensis, à Sancta Sede Apostolica renuntiaretur. Accedit: quòd idem Abrahamus Sladkowski, non levibûs ad eam rem, suffultus præsidiis, nam præter avunculi sui legatum, etiam ex bonis Maternis hæreditariis, dotationem Suffraganeatûs Chełmensis, se procuraturum receperat, quare Mathias, suæ Diœcesi Chełmensi, salubriter providere, Ecclesiam suam hac dignitatis accessione augere, ornare, & per hoc parem, aliis amplissimis in Regno Cathedris, Diœceses latè patentes habentibus, efficere, atque per hoc animarum saluti, accuratissimè inservire cupiens, primis statim sui Episcopatûs initiis, Annò videlicet, millesimo sexcentesimo vigesimo primo, in Episcopali functione Suffraganeum, in Diæcesi sacrorum munerum, cooperatorem assiduum, laborisque indefessi & meritorum, participem & socium, sibi eundem Abrahamum Sladkowski, Verbi Divini Præconem conspicuum,

à Sancta Sede Apostolica, creari & institui deposcit, & seriam ea de re, cogitationem suscipit. Quod ut faciliùs obtinere posset, intercessionem Sacræ Regiæ Majestatis, Sigismundi III. ad Gregorium XV. Pontificem maximum, expostulat, quod in sequentibus literis obtinuit.

Beatissime Pater. Quod ab initio fundatæ in Regnis istis Religionis, amplæ satis & spaciosæ Diœceses, Episcopis obtigissent, permisit Sedes Apostolica, ut iidem, Episcopos sibi titulares, in laboris sui societatem, adsciscere possint, ita ut fere omnes, tales jam Suffraganeos habeant, præter aliquot Russiæ Episcopos, qui ob tenuiores rationes, eo genere subsidii, sibi hactenus prospicere non potuerunt; sed percommodè accidit, Ecclesiæ *Chelmensi, quòd nuper piè vitâ functus Episcopus ejus Ecclesiæ Georgius Zamoyski, aliquot millia florenorum, Religioso Abrahamo Sladkowski, Divi Dominici Instituti, Sacræ Theologiæ Licentiato, suo ex Sorore Nepoti, ita testamento legavit, si ille Suffraganeus, Episcopi Chelmensis à Sede Apostolica renuntiaretur. Amplectitur hanc occasionem, Reverendus Dominus, Mathias Lubieński, jam ut speramus à Sanctitate Vestra confirmatus Episcopus Chelmensis, tum quòd hac dignitatis accessione, augeri Ecclesiam suam, magnoperè desiderat, tum quòd præstantibus virtutibus, ejusdem Religiosi Viri, ex animo faveat; Est enim eruditus is imprimis, pietate conspicuus, in faciendis cum fructu, sacris ad populum Concionibus felix, & ad munus hoc sustinendum, maximè idoneus. Jam ipsa necessitas, idem postulat, ut ejusmodi laboris participem & socium, sibi Chelmensis Episcopus adsciscat, amplam enim, & per longam locorum Tartaricis latrociniis obnoxiorum intercapedinem, diffusam habet Diœcesim, & cum angustæ satis ipsius facultates sint, ac ob eam causam, Sanctitas Vestra, Præposituram Miechoviensem, illi reservaverit, faciliùs utriusque Sacerdotii, curam sustinebit, in Episcopatu Chelmensi, talem habebit Vicarium, qui eo interdum absente, omnia Pastoralis officii munia, obibit. Quare peto à Sanctitate Vestra, ut hac in re, locum det petitioni Episcopi Chelmensis, Ecclesiamque illam, quæ magna Cleri infrequentia laborat, hac exornet novæ dignitatis accessione, ac præfatum Venerabilem ac Religiosum, Abrahamum Sladkowski, Authoritate Apostolica, Chelmensis Ecclesiæ Suffraganeum Episcopum, esse jubeat; ita ut deinceps ejus operâ, Episcopus Chelmensis uti posit, etsi hanc dignitatem vacare contigerit, alterius Sanctitas Vestra & Sancta Sedes Apostolica, præsentandi plenam habeat potestatem. Non dubito Sanctitatem Vestram, Clementer id, quod à nobis petitur, concessuram. Cui ego me* Regnaque *mea, diligenter commendo. &c.*

Ejusdem Serenissimi Regis, in eadem materia Literas, ad Ludovicum Ludovisium, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, summi Pontificis ex Fratre Nepotem procuravit Mathias.

Illustrissime ac Reverendissime in Christo Pater, Amice Noster Charissime & honorande. Ex literis quas ad Sanctissimum Dominum nostrum, in causa Ecclesiæ & Episcopi Chelmensis, damus, intelliget Illustritas

stritas Vestra, quid Reverendus Dominus, Mathias Lubieński, Episcopus Chelmensis, Nostra fretus intercessione, à Sanctissimo petat: nimirum, ut more aliarum Ecclesiarum Regni nostri, quæ latepatentes Diœceses habent, illi quoque Sanctissimô annuente, & Venerabilem Abrahamum Sladkowski, ex Familia Divi Dominici, actu Præsbyterum, & Sacræ Theologiæ Licentiatum, Episcopum Suffraganeum Chelmensem renuntiante, liceat talem Sacri muneris cooperatorem, sibi adscire. Concessuram id Sanctitatem suam, minimè ambigimus, accedente præsertim, Illustritatis Vestræ studio & operâ, quam ut in aliis, sic & in hac causa, nobis non defuturam certò pollicemur. Venerabilis Achatius Grochowski, noster ad Sanctissimum Dominum Nostrum, Nuntius, explicabit hoc negotium luculentiùs, Illustritati Vestræ, causasque exponet, cur & nos, & Episcopus Chelmensis, desiderat ea dig itate, ornari Ecclesiam suam. Quod reliquum est, Illustritati Vestræ, felicitatem omnem, & diuturnam valetudinem, à Deo exoptamus. &c.

Quod per Serenissimum Regem, à Sanctissimo & à Cardinali suprascripto, Mathias Noster postulabat, hoc demum & ipse, per suas subsequentes Literas, ab eodem Cardinali obnixè precabatur.

Illustrissime & Reverendissime Domine Domine & Patrone Colendissime. Cum Sacra Regia Majestas, Dominus meus Clementissimus, me Sanctissimo Domino Nostro, licèt tanto muneri minus idoneum, Episcopum Chelmensem renuntiandum proponeret, ipse mecum expendens, difficultates ejus functionis, maximè quòd ob Angustas illius Episcopatûs rationes, non semper ibidem, degere mihi liceat, ne qua tamen in re, cura Pastoralis negligatur, mihi imprimis prospiciendum sit. Dum mecum alias omnes rationes, rectè gerendi Episcopatûs expendo, percommodè accidit, quod is, qui ante me, eum Episcopatum gessit, Reverendissimus Dominus, Georgius Zamoyski, suo ex Sorore Nepoti, Reverendo ac Religioso Patri, Abrahamo Sladkowski, actu Presbytero, Ordinis Divi Dominici, Sacræ Theologiæ Licentiato, aliquot millia florenorum, testamento legaverit, ea conditione, si is Suffraganeus Episcopi Chelmensis, Sanctissimi Domini Nostri Authoritate Apostolica, Constitueretur. Amplexus sum hanc occasionem, ornandæ illius Ecclesiæ, mihiquè in Episcopali functione, in tam vasta, & ob frequentes Tartarorum Excursiones, plena periculorum Provincia, adsciscendi cooperatoris. Commendat hoc negotium, literis suis, Sacra Regia Majestas, & Sanctissimo Domino Nostro, & Illustrissimæ Celsitudini Vestræ, cui ego quoque supplico, ut Authoritate suâ, id efficere ac obtinere velit. Ornabit ea dignitate, sua Sanctitas, eam Ecclesiam, ad quam regendam, ego me accingo. Præterea Virum hunc Religiosum, eruditum, & præstantibûs virtutibûs excellentem, functioni Ecclesiasticæ admovebit, nec patietur, præclaras illius animi & ingenii dotes, intra Monasterii Claustra delitescere, maximè cum ea subsidia, & ex legata ab avunculo pecunia, & ex liberalitate ma-

tris suæ, ad fundandum hunc Suffraganeatum, secum adferat, quæ commodè, Suffraganeis Chelmensibus sustentandis, sufficere poterunt. Quid quid curæ & sollicitudinis, novellæ huic plantationi, Illustrissima Celsitudo Vestra, impenderit, id totum ornandæ Ecclesiæ Dei, promovendo cultui Divino, se impensuram, certò sibi persvadeat. Humillima obsequia, Illustrissimæ Celsitudini Vestræ defero, meque illius patrocinio & gratiæ, diligentissimè commendo. Datum in Conventu meo Miechoviensi, ultimâ Maji, Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo primo.

Per has suas supplices literas, & per interpositam Sacræ Regiæ Majestatis Authoritatem, effecit tantum Mathias, ut Sanctissimus, eidem Rei rescriberet, petitioni annueret, Ecclesiam Cathedralem Chełmensem, nova & hactenus nunquam usitata dignitate, ornaret, & Abrahamum Sladkowski, Ecclesiæ Cathedralis Chełmensis Suffraneum Episcopum, constitueret. Sed præstat suæ Sanctitatis Epistolam, Serenissimo Sigismundo III. directam, ad futuram posterorum memoriam, hìc inserere.

Gregorius Papa XV. *Charissime in Christo Fili Noster, salutem. Satis uberem virtutis suæ fructum, cæpit dilectus Filius Abrahamus Sladkowski, cui Majestas Tua, tam præclarum dat, literarum & pietatis testimonium. Nos ergo qui eorum promeritis, semper favebimus, quos Tuo patrocinio, dignos nominas, eum ab Episcopo Chelmensi, Suffraganeum adsciscì, & Episcopalibus muneribus, in ea Ecclesia, fungi volumus, cum id ejus Diæcesis rationibus, conducere Majestas Tua testificetur, & illum non vereamur, quin eas laudes, quibus in Dominicanorum cænobiis floruit, in hunc quoque Sacræ dignitatis gradum, translaturus sit. Datum Romæ apud Sanctam Mariam, octavâ Augusti, millesimo sexcentesimo vigesimo primo Annô.*

A tergo verò Literarum. Charissimo in Christo Filio Nostro, Sigismundo, Poloniæ & Sveciæ Regi Illustri.

Alias Literas, ex parte istius Suffraganei, à Ludovisio Cardinali, ad Mathiam Nostrum, Episcopum Chełmensem missas, hìc quoquè à nobis accipe.

Perillustris & *Reverendissime Domine. Antequam Reverendissimæ Dominationis Vestræ Literas, acciperemus, benevolentiam ei meam detuleram, quam me semper debere iis intelligo, qui pietatis studiô, & literarum laudibûs præstantes, de Catholica Religione bene merentur. Tam honorificum Reverendissimæ Dominationis Vestræ, virtutis ac meritorum testimonium, dederat Serenissimus Poloniæ Rex, ut Sanctissimus Dominus Noster, egregiè Chelmensi Episcopatui, consultum esse arbitratus sit, cum eum Vestræ fidei credidit, quem nullis Tartarorum excursionibus, aut Hæreticorum minis, de sententia tuendæ Ecclesiasticæ dignitatis, depelli posse existimat. Tam præclaræ expectationi, non dubito quin responsura cumulatè sit, Reverendissima Dominatio Vestra, cujus*

Literis

Literis mirificè delectatus sum, cùm in iis, & Pastoralis sollicitudinis specimen sit, & singularem, quandam, ergà me benevolentiam præferant. Pro inde Vestræ petitioni, cui Regalis quoque commendatio Suffragatur, libenter annuit Sanctitas sua, ac Reverendum Patrem, Abrahamum Sladkowski, Vestri Episcopatûs Suffraganeum, constituit. Quod verò ad me attinet, meam sibi voluntatem, arctissimè devinxerit Reverendissima Dominatio Vestra, iis officiis, quibus pietate sua cogente, Ecclesiæ istius dignitati, atque animarum saluti, accuratissimè inservierit. Romæ, vigesima octava Augusti, millesimo sexcentesimo vigesimo primo. Reverendissimæ Dominationis Tuæ studiosissimus, Cardinalis Ludovisius.

Obtento taliter, ad postulationem, tam Sacræ Regiæ Majestatis, quàm etiam suam, à Gregorio XV. Pontifice Maximo, ad ejusmodi Suffraganeatûs erectionem consensu, statim Mathias Noster, eundem Dominum Abrahamum Sladkowski, jam aliàs à se designatum Suffraganeum Chełmensem, Nuntio protunc Apostolico, in Regno Poloniæ, per quam diligentissimé commendavit, eique supplicavit, ut ea de re, processum formare, & in Urbem expedire dignaretur, quod ut factum, literæque necessariæ, ex Urbe transmitterentur, Mathias erectionem Suffraganeatûs Chełmensis factam, approbavit, prædictum Abrahamum Sladkowski, adhibitis aliis, ad hoc munus peragendum necessariis, in Episcopum Citrinensem consecravit, & eundem primum, hujus dignitatis, & novellæ plantationis Possessorem fecit; per quod numerum operariorum, in Ecclesia & in Diœcesi Chełmensi auxit, Ecclesiam & Diœcesim, hac dignitate ornavit, sublimavit, gloriam & cultum Divinum, in dicta Ecclesia ampliavit, & propagavit.

CAPUT DECIMUM QUINTUM,

De gestis Mathiæ in Episcopatu Posnaniensi.

INgentia merita in Ecclesia, labores non sine fructu, Nostri Mathiæ, pleræque in Regno, à longe aspiciebant Ecclesiæ, & æmula virtute, invidebant sibi Mathiam, zelo pio inardescentes, suspirabant Mathiam in Pastorem, Mathiam in Episcopum, Mathiam in sponsum, sibi dari cupientes. Neque illarum desideria, in longum dilata sunt, nam brevì, Annò videlicet, millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, cum indicta fuissent Torunii, Comitia Generalia Regni, pro Die decima nona Novembris, ad quæ, cum in persona propria, Mathias Episcopus Chełmensis, ac Præpositus Generalis Ordinis Nostri, uti Senator Regni, advenisset, pridie Comitiorum, die videlicet decimo octavo Novembris, instantibus comitiis, jubente & auxiliante Deo, Regia Sigismundi III. ad id præcipuè accedente voluntate, ob

præclara ſua in Regiam Majeſtatem, atque adeò ipſam Rempublicam, Singularia merita, à minori hoc Chełmenſi Epiſcopatu, ad ampliorem Epiſcopatum Poſnanienſem, poſt aſcenſum Joannis Wężyk, ad Archiepiſcopatum Gneſnenſem, renuntiatus eſt, ſane rara felicitas Joanni Wężyk contigit, ut tam gratum moribusqué non diſſimilem reliqueritſucceſſorem. Quare primò Regi in perſona, pro ſua promotione, ſolenni gratiarum actione facta, Sereniſſimæ verò Reginæ, protunc abſenti, per literas in hunc modum, gratias egit.

Sereniſſima Regina, Domina Domina mea Clementiſſima. Multa quidem Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ, gratiæ ac patrocinii, in me ſervitorem ſuum humillimum, argumenta, toto hoc plane tempore, quo in obſequiis, Sacræ Regiæ Majeſtatis, Domini mei Clementiſſimi verſor, extiterunt, quibus, ad obſequia Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ, & ad omnem animi gratitudinem, plurimùm me obſtrictum ac obligatum agnoſco. Hæc tamen recens, Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ, promotio, qua nuper à Sacra Regia Majeſtate, Domino meo Clementiſſimo, Epiſcopus Poſnanienſis, ſum renuntiatus, adeo me devinctum ac obligatum, Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ, reddidit, ut non tantùm obſequia mea humillima, ſed & omnes fortunas, ac denique vitam ipſam, (ſi ita neceſſitas poſtulaverit,) me illi debere libenter profitear. Dabo omnem operam, ut Sacra Regia Majeſtas Veſtra, me humillimum ſervitorem, ac Clientem Regiæ Majeſtatis Veſtræ non ingratum, neque omninò indignum, promotione ac patrocinio ſuo experiatur &c.

Facta tam Regi, quàm Reginæ pro ſua promotione ad Epiſcopatum Poſnanienſem, gratiarum actione, mox ad Capitulum Poſnanienſe, Literas dedit, de hac ſua promotione notificando, & ſuum affectum iiſdem remonſtrando.

Admodum Reverendi Domini, Fratres obſervandiſſimi. Quandoquidem, Divina ſic diſponente Providentia, proximè præteritis hiſce diebus, Sacra Regia Majeſtas, Dominus meus Clementiſſimus, me tanto licet oneri imparem, Epiſcopum Poſnanienſem renuntiavit, Veſtræque nobiliſsimæ Cathedræ, (quòd nequè jam Admodum Reverendas Dominationes Veſtras, latere Credo,) præeſſe voluit, mearum eſſe partium exiſtimavi, non tam officii ſui, Admodum Reverendas Dominationes Veſtras, ex parte poſtulationis, a Sacra Regia Majeſtate, pro more ſolito, quantotius faciendæ, commonefacere, quàm potiùs, vel ex hac prima occaſione, quidquid in me boni ac benevoli affectus eſſe poteſt, id totum, non tam verbis, quàm potiùs intimo cordis ſenſu, Veſtris Admodum Reverendis Dominationibus offerre. Enitar Deo dante, ut quantum per exiguas vires, & facultates meas licuerit, non tantùm paſtorali, verùm etiam paterno officio meo, Admodum Reverendis Dominationibus Veſtris, ſatisfaciam. Certo viciſſim perſvaſus, de illarum erga me ſtudio, & fraterno amore, cui me interim quàm diligentiſsimè commendo. Thorunii &c.

Poſtquam

Postquàm verò Capitulares Posnaienses, de sua ad prædictum Episcopatum nominatione, certiores faceret, illico Eundem, ad huncce Episcopatum, Prælati & Canonici, summa cum gratulatione, in Capitulo, Die Mercurii vigesima tertia Decembris, Annô supra specificato, millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, elegerunt, & Sanctissimo protunc Ecclesiam universalem gubernanti, Urbano VIII. eundem sibi in Episcopum dari, postularunt. Quô factô, sollicitus jam de suo ovili Pastor, de sua Sponsa Sponsus Mathias, statim & simul, de facienda expeditione Romæ, & de restauratione, per incendium vastatæ Ecclesiæ Cathedralis Posnaniensis, seriò cogitare cœpit, Literasque Romam subsequentes, in utroque negotio, ad Cardinalem de Torres, Regni Poloniæ protectorem transmisit.

Illustrissime & Reverendissime Domine. Divinæ ita placitum voluntati, quòd non ita pridem, a Sacra Regia Majestate, Domino meo Clementissimo, Episcopus Posnaniensis renuntiatus, novam illamque longè graviorem, laborum ac negotiorum molem, suscipiendam mihi esse intelligam, quam dum singulari favore, ac Patrocinio, Illustrissimæ Celsitudinis, toties jam mihi abundè centestato, magna ex parte, præsertim verò, in expediendo facilioris expeditionis, in Curia Romana negotio, sublevari cupio, atque eo nomine, Illustrissimæ Celsitudini Vestræ, humillimè supplico. Vereor ne dum tam crebro, Illustrissimam Celsitudinem Vestram, in negotiis meis appello, molestus ac importunus, suæ Illustrissimæ Celsitudini meritò esse videar. Quamvis dum altera ex parte, quanta sit suæ Illustrissimæ Celsitudinis, tum erga omnes, tum præcipuè Gentem Nostram, humanitas ac propensio considero, facile omnem, quæ hac in parte, menti meæ occurrere potest, depono dubitationem. Quocirca bonæ spei plenus, iterum atque iterum, Illustrissimæ Celsitudini Vestræ supplico, quatenus singulari favore ac patrocinio, Illustrissima Celsitudine Vestrâ intercedente, expeditio Illustrissimi Domini, Nominati Archiepiscopi Gnesnensis, Antecessoris mei, moram non patiatur, hæc quoque mea immediate subsequi potest. Et quia Ecclesia Cathedralis Posnaniensis ante aliquot annos, miserabili incendio, vix non penitus vastata & deformata, ad sui restaurationem hactenus intermissam, non mediocri indiget sumptu, proinde si quam, promotione Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ, Curiæ Romanæ, in aliqua saltim pecuniæ, in expediendo Episcopatu isto dari solitæ, diminutionem & gratiam, experiri potero, non postremum certe, ad celeriorem templi illius reparationem, adminiculum habiturus, totum id in acceptis referam, suæ Illustrissimæ Celsitudini, cui me & obsequia mea humillima defero.

Finitis Comitiis Romanam expeditionem expectaturus, & Cathedræ Chełmensi valedicturus, ad Diœcesim Chełmensem, Mathias noster abscessit, ubi per aliquot menses, moram ducens, dispositionesque ultimarias faciens, tandem Cathedræ & Diœcesi Chełmensi va-

ledixit, cum quanto autem dolore & Cruciatu, hanc veledictionem, Canonici & tota excepit Diœcesis, nemo est qui id ignoret. Immediatò statim Annò, millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, post Festa Sacratissimi Corporis Christi, Mathias noster venit Miechoviam, sedem suam & Canonicos nostros, valedicturus, Præposituramque Generalem Ordinis sui, resignaturus. Accepto tali nuntio, Ordinis nostri Canonici, tanquam lethali sauciati vulnere, graviter gemunt, quod Amantissimo Patre, zelozissimo Pastore, orbarentur, alii lachrymas, alii edebant gemitus, alii sicut Discipuli ad Martinum dicebant: *Cur nos Pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis?* Aliqui tanquam Discipuli Pauli, procumbentes super pedes ejus, gemebundo suspirabant planctu: Utinam dedisset Deus, ut nos ad finem vitæ, quàm longissimæ, in manibus tuis gestasses, utinam tam diu nutrivisses, donec superi, post sera fata, Te ad Coronam vocassent. Pulchrum videre erat, pietatem & in Patre & in Filiis tantam, cui nullum verbum par, inveniri potest, dum illi Patrem, & Pater vicissim Filios, se se mutuo utrinque, & complectebantur, & solabantur, & ad lachrymas provocabant, & Deo commendabant.

In hac valedictione Mathiæ, non est conceptus meus, sed quod ex oratione valedictoria, à Canonicis nostris ad Mathiam habita, tum ex variis Literis, á Canonicis nostris conscriptis, libare potui, posteritati connotavi. Sed præstat à Capitulo Nostro Miechoviensi, ad Serenissimum Sigismundum III. Regem Poloniæ, in hac materia, adducere fragmentum Literarum. *Illustrissimus & Reverendissimus Dominus, Mathias Lubienski, Episcopus Chelmensis, Prælatus noster, nusquam satis ab Ordine Nostro laudandus, cujus eximiæ virtutes, præcipuè verò summus amplificandi cultus Divini, in Ecclesia Dei ardor, & singulare in restituenda regulari disciplina studium, omnium nostrum, erga se excitabant animos, ut pluribus Annis nobiscum, optatos duceret dies, (cui pro præclaris suis in Ordinem nostrum meritis, digna hic & in futuro, contingant præmia,) per gratiam suæ Serenissimæ Majestatis, altiorem dignitatis gradum conscenderit &c.* Aliæ pariter Literæ, à Nostro Capitulo Miechoviensi, ad Achatium Grochowski, Episcopum Luceoriensem, de Data Miechoviæ, die sexta Septembris, Annò eodem, millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, conscriptæ, id plane continent, amoremque summum, erga suum Mathiam testificantur, his verbis: *Illustrissimi & Reverendissimi Domini, Episcopi Posnaniensis, Mathiæ Lubienski, præclarissima in Ordinem Nostrum merita maximè verò in propagando cultu Divino, & disciplina Regulari conservanda studium, aliæque præstantes Nobilissimo Pontifice dignæ virtutes, ingentes & penè mirabiles, in animis nostris, erga se excitabant amores &c.*

Interim dum in Conventu Nostro Miechoviensi, valedicens morabatur Mathias, expeditio Romana transmittitur, quæ recepta, & fa-

cta valedictione, datoque osculô Sancto ab invicem, dispari tamen venerationis cultu, Præsul Capita Canonicorum, Canonici Præsulis manus, aliqui pedes osculati, ad altiorem Cathedram Posnaniensem, profectus, & possessionem ejusdem Episcopatûs, die sabbathi, Decima nona Junii, Annô eodem, millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, vigore brevis Apostolici, Urbani Papæ VIII, sub Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Die Decima septima Aprilis, Annô eodem, adeptus est,

Venit tandem Annus, millesimus sexcentesimus vigesimus octavus, cujus initio, ipsis Calendis Januarii, Mathias Noster, visitatis ædibûs sacratissimi Corporis Christi, præcipuâ illius Provinciæ, stipatus nobilitate, in amplissima multorum Regni Procerum assistentia, cum summa tam Cleri, quàm populi aggratulatione & lætitia, Cathedram Posnaniensem feliciter ingreditur, gubernacula suscipit, eratque in Cathedra Posnaniensi, hujus nominis primus, in Ordine verò Episcoporum Posnaniensium, sexagesimus primus. Huc igitur jam evectus, & in tam sublimi Episcopalis, & Senatorii muneris, culmine collocatus, conditionis tamen suæ pristinæ, & futuræ memor, eò flexit animum suum, ut reliquum quod supererat vitæ, Deo ejusdem vitæ authori, devoveret, oves sibi commissas, verbo & exemplo instrueret, & si quid fortunarum accesserit, ad laudem & gloriam Divinam impenderet. Quare primò á se ipso exorsus, juxta illud Apostolicum monitum: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus, posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo*; diligenter cum rigida animadversione, in vitam morésque suos inspexit, ut & Dominico gregi, speculum esset bonorum operum, & qui ex adverso sunt, nihil haberent, in quo Præsulem nostrum reprehenderent. Hinc ad exemplum Episcopi, erat videre tunc, Sacerdotum dignitatem florere, verèque vices mediatoris, inter Deum & homines obire, die ac nocte, in Divinis officiis decantandis versari, Deumque per frequentes Oblationes, interventu sacrificii placari. Habuit tunc sacra doctrina, ab ore docentium profluens, firmum fundamentum, vitæ sanctitatem, & ideo penetrabilior erat gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ, amputans & resecans, quidquid erat animale, ab eo quod est Spirituale.

Postquam verò exemplo bono, cunctis ovibus suis præiret, Deum continuò, pro illarum salute deprecabatur, juxta illud Apostolicum monitum: *Omnis Pontifex, ad offerendum munera & hostias constituitur*; Et alibi, *Omnis Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis*; tum missam, quâ intimè Deo conjungebatur, quotidie celebrando, tum alias preces, pro grege sibi subjecto fundendo, tum pio gemitu, & Religiosâ supplicatione, Deum exorando, ut ablatis peccatorum nubibus, ro-

rem suæ Divinæ gratiæ & misericordiæ, in agrum Ecclesiæ suæ effunderet. Tanta autem efficaciâ, boni exempli, & assiduarum precum, ut plurimi tam fidelium, quàm aliqua hæresi infectorum, deponerent veterem hominem, qui secundùm desideria carnis corrumpitur, & renovarentur Spiritu mentis suæ, induerentq; novum hominem, qui est secundùm Deum.

Ut autem in spatioso Ecclesiæ Agro, Diæcesi videlicet Posnaniensi, ubique boni exempli, & Pastoralis zeli, sementem spargeret, & postea uberiorem virtutum & meritorum fructum, colligeret, visitationem generalem, totius suæ Diœcesis Posnaniensis, eodem ipso Annô millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, tempore protunc satis calamitoso, & bellorum insultibus pleno, constituit, diem inchoationis ejusdem, decimam quintam Septembris, per literas innotescentiales, assignavit, in quibus, Ecclesias Diœcesis, si quæ non consecratæ extabant, altaria pariter & portatilia consecrare, campanas benedicere, Sacramentum Confirmationis, Christiano populo conferre, (ad quod rite suscipiendum, monuit Parochos, ut populum non confirmatum, doctrina salutari, & circa hoc Sacramentum necessaria, tempestive erudiant,) & cætera quæ sunt muneris Episcopalis, ministrare, pro suo propagandi cultûs Divini zelo, & Pastorali diligentia, sese obtulit,

Adveniente itaque Visitationis Die, totus clerus, cum Capitulo Cathedræ Posnaniensis, solenniter ornatus, ad Curiam Pontificiam descendit, unde Præsulem Pontificaliter ornatum, ad Ecclesiam Cathedralem deduxit, & ibidem per unum ex Prælatis, salutavit. Celebratâ itaque Missâ, de octava Nativitatis Virginis Beatissimæ pontificaliter, in assistentia primorum Cathedræ Prælatorum, eandem Cathedram visitavit, quod corrigendum erat, correxit, ordinavit, Decreta conscripsit, promulgavit, & ea observari commendavit. Inde ad Collegium Vicariorum, Cathedræ Posnaniensis processit, ubi Vicedecanum seniculum, Jacobum Paruszow, respiciendo illius ætatem, merita, labores & diligentiam, circa Ecclesiam Cathedralem, ab obeundis Vicedecani & Vicarii officiis, per Decretum suum liberum fecit, censuum tamen ac proventuum omnium, eundem concernentium, in toto participem esse, donec è vita hac excederet, misericordia & justitiâ motus, declaravit. Visitando Collegium Psalteristarum, illos ob paucitatem proventuum, ad minorem numerum reduxit, octo tantùm debere esse, suo Decreto præscripsit, & Psalterium in Capella Corporis Christi, decantari solitum, pro toto Anno, exactissimè in horas decantandum disposuit.

Visitatis suprascriptis sacris ædibûs, inde in totam Diœcesim Posnaniensem, abscessit, ubi præter Decreta, Parochis & Ecclesiis opportunè præscripta, Ecclesias consecrabat, reconcilabat, aliaque munera Episcopalia exercebat; Consecravit Ecclesiam Parochialem Rad

wankoviensem, in Archidiaconatu Varsaviensi sitam, & eidem, diem anniversariam consecrationis, Dominicam primam, post Festum Sancti Michaëlis, assignavit, Ecclesiam Parochialem Paryszoviensem, ante Annos protunc viginti, ab Hærede magnificè exstructam, in honorem Dei Omnipotentis, & Sancti Stanislai Episcopi & Martyris, unà cum Altari Majori, atque alio altari, in Capella meridionali erecto, in maxima nobilium, populorumque frequentia, cum tribus campanis, consecravit. Ecclesiam Parochialem Kuflowiensem, per Generosam Oberska exstructam, in honorem Dei Omnipotentis, & Sanctorum Patronorum, Stanislai, Nicolai, Martini & Sanctæ Mariæ Magdalenæ, consecravit. Ecclesiam Parochialem in Wierzbno, pariter in honorem Dei omnipotentis, & Sancti Petri Principis Apostolorum, consecravit. Ecclesiam Parochialem Cegloviensem, ad postulationem Capituli Varsaviensis, uti Patronorum Ecclesiæ, cum Altari majori, atq; tribus campanis, in honorem Dei Omnipotentis, Sancti Joannis Baptistæ & Sancti Andreæ, consecravit. Ecclesiam Parochialem in Wiskitki, post conflagrationem prioris, die Omnibus Sanctis Sacro, in honorem Dei Omnipotentis, & Sanctorum omnium, consecravit. In Ecclesia Parochiali Garvolinensi, Oratorium Sanctæ Annæ, non ita pridem protunc erectum, cum Altari majori, atque tribus campanis, in honorem Dei Omnipotentis, atque Sanctæ Annæ, consecravit. Ecclesiam Parochialem in Osieczna, quòd per sepulturam hæreticorum corporum violata, ac contaminata fuerit, adhibitis ceremoniis, in Pontificali Romano præscriptis, præsentibus Christi Fidelibus, reconciliavit. Cæmeterium penes Ecclesiam Parochialem Kałuszynensem, violenta sangvinis effusione violatum, reconciliavit.

Nunc ad Altaria, campanas, imagines, aliaque muneris Episcopalis officia, descendamus; In Ecclesia Parochiali Kostensi, altare majus; in Ecclesia Parochiali Smiglensi, in magna hominum Christi Fidelium frequentia, inclusis Sanctis Antoninæ Virginis reliquiis, ad honorem Dei Omnipotentis, & memoriam assumptæ Beatissimæ Mariæ Virginis, ac Sancti Joannis Baptistæ, pariter Altare majus; in Ecclesia Parochiali Krzyvinensi, altare noviter erectum, & per Famatum Sigismundum Gierlachowski, Oppidanum Krzyvinensem, dotatum; in Ecclesia Parochiali Laskarseviensi, peracto solenni missæ Sacrificio, pariter altare Majus, consecravit ac dedicavit. Imagines, in Ecclesia Parochiali Sancti Joannis Baptistæ, Commendoratus Posnaniensis, in Altari Majori Sancti Joannis Baptistæ, eleganter comparatam; in Ecclesia Parochiali Pialecnensi, pariter altaris majoris Imaginem, solenniter benedixit, & campanam majorem, nomini Sancti Stanislai Episcopi & Martyris, consecravit.

Præter tot & tantos labores, sub tempus visitationis Ecclesiarum peractos, etiam Sacramentum Confirmationis, in unaquaque Eccle-

 sia,

ſia, Chriſti Fidelibus, indefatigabilis Præſul conferebat. In Eccleſia Parochiali Smiglenſi, ſexcentos circiter Chriſti Fideles, Sacro Chriſmate unxit; in Ecclesia Parochiali Borcenſi, quadringentis decem, utriusque ſexûs Chriſti Fidelibus, Sacramentum Confirmationis contulit; in Eccleſia Parochiali Dolicenſi, quadringentis; in Eccleſia Parochiali Sremenſi, Ducentis triginta; in Eccleſia Parochiali in Osieczko, peracto ſolenni Miſſæ Sacrificiò, ſeptingentis; in Eccleſia Parochiali Paryſzovienſi, perſonis nongentis triginta; in Eccleſia Parochiali in Stoczek, perſonis centum viginti; in Eccleſia Parochiali Latovicenſi, perſonis centum; in Eccleſia Parochiali Kuflovienſi, perſonis centum quinquaginta; in Eccleſia Parochiali Grębkovienſi, perſonis centum ſexaginta quinque; in Eccleſia Parochiali Livenſi, perſonis ſeptingentis octoginta; in Eccleſia Parochiali in Wierzbno, perſonis trecentis quadraginta; in Eccleſia Parochiali Kałuſzynenſi, perſonis ſexaginta ſeptem; in Eccleſia Parochiali Cegłovienſi, perſonis ducentis; in Eccleſia Parochiali Minſcenſi, perſonis ſeptingentis viginti quinque; in Eccleſia Parochiali in Villa Długa, perſonis ſeptuaginta; in Eccleſia Parochiali Zbikovienſi, perſonis centum quinquaginta; in Eccleſia Parochiali Piaſcenſi, perſonis ſeptingentis octoginta ſex; in Eccleſia Parochiali Czernenſi, perſonis ducentis quinquaginta; in Eccleſia Parochiali Warecenſi, perſonis octingentis triginta quatuor; in Eccleſia Parochiali in Grodźiec, perſonis quingentis ſexaginta ſeptem; in Eccleſia Parochiali Tarcinenſi, perſonis ſeptingentis quadraginta ſex; in Eccleſia Parochiali Nadarzynenſi, perſonis quingentis viginti quinque; in Eccleſia Parochiali Jamnenſi, perſonis quinquaginta; in Eccleſia Parochiali Gambinenſi, perſonis quingentis octoginta ſeptem; in Eccleſia Parochiali in Wiſkitki, perſonis nongentis & ultra, Chriſti Fidelibus utriusque ſexûs, Sacramentum confirmationis adminiſtravit, & plurimos ad ſolenne Miſſæ ſacrificium, ſacra Sinaxi refecit.

Sed id maximum & admirandum eſt: quod tunc, dum Noſter Mathias, Diœceſim Poſnanienſem viſitaſſet, & hocce Sacramentum Confirmationis, Chriſti Fidelibus adminiſtraſſet, ingens & atrox peſtis, per eandem Diœceſim graſſabatur, quare bonus Paſtor, ſalutem animarum, ſibi commiſſarum diligens, pro illis animam deponere, exemplo boni Paſtoris paratus, diſcrimen mortis adire non metuebat; & ſic in Eccleſia Parochiali Radvankovienſi, in Archidiaconatu Varſavienſi ſita, ubi tunc atrox graſſabatur peſtis, ſemoto periculoſæ contagionis metu, utriusque ſexus Chriſti fidelibus, circiter octoginta, Sacramentum Confirmationis contulit, jam verò in Eccleſia Parochiali Garvolinenſi, idem Sacramentum Confirmationis, perſonis circiter mille trecentis, non ſine periculo maximo, peſtiferæ contagionis, quæ ſtatim ſequenti die, in apertum prodiit, & deinceps ſerpere cæpit, Mathias Noſter adminiſtravit.

Ultra

Ultra hos ingentes labores, à Mathia Nostro præstitos, alios & alios quærebat, inveniebat, tum Sacramentum extremæ Unctionis, in quacunque Ecclesia à se visitata, tum usum indulgentiarum, commendando, & easdem plenarias, interessentibus visitationi, è concessione Sanctæ Sedis Apostolicæ, Christi Fidelibus applicando. In aliquibus Ecclesiis, Confraternitates fundatas, ut majori devotioni, Christi fidelium consuleret, approbabat; quod eum fecisse constat, in Ecclesia Parochiali Koźminensi, ubi Confraternitatem Sanctissimi Rosarii; & in Ecclesia Parochiali Borcensi, ubi Confraternitatem Sancti Angeli Custodis, approbavit. In aliquibus, ubi advertit Parochianos paucissimos, ad audienda Divina congregari, monebat, & ad abolendum tantum in Parochianis scandalum, pœnas statuebat, pro fabrica Ecclesiæ applicandas. In aliquibus autem, controversias inter Parochos & Parochianos, componebat, & sic eum fecisse constat Wschovæ, ubi cum privilegium erectionis, & Fundationis ejusdem Ecclesiæ deesset, cura tamen Parochorum effectum esset, ut Sacra Regia Majestas, Decreto Commissariorum approbato, tres mansos agri emensurare, duodecim macilla, domos certas restituere, molas ventiles, in fundo Ecclesiæ constitutas, deportare, Magistratui Wschovensi, injunxisset, eidem Decreto, in quibusdam punctis non satisfactum fuit, & ideo plurimis actionibus, Magistratum, tam ad Judicia Sacræ Regiæ Majestatis, quàm Tribunalitia Regni, Parochi provocabant. Quare perpendens Mathias, cum majori commodo, non solùm Ecclesiæ magna reparatione indigentis, sed etiam ipsarum partium fore, si intra privatos parietes, negotium & controversiæ omnes, amicabili modo definirentur, ideo duobus fere integris diebus, post peractum solenne ad hanc intentionem, missæ Sacrificium, & invocato de Cælo auxilio, intensam navavit operam, ut modum constituendæ pacis, inter Magistratum & Parochum reperiret, prout Deo, Præsulem Nostrum adjuvante, reperiit, & præcipuis punctis determinatis, reliqua Commissariis suis lustranda, componenda & decidenda commisit, quam concordiam postea, actis suis ingrossare permisit.

Illud item notatu, & singulari animadversione dignum. Quòd cum Ecclesiam Parochialem Czernensem, visitasset, & Magistratum Oppidi Czersko, continuis Divinæ indignationis, tum pestis, tum militum, tum incendiorum, aliarumque pœnarum, corripi flagellis intellexisset, interrogavit: num aliqua culpâ, quæ talem Divinam indignationem traheret, maculati non essent? & respondente Parocho, quòd legata pia Ecclesiæ facta, non vindicarent; multa per ipsos recepta, detinerent; testamenta supprimerent; Auditis his Mathias Noster, Seriò & graviter Magistratum, ut ad cor redirent, & revocarent quid Deo, quid Ecclesiæ Matri suæ, quid proximis mortuis, quid conscientiæ hoc in passu deberent, monuit, tale factum non nisi re-

 stituti-

ſtitutione præſtita, expiari docuit, & aliter flagella Divina non ceſſatura, prædixit. Proſpiciendo autem commoditati Eccleſiarum, quarum Erectiones, ſive liber Beneficiorum, ante Annos protunc quadraginta, incuriâ quorundam interceptus erat; Igitur in hac Viſitatione Diœceſis, ſeriò inquirebat & inveſtigabat, Eccleſiarum dotationes, Proventus, fundationes, Erectiones, eo fine, ut librum Beneficiorum componeret, quod ipſo facto explevit. Poſtquam verò hancce Viſitationem finiviſſet, & decretà reformationis, oportuna locis ſingulis conſcripſiſſet, Capitulares Poſnanienſes, in Capitulo Generali, poſt Feſtum Sancti Martini celebrato, Annò Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octavo, quatenus Decreta Viſitationis, quilibet pro viribus ſuis obſervaret, paternè admonuit, reliquum verò Clerum, ut eadem Decreta adimpleret, ſeriò requiſivit & adſtrinxit.

Quomodo autem, ex innata ſibi liberali ſui communicatione, totum ſe & omnia ſua, cultui Divino in Eccleſiis amplificando, addixit Mathias? quomodo ornatiores & ſplendidiores, & novis fundationibus auctiores Eccleſias, reddidit? quomodo templis obſcuratus decor, & ornatus neglectus, ejus munificentia accedente, reſtituebatur? aliqua tantùm beneficentiæ Mathiæ monumenta, ad immortalem memoriam erecta, commemorabo; nam alia etiam me tacente, omnium oculos incurrunt, & non alio conditore ſui, quàm Mathia noſtro gloriantur. Gloriatur Poſnanienſis Cathedra, quam, vivente Andrea Opaliński, Epiſcopo Poſnanienſi, cui Joannes Wężyk ſucceſſerat, horribili incendiò afflictam, deformatam, & penitus devaſtatam, invenit. Erat illa, ut ex traditione accepi, à Joanne Lubrański, notæ pietatis Antiſtite, æreìs cooperta laminis, quas vorax flamma, cum toto tecto abſumpſerat, in Majori choro Eccleſiæ, teſtudo igne labefactata, tota corruerat, de illa reſtauranda & nitori priſtino reſtituenda, Mathias noſter ſeriò cogitavit, pro tecto novo tegendo, laminas cupreas coëmere, parareque cœpit, jam in parte idem tectum veſtivit, ſed ad regimen Eccleſiæ Vladislavienſis, ſuo Paſtore orbatæ, brevi tempore deſignatus, cœptum opus ejuſdem Baſilicæ Poſnanienſis, nitori & decori ulteriori reſtituendæ, duobus ſuis ſucceſſoribus reliquit, nempe Adamo Nowodworſki, qui pariter magnam partem Eccleſiæ, æreìs conveſtivit laminis, tum Andreæ Szołdrſki, qui baſilico ſumptu, operi inchoato, ſupremam manum appoſuit. Gloriatur eadem Poſnanienſis, quod ejus Sacro Canonicorum Capitulo, villam Lechlino dictam, ad Epiſcopatum Poſnanienſem ſpectantem, ab eodem Epiſcopatu, & à menſa ſua ſeparatam, ceſſit & donavit, ejuſque Villæ proventum, pro Deputato Tribunalis Regni, ex Capitulo eligendo, quotannis ſolvendum aſſignavit, & inſuper volendo majores proventus, ejuſdem Capituli Poſnanienſis augere, Canonicatum fundi Kurnik, ad poſtulationem ejuſdem Capituli, eidem Capitulo incorporavit.

Glori-

Gloriatur: quod ejus decorem, & in ea continuam devotionem, etiam stante peste promovit, duos Capitulares, circa Ecclesiam Cathedralem, tempore pestis residere, assignata eisdem duplicata portione, cum anniversariis incidentibus, ordinavit; Vicariis autem quatuor, durante eadem peste, circa Ecclesiam Cathedralem mansuris, sufficientem provisionem, de mensa sua Episcopali, providit, indulgentiis præ maximis, prœcipuè pro missis defunctorum, ad altare Sanctæ Crucis celebrandis, eandem Ecclesiam ditavit & ornavit.

Ut item majori prærogativa, hanc Ecclesiam condecoraret, & Suffraganeo Posnaniensi, uti suo in Pontificalibus Vicesgerenti, de congrua dote & proventu provideret, super incorporatione, Archidiaconatûs Posnaniensis, eidem Suffraganeatui, & super decimis, eidem ex antiquo concessis, consensum Capituli postulavit. Quid plura de Mathia? Campanam Principem, ad Ecclesiam Cathedralem Posnaniensem comparavit, Calicem aureum, impensis & operâ suâ confectum, eidem Ecclesiæ contulit. Baculum Pastoralem, nitidi operis, hactenus sine usu jacentem, & destructum, propriis sumptibûs reparavit, & totum proventum, ex annuis reditibus Ecclesiæ, vix aliqua parte, suis usibus moderatis relicta, in sinum suæ Sponsæ, Cathedræ Posnaniensis, & in egestatem pauperum sustentandam, effudit, moriens pariter, in subsidium sacræ supellectilis, ejusdem Ecclesiæ Cathedralis Posnaniesis, duo millia florenorum, in censum collocanda, denique aulæum, telæ damasceni operis rubræ & viridis, ornandis parietibus chori minoris, ultimò testamentò legavit. Verè Sacerdos magnus, qui in diebus suis suffulsit domum, corroboravit templum, & memoria ejus cum laudibus.

Porro cum in Episcopatu Posnaniensi, Clero & populo, summò cum profectu, præesset, Synodumque Diœcesanam, convocare cogitâsset, ibidem exactò tantum trienniò, voluntate Regia, ad Episcopatum Vladislaviensem promotus. Cùm autem prædicta promotio, Clero, Nobilitati Majoris Poloniæ, & universæ Posnaniensi Diœcesi innotuisset, ipseque Matthias, Cathedræ Posnaniensi valedixisset, promptitudinem suam, unicuique ex Capitularibus declaravisset, fabricam Ecclesiœ, etiamsi esset ad Episcopatum Vladislaviensem promotus, de sua munificentia, continuare promisisset, omnem supellectilem domesticam, in eo Ordine, quo sui Factores, in omnibus curiis & prædiis Episcopalibus receperant, tum hortos Italici operis, in Curiis, Posnaniensi & Ciążynensi, bene dispositos, se redditurum obligavisset, tandem in loco Capitulari, die decima quarta Maji, Annô millesimo sexcentesimo trigesimo primo, profusis lachrymis, summa cum animi demissione, singulos tam Prælatos quàm Canonicos conveniebat, obsecrando, ut veniam erratis darent, & si quem offenderit condonarent; quo facto valedicens omnibus, Prælatis & Ca-

nonicis lachrymantibus, ex Capitulo, & brevi ex Diœcesi Posnaniensi egressus est, successoremque in Cathedra Posnaniensi accepit, Adamum Nowodworski, Fasciam pro insigni gerentem, Nobilitas verò Majoris Poloniæ, Proceres & Senatores illius terræ, Ordo Equestris, qui Mathiæ spectatam vitæ integritatem, prisci moris candorem permagni æstimabant, Ecclesiæ, Reipublicæ commodis intentum suspiciebant, gravi dolore percussi, ex Comitiis Sredecensibus, ubi tunc temporis, status Equestris, & tota Nobilitas Majoris Poloniæ, congregata fuerat, supplicarunt Regi, nuntiosque ad Regem, eo fine miserunt, ut Mathiam Rex, Cathedræ Posnaniensi, & Majori Poloniæ non reciperet; cæterum fæcunda Nostri Mathiæ virtus, in ampliorem Ecclesiœ agrum translata, ampliores & uberiores produxit fructus, de quibus in reliquis Capitibus, brevi annotatione procedam.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De gestis Mathiæ in Episcopatu Vladislaviensi.

POstquam Cathedra, & universa Diœcesis Vladislaviensis, suo Pastore & Episcopo vacâsset, Andrea Lipski, de Armis Rastrorum, ejus Episcopo, ad Cracoviensem Episcopatum transmigrante, rursus ob præclaras, in Episcopali dignitate functiones, & raram in Senatore prudentiam, cecidit sors in Nostrum Mathiam, protunc Episcopum Posnaniensem, qui ad eandem Cathedram Vladislaviensem, Annô Domini, millesimo sexcentesimo trigesimô primô, non absque gravi dolore, Nobilitatis Majoris Poloniæ, universœque Posnaniensis Diœcesis, summo verò cum desiderio, Capituli Vladislaviensis, favore ac voluntate Regis, Sigismundi III. translatus est, eandem translationem, ad Vladislaviensem Cathedram, Urbano VIII. approbante. Quare capta illius Cathedrœ possessione, die quarta Octobris, in ipso Festo Sancti Francisci Seraphici, inventus est Mathias Noster, in Cathedra Vladislaviensi, hujus Nominis quartus, in Ordine verò Episcoporum Vladislaviensium, quinquagesimus septimus.

Hinc statim, amantissimus decoris, Domûs Dei Prœsul, ad reparandam Sponsam suam, Ecclesiam Cathedralem Vladislaviensem, se contulit, & in ea, Aram Principem, olim eleganti structura & pictura, à Hieronymo Rozdrażewski, Episcopo Vladislaviensi, decoratam, cœterùm tamen ligneam, sustulit, & in locum ejus, nobiliorem, pulchriorem & pretiosiorem, de tabulis, colossis, Statuis ac pyramidibus marmoreis posuit, nimirum summam quinque millium, extruendœ huic Arœ, Andreas Lipski, Antecessor Mathiœ Nostri, ultimô testamentô consignavit, Mathias verò, majoribûs impensis, eandem auxit, & erexit in altari eodem tabulas œneas, non facile in ipso metallo, primo intuitu, parem à quovis œstimationem, suo valori & pretio habituras,

turas, elaboratissimâ primarii pictoris industriâ, coloribûs exquisitissimis inumbratas. Tandem nova foramina, in eadem Ecclesia Cathedrali, pro novis fenestris faciendis, exscindere mandavit, fenestras novas perlucidas comparavit, & per hoc devoto populo, tum Presbyteris Divinas laudes concinentibus, majorem commoditatem, sua ope suppeditavit; Campanam principalem, pro Divinis Officiis, festisque, & solennioribus Ecclesiæ actibus destinatam, festivamque celebritatem denuntiantem, suâ munificentiâ fieri procuravit, Horologium pariter, penes Ecclesiam Cathedralem, non parva liberalitate restauravit, ut suis horis, nocturnæ diurnæ ue horœ, in Ecclesia decantarentur. Quid de reliquis nobilissimis, Ecclesiœ Cathedralis Vladislaviensis ædificiis, magno Mathiœ Nostri sumptu excitatis, commemorem? nitorem & robur, labentibus parietibus Ecclesiœ, sua liberalitate dedit, Ecclesiam Cathedralem contexit, turresque Ecclesiœ, à latere Australi & Aquilonari, ad justam proportionem, sublimiùs & altiùs eduxit, & plumbeis stanneisque laminis, palmari ductu extensis, œvi proinde longioris, cœlique injuriis, pertinaciore firmitate obstituris, contectas, arcuatis fastigiis, pulcherrimâ structurâ, partiumque simmetriâ & æqualitate, in tholos & apices elegantiores, á rudibus redactos conis, eleganti artificis opera, sphæris æneis inauratis, capacitate & amplitudine grandibûs, pinnisque & Crucibûs pariter æneis, aurô obductis, non mediocri magnitudine suspiciendis, heroica sua munificentia, insignes reddidit, exornavit, munivit, per quod Ecclesiam Cathedralem, undique magnificam effecit. Porrò ut etiam thesaurum, Ecclesiæ Cathedralis Vladislaviensis ditaret, statuam Divi Mathiæ Apostoli, Patroni sui, cubitô majorem, ex argento fusam, cum insigni martyrii Ascia, Ecclesiæ Vladislaviensi donavit, & insuper moriturus, eidem Ecclesiæ casulam albam, ex tela auro intertexta factam, et pluviale telæ ejusdem, cum armis Zamoyscianis, & amplius aulæum, ex tela Damasceni operis, flavum & rubrum, ad ornandos parietes chori minoris, ultimò testamentô reliquit, eandemq; Ecclesiam, tum vivens tum moriens, multis vestibûs sacris pretiosissimis, & varia supellectili, tum aurea, tum argentea locupletavit.

Anteactis temporibûs, Comes à Gorka, Episcopus Vladislaviensis, pro decantanda singulis diebus missâ, de Annuntiatione Beatæ Mariæ Virginis, septem sacellanos, in censu annuo, pro dote eorundem comparando, fundavit, & Nicolaus Dzierzgowski, itidem Episcopus Vladislaviensis, octavum Sacellanum Presbyterum adjunxit, eisdemque octo sacellanis, Ecclesiam Parochialem in Byczyna, in eum finem incorporavit, ut perpetuis temporibûs, die ac nocte, quando ab officiis Divinis, Ecclesia Cathedralis vacabit, Psalterium decantarent. Cum verò in tantum reditus Parochiæ Byczynensis fuissent imminuti, ut tanto oneri, non viderentur sufficere, renuntiarunt juri suo, ad

eam Parochiam, officiumque psallendi recusârunt, dicti sacellani. Porro Mathias, ut pulchrior, & decora magis, atque ut Castrorum acies ordinata, succedaneis Vigiliis, Gloriosissimæ Virginis Deiparæ honori, & patrocinio consecrata, Vladislaviensis Basilica, maximè insignium, Metropolitanæ Gnesnensis & Cracoviensis Ecclesiarum, æmulata institutum, tenebrosis aërearum potestatum turbinibus, formidine lucis perpetuæ, Divinas laudes accendentis, terribilior appareret, dictis sacellanis, antiquitus proveniente censu relicto, novos Sacerdotes & Adolescentes, ad Sacrificia incruenta in copia solenniori celebranda, votivas absolvendas, Psalmos die nocteque decantandos, fundavit, habitationes & domicilia iisdem, penes Ecclesiam Sancti Stanislai assignavit, proventum iisdem auxit, summamque viginti quinque millium, in bonis Generosi Kadzidlowski, inscripsit, atque ita novos, diurnos & nocturnos custodes, intra muros Hierusalem, qui non tacerent laudare Nomen Domini, posuit, dum è Sacerdotibus, aliisque Ecclesiœ ministris, ad psallendum die nocteque Divinum Officium, perpetuos quasi Excubitores, Divinœ laudis statuit.

Exstruxerat tandem, olim Hieronymus Rozdrażewski, Episcopus Vladislaviensis, musicum instrumentum, in Cathedrali Ecclesia Vladislaviensi, organum vocari solitum, ad quod restaurandum, ut in aliis Rozdrażevianam œmulatus magnificentiam Mathias, non tantùm liberales suppeditavit sumptus, verùm etiam ipsos musicos instrumentales, pro Ecclesia Cathedrali Vladislaviensi fundavit, nimirum cùm ad devotionem Christi Fidelium excitandam, non parum adfert momenti, & non postremum est Ecclesiæ ornamentum musica, ideo Mathias, Ecclesiam Cathedralem Vladislaviensem, aliis Ecclesiis insignioribûs in Regno, nolens esse deteriorem, novam Coloniam suam Bischofstalensem, hac quoque inter alias conditione Venerabili Capitulo Vladislaviensi, attribuit, ut musicos instrumentales sustentarent & foverent, super quod fecit ordinationem, quæ habetur in Actis Ecclasiæ Vladislaviensis. Volens item splendidam Cathedræ Vladislaviensis lucem, gloria meritorum, morum Castimonia, & vitæ Virorum insignium integritate, extendere, Christophorum Charbicki, & hoc morte extincto, Venceslaum Paprocki, Nobilissima Sariorum stirpe oriundum, Viros non minùs pietate, quàm doctrina insignes, ad dignitatem Episcopalem promovit, Suffraganeos ejusdem Ecclesiæ Cathedralis creavit, & strenuos laborum suorum, in Ecclesia, & in tota Diœcesi Vladislaviensi, cooperatores fecit.

Sciens autem Seminaria Diœcesum, esse pietatis, eruditionis & omnis Spiritualitatis fundamenta, ideo de Seminario, Diœcesis Vladislaviensis, & de altero seminario in illa parte Diœcesis, quæ Provinciam Pomeraniæ complectitur, sito, plurima salutaria constituit, & imprimis, quia Seminarium in Vico Szotlandt, in partibus Pomeraniæ

raniæ situm, ob tenuem suam provisionem, multis laborabat defectibûs, ideo Mathias, ipsius rationibus, consulere volendo, ad reliqua hujus Seminarii subsidia, in Synodo prima, per se in Diœcesi Vladislaviensi celebrata, consignata, censum reemptionalem pro summa trium millium florenorum polonicalium, apud spectabilem Magistratum Gedanensem, per se comparatum, (quæ summa, pro exoneratione tractûs Leoburgensis & Biloviensis, à solutione Decimarum pecuniarium, ad Mathiam pervenerat,) in Seminarium perpetuò transtulit, & eidem Seminariò, cum consensu Capituli Vladislaviensis, attribuit, & præterea eorundem Seminaristarum habitationem, in eodem Vico Szotlandt nuncupato, ad Civitatem Gedanensem sito, olim per Paulum Wołucki, Episcopum Vladislaviensem comparatam, sed antiquitate temporis desolatam, reparavit, & hortum pro ipsorum majori commoditate, adjunxit, aliaque opportuna, ad augendam fundationem, ejusdem Seminarii, tùm ex propriis impensis, tum ex Bonis mensæ Episcopalis, providit & supplevit. Quia verò idem Seminarium, in Vico Szotlandt dicto, erectum, à Patribus Societatis JESU, in pietate, bonis moribus & literis informabatur, pariter ut Seminarium Vladislaviense, penes Ecclesiam Cathedralem fundatum, eundem fructum & profectum haberet, nempe ut in eodem Clerici, in Ministerium Ecclesiæ Vladislaviensis, juxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini, virtutibûs & literis erudirentur, illis in Theologia Morali, quæ ad directionem & praxim, pænitentiarii fori conducit, tum in Dialectica & computo instituendis, constituit Professorem, Stephanum Damalewicz, Sacræ Theologiæ Doctorem, protunc Vladislaviensem Canonicum, qui in eodem contubernio, lectioni sacrarum literarum, annos prope quatuor impendit, Mathiæ Nostri, humanissima invitatione, ad id officium vocatus,

Non prætermisit tandem Mathias Noster, & seniò confectos, laboribûsque Ecclesiasticis fractos, Sacerdotes Diœcesanos, circa ipsorum hospitale, præcipuam adhibendo Curam, cum enim exiguum videret illius subsidium, pro ejus solida, perpetua & inconcussa fundatione, sex millia florenorum Polonicalium exposuit, & pro eadem summa, censum reemptionalem, in Bonis Głuszyna comparatum, inscribi & assecurari, Authentica inscriptione curavit. Et insuper pro meliori sustentatione ejusdem hospitalis, ordinavit in Privilegio, annexionis & incorporationis, Venerabili Capitulo Vladislaviensi factæ Bonorum Bischofstalensium, ad Gedanum noviter locatorum, sexcentos Florenos Polonicales, ex proventibus Bischofstalensibus, à Domino Procuratore Mensæ Venerabilis Capituli Cathedralis Vladislaviensis, quolibet Anno, pro prædicto Hospitali sacerdotum solvendos; Deinde in loco, ubi Sancti Stanislai Martyris, & Episcopi Cracoviensis, honori fuit dicata ædes, pro iisdem seniò confectis Presbyteris,

 domi-

domicilia, claustrique Cubicula, destinavit & assignavit. Reliqua ejus sollicitudinis, & vigilantiæ Pastoralis documenta, lapides de parietibus clamant, & sæculorum pii & probi Antistitis, deprædicant memoriam.

Ut autem suis successoribus, Episcopis Vladislaviensib9, suum testaretur affectum, gratamque sibi apud eosdem relinqueret memoriam, imprimis Bona Episcopatûs Vladislaviensis, non parvos in illa erogando sumptûs, reparavit & restauravit, postea Curiam Episcopalem, prope Cathedram exædificavit, in quam impensas, ad aliquot millia florenorum ascendentes, erogavit, cujus ipsa commoditas, è propinquitate Cathedræ ex una, & amænitate horti, ab altera parte, captata, gratissimam æstimationem, animis successorum, ad solitudinem post Curas gravissimas anhelantibus, ibidem ardorem Spiritûs, dilatando zelo cultûs Divini pernecessarium, (utpote loco, à strepitu temporalium negotiorum semotiore) concipientibus, ingenerabat. Pariter alteram curiam Smarzeviciis, supra fluvium Pilca, lateritiam, quam Andreas à Lipe, Episcopus Vladislaviensis exstruxit, Mathias Noster, formâ, proportione, ædificiis, picturis, tum & aliam Niesulkoviensem Domum, auxit & exornavit, quin etiam è regione lapideæ Smarzeviciensis, novam Curiam, labore sumptuosissimo, partim latere cocto, partim lignis dolatis, amplissimam eduxit, erexit & excitavit. Cum verò majorem Bonorum, Episcopatûs Vladislaviensis partem, extra Diœcesim suam, sitam haberet, & ibidem in illis, ob varias urgentes causas, tam ipse, quam sui Antecessores, residere etiam diuturno tempore cogerentur, igitur ut tutiùs conscientiæ suæ, & Episcoporum Vladislaviensium successorum suorum, ad residendum intra Diœcesim suam adstrictorum, prospiceret, & præcipuè, cùm in recenti semper memoria, illam Proverbiorum sextô scripturam & monitum haberet: *Excubate in Custodia sanctuarii, & in ministerio altaris, ne oriatur indignatio super Filios Israel;* Et alibi, *Agnosce vultum pecoris tui, & greges tuos considera;* Illud tandem terribile, quod Dominus per Zachariam minatur, deserentibus gregem suum Pastoribus: *O! Pastor, O! idolum, relinquens gregem, gladius super brachium ejus, & super oculum dextrum ejus;* Territorium Ciechocinense, quod fuit jurisdictionis in Spiritualibus, Episcopi Płocensis, suæ Diæcesis Vladislaviensis fecit, de consensu Stanislai, Episcopi Płocensis, Fratris germani sui, & Capituli Cathedralis Płocensis, siquidem commodiùs ibi, quàm usquam aliàs, in vicinia suæ Cathedralis Ecclesiæ, Episcopus Vladislaviensis, potest commorari, super quo approbationem ab Urbano VIII. Summo Pontifice, per Mathæum Judycki, Archidiaconum Pomeraniæ, suum ad Urbem Nuntium, Annô Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimo, impetravit & obtinuit, ibidemque tres Ecclesias Parochiales, videlicet Ciechoviensem, No-

grodiensem & Dobrzejovensem, unâ cum Złotoriensi illis adjacente, Authoritate Synodi Vladislaviensis à se celebratæ, ad alias Ecclesias trans vistulam, in Terra Dobrzynensi existentes, adjunxit, & majorisCleri commoditatis causâ, novum Decanatum Bobrovnicensem iis Ecclesiis, quæ cis vistulam sunt sitæ, penes Decanatum Nieszaviensem relictis, erexit & Decanum constituit.

Verùm sicut gratam sui memoriam, apud successores suos Mathias noster relinquere studuit, ita neque Antecessorum suorum, Episcoporum Vladislaviensium, immemor, dum aliquibus Epitaphia, aliquibus monimenta, aliquorum imò omnium vitas, imprimi & exarari curavit; Ac imprimis Episcopis Crusvicicensibus, marmoreum Epitaphium erexit, Mathiæ verò Pstrokonio, Episcopo Uladislaviensi, suo Avunculo, in Vladislaviensi Cathedra, in Capella Tarnoviana, monumentum, grati animi recordationem, fieri procuravit, Capellam ipsam, sub Titulo Sancti Mathiæ, Tutelaris sui, magna ex parte erexit, dotavit & Presbytero, qui ibi personaliter residens, Divina peragere, competentes reditus attribuit, Crates ferreas, eidem Sacello Tarnoviano, non mediocri sumptu, vel solâ illum artificis, elaborata industria prodente, accommodavit, addita eidem inscriptione: *Ad honorem Dei Optimi Maximi, & memoriam Divi Tutelaris sui, Mathias Lubieński, ex armis Pomian, Vladislaviensis & Pomeraniæ Episcopus, Sacellum hoc, in fundamentis, ante per Decessorem suum, Reverendissimum olim Paulum Wołucki, ab imo erectis, superstruxit, & Presbytero, qui continuò personaliter residens, Divina peragat, competentes reditus attribuit, Annô à partu Virginis Immaculatæ, millesimo sexcentesimo quadragesimo.* Tandem omnium Prædecessorum suorum, Episcoporum Vladislaviensium, Vitas, tum facta, è tenebris oblivionis, in lucem publicam, conscribere mandavit, & Stephano Damalewicz, Sacræ Theologiæ Doctori, Vladislaviensi & Crusvicensi Canonico, ea disponenda commisit, quæ idem Typo impressit, Annô Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, ut amplissimis Prædecessorum suorum virtutibûs, Mathias noster inflammaretur.

Quantum autem unicè in votis habuit, ut tum fideles omnes suæ Diœcesis, tum potissimùm Clerici, ea Sanctimonia & morum integritate essent præditi, quæ decet eos, qui in sortem Domini vocati, & à Communi populo segregati, non gratis à Domino, sal terræ & lumen mundi, vocantur, ne dum aliis prædicaverint, ipsi reprobi efficerentur, inde colligi potest, quod omnes Ecclesias, Diæcesis Vladislaviensis, partim per se ipsum, partim per Archidiaconos suos visitaverit, totius Diœcesis Vladislaviensis, statum cognoverit, atque perspexerit. Ecclesiam, ubi reperit non consecratam, consecraverit, aut reconciliaverit, altaria dedicaverit, Sacramentum Confirmationis, ubique in qualibet Ecclesia, administraverit, ut vix aliquid temporis sive ab Episcopalibus, sive

 à sena-

à Senatoriis muniis obeundis, ipsi vacaverit.

Finitis tandem, non solùm Sanctè, sed & utiliter Visitationibûs, Synodos duabus vicibûs, Vladislaviam convocavit, nempe primam, Annô Domini, millesimo sexcentesimo trigesimo quarto, feria tertia, post Dominicam quartam post Pascha, quæ fuit dies decima sexta Maji, alteram verò, Annô Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, Die nona Mensis Junii. Deinde rationibus Ecclesiarum, ac Cleri Pomeraniæ, ob itineris longinquitatem consulendo, ne Vladislaviam venire teneretur, congregationem cum ipsis Subkoviæ habuit, cujus processus, in actis Ecclesiæ Vladislaviensis, ad longum habetur descriptus. In his Synodis, nihil eorum, Mathias noster prætermittere decrevit, quæ ad utramque Diœcesim, Vladislaviensem videlicet & Pomeraniæ, Spiritualibus Bonis augendis & amplificandis, Ecclesiasticæque disciplinæ conservandæ, juribus quoque Ecclesiarum tuendis, vindicandisque, de totius Cleri, unà cum Mathia, arbitrio & assensu, opportuna in Domino judicabat. Hinc Sanctissimas leges & Decreta, Clero suo præscripsit, de vita eorundem & honestate, plurima salutaria statuit, ebrietatem, Venationes, familiaritatem fœminarum prohibuit, interiorem ad Divina Dispositionem, tum exteriorem, præcipuè in Ecclesiis munditiem, injunxit, freqnentem Confessionem peccatorum præcepit, & quod laudabile est, prædicandum est, omnes Diœcesum suarum Presbyteros, ipse Mathias, Vigilia orationum, simplicitate exempli, Religionis amore, antecelluit, & omnibus præivit.

Statuit præterea optimus Pastor, in his Synodis plurima, ad bonum Ordinem, universæ suæ Diœcesis, tum Religionis incrementum spectantia, quæ postea, typo impressa Cracoviæ, publici Juris fecit, & potissimùm ibidem, in obeundis Sacramentorum muniis abusus, sustulit, novas Agendas, quo ad ritum & Ceremonias, imprimi curavit, ut periclitantibus de vita, diligenter Parochi intenderent, ne videlicet defectu Baptismi, ac pænitentiæ, animæ interirent, ne essent Sacramentorum Ministri quæstuosi, sed omnia facerent ex charitate, ut Pastores ovibus suis præstò adessent, ut Prædicatores essent, prudentes mysteriorum DEI dispensatores, nempe ut Concionator intentionis esset piissimæ, & ad unius Dei, gloriam extollendam erectæ, ut de Sacramenti pænitentiæ necessitate & modo, popolum instrueret, videlicet necessitatem, naturam, & effectus uniuscujusque Sacramenti, quàm efficacissimis rationibûs demonstrando, quibûs populus informaretur & inflammaretur, ut cultum & frequentationem, Sanctissimæ Eucharistiæ, & in ea Christi præsentiam sæpiùs edocerent, ut effectus Sacramentorum, maximè Confirmationis & Extremæ Unctionis, auditoribus inculcarent, ut Festa & jejunia observanda, promulgarent, ut de Sacramento Matrimonii edocerent, nimirum ut Sponsi jungendi Matrimonio, pro consequenda gratia, ac Sacramenti reveren-

verentia, Confessionem præmitterent, & decalogum ac alia fidei rudimenta, propter posteritatem etiam instruendam scirent, ut observaretur, quæ ex Baptismo & Confirmatione, cognatio Spiritualis contrahitur, ut finita concione, Dominicis diebûs, decantaretur decalogus, rithmô polonicô usitatô, ut à prandiis, Dominicis ac festis diebûs, Catechismus fieret, quo aliàs deberent instrui rudiores, præsertim in Oppidis & pagis, ne quisquam Christianorum ignoraret ea, quæ de necessitate salutis, sciri debent, ut mortuorum cadavera, etiam pauperrimorum, cum decentia sepelirentur, sinè aliqua spe lucri temporalis, constituit, conscripsit, impressit, quod & observari voluit & mandavit. Quia verò prædicta omnia, difficulter observari poterant, ex eo, quod Parochi, ob tenues Ecclesiarum suarum reditus, libros necessarios, qui sparsim & prolixè, doctrinam de Cura animarum tradunt, difficulter comparare poterant, ideo Mathias, in subsidium eorum, Epistolam Pastoralem, Illustrissimi olim Bernardi Macieiowski Authoritate conscriptam, & à Sancta Sede Apostolica recognitam & approbatam, quasi quoddam promptuarium, pro curatis Sacerdotibus confectum, ad usum Diœcesis Vladislaviensis, Decretis suis Synodalibûs adjunxit, præcepitque omnibus, & singulis Parochis curam animarum exercentibus, & Sacramenta administrantibus, ut ipsius modum, & doctrinam compendiosè traditam, in omnibus sequerentur & exequerentur. Hanc utramque Diœcesanam Synodum, Piissimi Prædecessoris, Mathiæ, typis Varsaviensibûs reimpressit, Annô Domini, millosimo septingentesimo undecimo, Constantinus Felicianus Szaniawski, Episcopus protunc Vladislaviensis, & per Decanatus universos, unicuique, in pignus Paterni sui affectûs, viâ cursoriâ transmisit, & ut in Cordibus totius Vladislaviensis Diœcesani Cleri, per profectum Spiritualem renovaretur, Epistola Pastorali commendavit.

Hæc cum ita Sanctè & exemplariter perageret, duodecemque Annis, æmulo conatu, Herculeis laboribus, in Diœcesi Vladislaviensi desudaret, jam in bona senectute existens, ad Archiepiscopatum Gnesnensem, sedem in Regno Poloniæ primam & Primatialem, gradum dignitatis Celsissimum, promovetur à Rege. Accipit jam suorum meritorum Coronam, qua major in Regno, in Ordine Spiritualium dari nequit, futuram majorem exspectaturus in Cælis, quo audito Cathedra & universa Vladislaviensis Diœcesis, licèt Mathiæ nostro, hanc dignitatem gratulari debuerat, cæterum graviter gemuit, quod illo orbaretur Episcopo, qui Ecclesiarum Fundator, Orphanorum Pater, & erat & dicebatur, pauperum & Viduarum, per totam Diœcesim Vladislaviensem, lugubres conquestiones exaudiebantur, ipsi Episcopalis agri vermiculi (colonos intelligo,) præ dolore, erumpentes lachrimas, continere non valentes, voce lamentabili, confitebantur, quod nullis exactionibûs gravarentur, insuper novô & insolitô beneficiô,

afficerentur, dum ſibi omnia debita, à Mathia condonarentur, quæ illorum egeſtas, in laboribus antiquitus præſtitis, contraxerat.

Poſtquam autem Mathias, ex Vladislavienſi Cathedra, ad Primatialem Sedem perrexiſſet, reliquit poſt ſe, in Vladislavienſi Pontificatu, Nicolaum Albertum ab Olexow Gniewoſz, de Urlovitiorum gente, ſupremum Secretarium Regni, reliquit ſimul ſuarum virtutum exempla, in ſera poſteritate imitanda & prædicanda.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM

De geſtis Mathiæ in Archiepiſcopatu Gneſnenſi.

JAm plurimæ in Regno Eccleſiæ, Mathiæ Noſtri munificentiam, liberalitatem, aliasque eximias virtutes expertæ, adhuc Deus primam, Principemque in Regno Eccleſiam, Sedem Primatialem & Archiepiſcopalem, Baſilicam Gneſnenſem, Eccleſiarum in Regno Matrem tantis & tam ſublimibus virtutibûs, ornare voluit, & Mathiam Noſtrum minimè cogitantem, atque intra terminos & limites, ſui Epiſcopatûs Vladislavienſis Deo ſervientem, negotiumquè animarum, ſtrenuè promoventem, & ſupremum agonem, (jam enim ſeptuagenarius erat,) præſtolantem, eidem præficere. Illam inquam Eccleſiam, quæ in ſuis Prælatis & Canonicis, Supremo Tribunali Regni præſidet; Sacra Lipſana, Magni Regni Noſtri Apoſtoli, Martyris & Patroni Sancti Adalberti, cuſtodit; quæ plurimis gratiis, privilegiis, indultis, Sereniſſimorum Regum Poloniæ, ſummorumquè Pontificum, gaudet; Quæ recentiſſimè *à* ſummo Pontifice Clemente XII. Cruce aurea Tetragona, cum radiis & globulis aureis, & in medio Crucis cum imagine Sancti Adalberti, Archiepiſcopi Gneſnenſis & Martyris ex una parte, ex altera verò, cum aquila alba, & cum inſigniis Magni Ducatûs Lithvaniæ, ſibi liberaliſſimè conceſſa, ſuos Prælatos & Canonicos exornavit. Sed juvat præter alia multa privilegia, eidem Eccleſiæ antiquitus conceſſa, jam ab aliis Authoribus impreſſa, idem privilegium recens, ad majorem ejuſdem Baſilicæ ſplendorem, hìc inſerere.

Clemens Epiſcopus Servus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam, Inſignes Eccleſias, quas beneficiis amplioribus Divina cumulavit clementia, nec temporalis modò honoris, ſed religionis quoque & Divini cultûs ſplendore, voluit eminere, par eſt, ut Apoſtolica etiam Romani Pontificis liberalitas, præcipuis favoribus & Privilegiis ornet & augeat, atque Eccleſiis ipſis, in earum Eccleſiaſticis perſonis, laudabilem exhibentibus Altiſſimo famulatum, per triumphale præſertim Dominicæ Crucis Inſigne, inſignitatis tribuat incrementum. Cùm itaque ſicut accepimus, Civitas Gneſnenſis, Regni Poloniæ Metropolis & Primaria ac ampliſſima exiſtat, illiusque Metropolitana Eccleſia, Archiepiſcopali & Primatiali

tiali dignitate præfulgens, cæteras tum Metropolitanas, tum Cathedrales Ecclesias, dicti Regni, antiquitate & dignitate præcellat, nec non ob magnificam & elegantissimam illius structuram, ac illustrem & copiosum, Ecclesiasticarum Personarum inibi Altissimo famulantium cætum, primodictæque Metropolitanæ Ecclesiæ, infrascriptas dignitates, nec non infrascriptos Canonicatus & Præbendas obtinentium, Prænobile Capitulum, dicti Regni ac Magni Ducatûs Lithvaniæ, caput constituens, ex quo Præsidentes Tribunalium, in perpetuum constituuntur, quorum auctoritate, doctrina & zelo, plurimum Catholicæ fidei roboris & præsidii, nec minus langvoris & detrimenti, hæreticæ pravitati, in illis partibus afferre dignoscitur, præcipuum ejusdem Regni decus, & honorificentia existat; in ea quippe septem: Præpositura videlicet post Pontificalem major, Decanatus, Archidiaconatus, Primiceriatus seu Cantoria, Scholasteria, Custodia & Cancellariatus respectivè dignitates, nec non viginti tres Canonicatus, totidemque Præbendæ, jam diu erectæ, annuîsque reditibûs, satis congruè dotatæ, ac erecti & dotati reperiuntur, inter quos duo in Theologia Magistri, totidemque utriusque Juris, ac unus Medicinæ Doctores, nec non quatuor Pænitentiarii adesse consveverunt; Et sicut exhibita nobis, nuper pro parte Dilectorum Filiorum modernorum, Præpositi, Decani, Archidiaconi, Primicerii seu Cantoris, Scholastici, Custodis, & Cancellarii, nec non Canonicorum, primodictæ Metropolitanæ Ecclesiæ, petitio continebat, licèt ex præmissis, primodicta Metropolitana Ecclesia, insignis & eximia esse noscatur, nihilominus, si dignitates in ea nunc & pro tempore obtinentibus, ac illius Canonicis, etiam nunc & pro tempore existentibus, ut ipsi eorumque in dignitatibus & Canonicatibus ac Præbendis hujusmodi, Successores, infrascriptam Crucem auream, ut infra efformatam, & speciali indulgentiæ thesaurô etiam ut infra ditatam, ab eis pariter ut infra deferendam, gestare valerent, à Nobis *ut infrà benignè concederetur & indulgeretur, ex concessione & Indulto hujusmodi, Divini servitii decor, illud in primodicta Metropolitana Ecclesia, susciperet incrementum, quod præfatæ Civitatis exigit perspicuitas, primodictæque Metropolitanæ Ecclesiæ, promeretur insignitas piumque Personarum Ecclesiasticarum præfatarum inibi famulantium, appetit desiderium, ac bonæ memoriæ Theodori Potocki, dum viveret, primodictæ Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis Archiepiscopi, dictique Regni Poloniæ Primatis, enixè nobis porrectæ preces, expostulârunt. Nos igitur, ad præclaras ejusdem primodictæ Metropolitanæ Ecclesiæ dotes, animum nostrum advertentes, & gerentes in desideriis, ut salutare Redemptionis nostræ signum, undique gloriosum effulgeat, ac primodictæ Metropolitanæ Ecclesiæ decori, & Divini cultûs in ea propagandi & conservandi incremento, opportunè consulere volentes, ac Præpositum, Decanum, Archidiaconum, Primicerium Cantorem, Scholasticum, Custodem & Cancellarium, nec non Canonicos præfatos specialis gratiæ*

favore prosequi volentes, eosque & eorum singulas personas, à quibusvis Excommunicationis, suspensionis & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus nobis, pro parte Præpositi, Decani, Archidiaconi, Primicerii Cantoris, Scholastici, Custodis & Cancellarii, nec non Canonicorum præfatorum, super hoc humiliter porrectis, benignè inclinati, eisdem modernis Præposito, Decano, Archidiacono, Primicerio Cantori, Scholastico, Custodi & Cancellario, nec non Canonicis præfatis, eorumque in Dignitatibus & Canonicatibus & Præbendis, respectivè successoribus, pro tempore existentibus, ut ipsi de cætero, perpetuis futuris temporibus, postquam tamen Dignitatum & Canonicatuum & Præbendarum præfatarum, realem & actualem possessionem assecuti fuerint, ac Fidei professionem & Juramentum, de observandis statutis & consvetudinibus, primodictæ Metropolitanæ Ecclesiæ emiserint, & non antea, Crucem auream Tetragonam, cum ejus radiis & globulis etiam aureis, in cujus recto, & in ejus medio, Imago Sancti Adalberti, primi Archiepiscopi Gnesnensis & Martyris, Anaglypha, vulgò di Bassorilieno supra fundum album, in inverso verò Crucis hujusmodi & ejus medio, aquila alba cum alis extensis, etiam Anaglypha, in cujus pectore Insignia Magni Ducatûs Lithvaniæ sculpta sint, ac alias juxta primodictæ Crucis formam, in pede præsentium delineatam, eamque catenâ aureâ, seu amentô coloris rubei, alligatam, de pectore pendentem quocunque tempore, & ubique, tam in primodicta Metropolitana Ecclesia, quam alibi & extra eam, etiam in processionibus publicis & funeralibus, aliisque actibus particularibus, & functionibus publicis & privatis, etiam in Synodalibus, Provincialibusque, universalibus & Generalibus Conciliis, ac etiam in præsentia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, etiam de Latere Legatorum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & Ordinarii etiam proprii, & aliorum quorumcunque, etiam in aliis Diœcesibus, quibusvis anni temporibus, tam unitim quàm separatim, deferre & gestare, nec non cum primodicta Cruce, ipsi tantùm in mortis articulo constituti, benedictionem ac plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, consequi libere & licitè, possint & valeant, Apostolica Authoritate earundem tenore præsentium, perpetuò concedimus & indulgemus, necnon easdem præsentes, ex quocunque capite, quantumvis Juridico & legitimo, de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, notari vel impugnari nunquam posse, sed eas semper & perpetuò validas, firmas & efficaces fore & esse, suosque plenarios & integros effectus, sortiri & obtinere, nec illas sub quibus is similium vel dissimilium gratiarum, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per quascunque literas, & constitutiones Apostolicas comprehensas, sed semper ab illis exceptas

esse

esse & fore, eisdemque Præposito, Decano, Archidiacono, Primicerio Cantori, Scholastico, Custodi & Cancellario, necnon Canonicis præfatis, eorumque in Dignitatibus & Canonicatibus & Præbendis hujusmodi respectivè Successoribus, pro tempore existentibus præfatis, perpetuò suffragari, sicque & non aliàs per quoscunque Judices Ordinarios vel Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Eccelesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apostolicæ Nuntios, judicari & definiri debere, & si secùs super his, à quoquam, quavis Authoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum & inane decernimus; non obstantibûs quibûsvis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibusque Conciliis, editîs vel edendîs specialibûs constitutionibûs, & ordinationibûs Apostolicîs, ac quatenus opus sit, primodictæ Metropolitanæ Ecclesiæ, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratîs, statutis, Privilegiis quoque indultis & literis Apostolicis, eidem primodictæ Metropolitanæ Ecclesiæ, illiusque Capitulo & Canonicis, ac aliis quibusvis Superioribus & Personis, in contrarium præmissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis & innovatis, quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus; specialis specifica, expressa & individua mentio facienda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, eorum tenores, pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, plenissimè ac specialiter & expressè, nec non opportunè & validè hac vice duntaxat, harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam, nostræ absolutionis, concessionis, Indulti Decreti & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum, Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, Annô Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo trigesimo octavo. Sexto decimo Kalendas Januarii, Pontificatûs Nostri, Annô nono. Loco † Plumbi.

Ad hanc igitur nobilissimam Ecclesiam, tot privilegiis & prærogativis fulgentem, post vitam laudabiliter peractam, & beato fine terminatam, Joannis Wężyk, Archiepiscopi Gnesnensis, à Vladislao IV Poloniarum Rege, promovebatur Jacobus Zadzik, Episcopus Cracoviensis, sed hic ob ætatem ad senium vergentem, tum ob alias rationes, gratiam Regiam, Nominationemque non acceptavit, svasit tamen potenter Regi, deditque Commendatitias, ut Mathias Łubieński, ætate & charactere consecrationis, in Collegio Episcoporum primus, ad Metropolitanam promoveretur Cathedram. Ipse item Stanislaus Łubieński, Episcopus Płocensis, Frater Nostri Mathiæ, Episcoporum Cujaviensium prærogativam, de ascensu ad Archiepiscopatum, tot annorum decursu præscriptam, servari cupiebat, quam etiam

Hieronymus Rozdrażewſki, Epiſcopus Cujavienſis, & Prædeceſſor Mathiæ, in Urbe firmari urgebat. Verùm in tanta horum Epiſcoporum commendatione Mathiæ, prævaluit protunc, Reginæ Ceciliæ Renatæ promotio, quæ Joannem Lipſki, pro inſigni ſoleam, cruce eminente, in campo cæruleo ferentem, ex Culmenſi Epiſcopatu, in Metropolitana ſede poſuit, qui pallium, Annô milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono, ab Urbano VIII. impetratum, per noſtrum Mathiam, Epiſcopum tunc Vladislavienſem, ritu ſolenni recepit. Sed brevis Pontificatus, & præmaturum Joannis Lipſki fatum, Mathiam non ambientem, hujus prærogativæ, monſtravit ſucceſſorem. Cùm enim idem Joannes Lipſki, Annô Domini, milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo, die undecima Menſis Maji, dolore viſcerum exſtinctus eſſet, ſummaque hæc in Regno dignitas, per obitum ejus vacâſſet, Vladislaus IV. Rex Poloniæ, anteactarum commendationum Mathiæ memor, ipſemet inſuper, ejus circa bonum Reipublicœ vigilantiam, utì Senatoris, inter omnes maximè veterani & emeriti, conſiderans, longo uſu probata merita expendens, aſſiduam in Senatu frequentiam, Patriœ amorem, conſiliorum ſoliditatem, multis annis exercitatam perſpiciens, ultro faſtigium, ſummœ in Republica dignitatis, ad eundem, jam ſeptuagenarium detulit, ad Archiepiſcopatum Gneſnenſem, Primum Principem Regni & Primatem extulit, & literis ſuis Regiis, apud Sedem Apoſtolicam, ex ampliſſima virtutum ſerie, ſat ſuperque prudenter commendavit, Annô eodem, milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo.

Regem Poloniœ, ſecutus eſt ſummus Orbis Chriſtiani Pontifex, Urbanus VIII, qui Mathiam, in hoc Celſiſſimo Primatialis dignitatis faſtigio votis Regalibus annuendo, Annô ſequenti; milleſimo ſexcenteſiquadrageſimo ſecundo, approbavit, & eidem, anno eodem, pallium, ornamentum primùm Pontificis Maximi, deinde Patriarcharum, Primatum & Archiepiſcoporum, ac nonnullorum Epiſcoporum, quibus Privilegium utendi à Sede Apoſtolica datum eſt, (ut illud habet noſter Epiſcopus Cracovienſis,) laneum more Sacerdotalis ſtolœ, humeros pectusque ambiens, ante pectus pendens, Cruces nigras intextas habens, alia omnia Sacra ornamenta tegens, ob virtutem toties Apoſtolicœ Sedi prœdicatam, libentiſſimè largitus eſt. Approbatione & diplomate translationis, ab Urbe recepto, Archiepiſcopatûs poſſeſſionem iniit, poſtea Lovicium ingreſſum abſolvit, moxque ibidem, in Inſigni Collegiata Eccleſia, Pallium Metropolitanœ dignitatis Inſigne, Andreas Szołdrſki, Epiſcopus Poſnanienſis, in eodem Anno, milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo, eidem impoſuit.

Poſtquam verò dies translationis Sancti Adalberti Archiepiſcopi Gneſnenſis & Martyris, Poloniarum Apoſtoli, in Anno eodem milleſimo

lesimo sexcentesimo Quadragesimo secundo dicata, nempe vigesima Octobris venit, Mathias Noster, licèt quidem quo ad se modesto decentique comitatu, oræ tamen Siradiensis effusæ, comitatu splendidissimo, Majorum Polonorum catervis rutilantibûs, & curribûs frequentissimis obviam prodeuntibûs, maximo Regni applausu, festiva animorum suorum testificatione, Basilicam Primatialem & Archiepiscopalem adiit, possessionem accepit, fuitque in Cathedra Metropolitana Gnesnensi, hujus nominis secundus, in Ordine verò Archiepiscoporum Gnesnensium sexagesimus. Aderant tunc Proceres Regni præsentes, ad hunc primum ad Cathedram Metropolitanam ingressum, Andreas Szoldrski, Episcopus Posnaniensis, Petrus Gębicki, Premisliensis Episcopus, Nominatus Cracoviensis Supremus Regni Cancellarius, Hieronymus Radomicki, Palatinus Inovladislaviensis & alii. Nomine Sacri Metropolitani Collegii salutatus fuit, ab Alberto Grabowski, Gnesnensi & Posnaniensi Canonico, qui postea Venceslai, Comitis de Leszno, Archiepiscopi Gnesnensis Cancellarius, & in Annò millesimo sexcentesimo sexagesimo, Episcopus Ennensis & Suffraganeus Posnaniensis fuit. Lyszkoviciis inter vivos agere desiit, Prælatus spectatæ prudentiæ & probitatis.

Porro ad Mathiam Nostrum revertamur. Hic ut aquila renovans plumas ad volatum, ita ad munia Ecclesiastica & Officia spiritualia obeunda, Divina gratia seniles vires ejus confirmante, gratiosus refloruit, ut omnes Officii sui partes impleret, bonique Pastoris munus exequeretur. Quare imprimis suscepti Regiminis Annò primo, Visitationem generalem, Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis instituit, in qua ad examinandos Ministrorum & Sacerdotum, qui in decantandis Dei laudibus, assiduè versabantur proventus, beneficiorumque fructus & reditus se contulit; quos, præsertim verò Vicariorum, cùm tenues esse comperisset, ejusmodi ineundum esse modum censuit, quo tenuitatem eorum, crescente maximè in dies, tam valore quàm pretio annonæ, sublevaret, eosque ad cultum Divinum sedulò peragendum invitaret. Finita visitatione Metropolitanæ Ecclesiæ, statim lustravit per se, majorem amplissimæ Archidiæcesis Gnesnensis partem, reliquam sollicitudini diligenti, vigilantiæ Archidiaconorum commendavit, & per eosdem expedivit, ut perspecto Ecclesiarum omnium statu, occurrentibus incommodis, juxta uniuscujusque necessitatem, quam optimè mederi posset.

Et licèt in pluribus Gnesnensis Archidiæcesis Ecclesiis, illuxit cura & sollicitudo nostri Mathiæ, potissimùm tamen, in Archidiaconatu Camenensi, quem ut præsidiò salutari magis, inter hæreticorum fraudes & versutias indigentem, & longiùs dissitum ac remotum, magna itineris incommoditate, & posthabita valetitudinis curâ, senectuti & gravioribus itineribus non parcendo, Annò ætatis septuage-

gesimo sexto, visitandum ipse suscepit, magnum credo habuit solatium, Archidiaconatus ille, inter tot circumquaque positus Hæreticos, dum illi affulsit vultus, pii probique Pastoris, quem à multis retroactis annis, in illis terris videre desiderabat, non tamen aut vix, ut ex majorum constat traditione contingebat. Imprimis itaque Clerum illius Archidiaconatus, qui per quatuor Decanatus, animarum curæ attendit, Camenum convocavit, & Synodum particularem, cum Ecclesia Camenensi, XII. Calendas Septembris, Annô millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo, celebravit, in qua multa monita & instituta, locis illis peropportuna, ad honestam eorum inter hæreticos conversationem sancivit, ordinavit, ac definivit. Præter tantos autem labores, stante hac visitatione, in una quaque Ecclesia, & præcipuè in Ecclesia Camenensi, bis mille ampliùs hominibus, Sacramentum Confirmationis contulit, novas Ecclesias dedicavit, Altaria & Sacra vasa consecravit, Campanas, Cæmeteria, imagines benedixit, ac tandem ad ultimum Archidiœcesis suæ Regnique terminum, Słuchovum usque perrexit, atque ibi Ecclesiam Słuchoviensem, à Jacobo Weychero, Palatino Mariæburgensi, latere cocto eleganter ædificatam, & altaribûs scitè pictis ornatam, Sacris autem vestibûs, aliisque paramentis, tum tota supellectili Sacra, ab Anna Inclytæ ac Generosissimæ stirpis, Comitum Schaffgoc, Palatina Mariæburgensi, pia liberalitate dotatam feriâ secundâ post Festum Sancti Bartholomæi Apostoli, consecravit, sub quod tempus, confirmationis charactere, Filiam Palatini, & plurimos utriusque sexus Christi Fideles insignivit. Tucholiam pariter, vicinum Oppidum venit, ibidemque, Ecclesiam Parochialem visitando, Ludi literarii Magistrum, cui censum salariumque, Bartholomæus Nowodworski, Eques Melitensis inscripserat, ut in eo loco naviter se gereret, juventutemque probis moribûs, pietate ac literis erudiret, monuit. Provisores item Nosocomiorum, ut fideliter sedulòque, pauperibus necessaria providerent, commonefecit, si a Christo sibi ministerium pauperibus exhibitum, optarent imputari. Ecclesiam Zadermi, qui Pagus hæreditarius fuit, Alexandri de Otok Zaleski, Supremi Regni Referendarii, ab eodem muro structam dotatamque, sub titulo Sancti Venceslai Martyris, consecravit; aliaque plurima Ecclesiis & locis opportuna, fecit & ordinavit.

Dum autem visitaret Ecclesias, & latissimæ suæ Archidiæcesis partes lustraret, factum ubique sive aliquam suspicionem superbiæ, sive in privato sive in publico vitabat, omnibus affabilem, & comem se præstabat & ostendebat, nemo ejus aditu arcebatur, nemo post fores stabat, nemo audientiam cum tædio exspectabat. Ut autem reliquis laboribus, in tam ampla Archidiœcesi Gnesnensi, Ad-

jutorem

jutorem haberet, citiùsque & exactiùs, tam circa Personarum, quam rerum ad cultum Divinum destinatarum unctionem & Consecrationem, unicuique satisfaceret, officiumque suum & munus Pastorale impleret, Adrianum Grodecki Gente Jastrzembecium, doctrinâ insignem, probitate clarum, judiciô gravem & aliis eximiis virtutibûs ornatum, in partem laboris sui assumpsit, & eundem in Episcopum Theodosiensem consecravit, ac Suffraganeum Gnesnensem creavit.

Fnitis visitationibûs totius Archidiœcesis, Synodum Archidiœcesanam indixit Uniejoviam, Civitatem Archiepiscopalem, ad septimum Idus Julii, in Annô millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, convocavit Clerum; in qua plures abusus morum resecuit, multa præclarè circa Missarum celebrationem, & Sacramentorum Administrationem, ordinavit, reliqua statuta Ecclesiasticæ disciplinæ retinendæ opportuna, in ea condidit. Exstat eidem Synodo annexus sermo, Sebastiani Victor, Canonici Łoviciensis, de dignitate & perfectione Sacerdotali habitus, qui lectione & alta consideratione dignus. Peracta ea Synodo Archidiœcesana Mathias, Provincialis congregandæ, agitabat consilia, quam sine ulteriori cunctatione, Annô eodem, pro die octava Mensis Novembris, indixit Varsaviæ, denuntiavitque comprovincialibus Episcopis. Porro cum Synodo, designata supervenisset dies, Episcopi ad illud nationale concilium, frequentes convenerant, excepto Stanislao Grochowski Archiepiscopo Leopoliensi, qui suum miserat Procuratorem & Nuntium. Aderant huic sacræ consultationi, Petrus Gembicki Cracoviensis, Nicolaus Albertus Gniewosz Vladislaviensis, Andreas Szołdrski Posnaniensis, Andreas Gembicki Luceoriensis, Alexander Trzebiński Premisliensis, Supremus Vicecancellarius Regni, Georgius Tyszkiewicz Samogitiæ, Paulus Piasecki Chełmensis, Alexander Sokołowski Pomianus Kiioviensis, Administrator Abbatiæ Trzemeszensis; qui potentissimis rationibûs, sanum consilium Mathiæ Nostri, contra omnes alios defendebat, Andreas Leszczyński Camenecensis, Nicolaus Krosnowski Vendensis, Administrator Abbatiæ Czervenensis; alii Nuntios miserunt, tum primaria Pontificalium Ecclesiarum Collegia, Abbates plurimi, quorum nomina in acta Synodi relata, ad hanc Synodum convenerant, quæ in Insigni Collegiata Ecclesia Varsaviensi, Sancti Joannis, peracta est & celebrata. In hac Synodo, multa salutaria constituit, Decreta promulgavit, Sanctissima statuta ordinavit, quæ postea Varsaviæ, Annô millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto, typo impressit, & luci publicæ dedicavit, in contravenientes illis, pænas tales statuit, quæ & contravenientibus essent salutares, & proximis proficuæ, & suæ charitati, quam habuit erga proximum satisfactoriæ.

Ardebat Archipræsul præcipua charitate erga proximum, timebat ne Christiani, in potestatem infidelium devenientes, in misera servitute, á Religione deficerent, ideo in contravenientes, Constitutionibus iisdem pænas crumenales statuit, pro redemptione captivorum ab Infidelibus, applicandas. Seiens autem, quòd ad Archiepiscopum pertineat, Concilii Tridentini dispositione, in celebrandis Divinis Officiis, & psallendis, cogere Suffraganeos, ut se mori Metropolitano accommodent, quod non coactione sed benevola invitatione, & Ritualis Libri, ad Romanum morem reductione, præstitit egregiè Joannes Wężyk, datò privilegiò, Typographo Cracoviensi, Andreæ Petricovio, ut libros ad usum Officiorum Divinorum, suo sumptu imprimeret; Mathias igitur, in eodem Concilio nationali, idem privilegium, Hæredibus ejusdem Andreæ Petricovii, Confirmavit, ut Polonæ Ecclesiæ, more unanimi, Romano mori conformi, in celebrando & psallendo Divino Officio, in posterum Deum laudaturæ uterentur.

Sed quia parum prosunt leges, si non serventur, idcirco Mathias Noster, ut observarentur gratiaque Divina cooperante implerentur, sæpiùs ad Deum preces & orationes fundebat, ex quibus unam, aureo stylò notandam in præfatione ejusdem Synodi, typo impressit, suumque Zelum animarum, Christi sangvine redemptarum, testatus est, his verbis; *Te Pastorum Princeps Christe Jesu, supplices oramus, ut conatus hos nostros, prosperare digneris & corda Nostra, cælesti charitate inflammes, quatenus Tui, veri Pastoris imitatores effecti, ita munus nostrum impleamus, ut supremam rationem, factorum nostrorum, & commissarum nobis animarum, Tibi redditurí, verè dicere possimus: quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam;* Et insuper eandem Synodum, Authoritate Apostolica, approbari curavit, ab Innocentio X. super qua re, literas ad Sanctissimum protunc, ante Innocentium X. Ecclesiam gubernantem, Urbanum VIII. scripsit, quas per Joannem Mathæum Judycki, Canonicum Gnesnensem & Archidiaconum Pomeraniæ, Romam misit, pro obtinenda approbatione hujusmodi Synodi.

Verùm acriter & diu admodum, a nonnullis oppugnata fuit hæc Synodus, in quibus confutandis multum fuit, tum laboris tum temporis consumendum. Cæterum postea, ad ingentissimam supplicationem ArchiPræsulis, eandem approbavit Innocentius X. per speciale Breve de Data Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, Die decima octava Decembris, Annò Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, Pontificatûs sui Annò secundo ex voto Sanctæ Congregationis Sacri Concilii Tridentini, in quo Brevi, idem Pontifex, Mathiæ Nostri pietatem laudat, tum Catholicæ Religionis zelum, ac in Sanctam Sedem devotionem. Scripserat ad eundem, & Eminentissimus Cardi-

Cardinalis Caraffa, Sacri Concilii Interpretum Prœfectus, de data Romæ, die vigesima quarta Februarii, Annô Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimô sexto, in quibus literis, hanc Synodum Provincialem, uti opus ad populi salutem, Cleri reformationem summè necessarium, multis vigiliis, multisque laboribûs, inceptum & continuatum, summis laudibûs attollit.

Quia verò illa Regina & Mater omnium Ecclesiarum Regni, Basilica Primatialis Gnesnensis, temporibûs & sub regimine, Alberti Baranowski Archiepiscopi Gnesnensis, Annô Domini, millesimo sexcentesimo decimo tertio, gravi incendiô conflagraverat, nec erat qui finem ruinis imponeret, & licèt primam curam eidem Metropolitanæ Ecclesiæ restituendæ, adhibuerat idem Albertus Baranowski, qui solida campage connexis trabibûs, posuit tecto fulcra, morte tamen interceptus, vestienda ære bracteato, reliquit suis Successoribus. Post hunc Laurentius Gembicki, Archiepiscopus Gnesnensis, ejusdem Ecclesiæ reparationem, satis strenuè & liberaliter adorsus, sed pariter, ab eadem inimica votis hominum morte præpeditus, non perfecit, continuandam reliquit Capitulo Gnesnensi, Clave Grzegorzeviensi in sumptus destinata. Excepit adhuc hanc post Decessores Provinciam, exornandi sponsam suam, Joannes Wężyk Archiepiscopus Gnesnensis, qui postquam superioris partis tecto, ultimam appoluit manum, Sacristiam deinde & Gazophilacium, fenestris altè lateque patentibûs, & ferreis cratibûs egregiè munitis, è tenebroso squallore vindicavit.

Corona tamen coronidis imponendæ, Mathiæ Nostro, Divina Providentia ita diponente reservabatur, qui ab ingressu statim Metropolitanæ Ecclesiæ, alacre studium, ad restaurandam eandem Ecclesiam, & ad decorem promovendum Sponsæ suæ vertit, & magno sumptu, à Gazophilaciô incipiendo, omnia ex Ordine Sacella Basilicæ, & Capellas, (exceptâ Baranovianâ, quæ sumptu Fundatoris, æneis tecta laminis, fabricæ & marmoris elegantiâ eminet,) à diuturno squallore & ruina vindicavit, quasdam ex fundamento penè erexit, alias verò restauravit, & in meliorem formam redegit, omnes incrustatione, plerasque concameratione adornavit, tum omnes & singulas bracteato ære, obduxit & operuit.

Ut autem prædicta Ecclesia Metropolitana Gnesnensis, quasi Luna plena in diebus suis existeret, pulchrior magnificentiorque appareret, eandem novo, pleno decoris ditavit splendore, dum turrim australem, videlicet ad partem dextram Ecclesiæ, cùm per aliquot sæcula stetisset informis, media sui parte minor, & patentibûs ab incendio rimis, ad horrorem prætereuntium hians, ex ipsis fundamentis, sexdecem ulnas profundiùs, quàm vetera fuerunt, muratis hinc inde fulcris ferramentisque compactam, solidè, in parem alteri

ſuperſtiti verticem, ſumptu propè incredibili, (lapidum currus quatuor millia, foſſam ſub fundamentis antiquis egeſtam impleverunt, exceptis lateribûs,) eduxit, atque elegantiore decoratam apice, laminis æneis contexit, frontiſpicium ſeu faciatam Eccleſiæ, magnis impenſis, (lapides de pariete clamant,) conſtruxit, per quod Auguſtiorem & Magnificentiorem, eandem Eccleſiam Metropolitanam, reddidit.

Hæc tam ingens circa ſponſam ſuam ſollicitudo, abundè patet, ex ejus ad Capitulum Metropolitanum Gneſnenſe, pro Feſto Sancti Adalberti, in Annô milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quarto, celebratum, conſcriptis punctis, in quibus, & ſummam ad reſtaurandas Baſilicæ ruinas, applicationem declarat, & nullis pro ejus ornemento ſumptibus, ſe parcere fatetur; Præſtat fragmentum, eorundem punctorum, ad majorem commendationem, tanti Eccleſiarum Benefactoris, hìc inſerere: *Quàm bene huic vetuſtiſſimæ, ac Principi Baſilicæ cupiam, eamque ornare & debito nitori reſtituere contendam, hoc ipſum Argumento eſſe poteſt, quod ſtatim à meo ad illam aditu, ad ruinas ejus reſtaurandas, me applicuerim, hactenusque ea in re, nullis ſumptibus parcam.*

Ad hæc, ut ampliorem & præcipuum, erga prædictam Eccleſiam ſponſam ſuam, bonus Archiepiſcopus, oſtenderet amorem, tum ut pietatis ſuæ, ad promovendum Cultum Divinum, augendaque hujus Baſilicæ decora & ornamenta, perpetuum in ea relinqueret documentum, Capellam imprimis Hebdarum, Gentilium ſuorum, Stemmatis Pomian dictam, nobiliſſimè à fundamentis reſtauravit, eandemque, per adjunctionem Capellæ Kricianæ, de conſenſu Capituli Gneſnenſis, dilatavit, elegantiſſimis picturis, alteri totaliter inaurato, in quo imago, oblationem pueri Jeſu, per Virginem Matrem, in Templo Hieroſolymitano, cum aſſiſtentia piorum, conſolationem Iſraél expectantium, exacto artificio repræſentans cernitur, decoravit, marmoribus pretioſis, poſtes utroſqué Capellæ magnificè, tum ipſum pavimentum Capellæ expolivit & exornavit, ac ſub titulo Purificationis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, erexit & fundavit.

Erecta taliter & exornata Capellâ, mox in ea Officium parvum Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ſingulis diebus cantandum, cum Miſſa vulgo Matura dicta, de eadem Beatiſſima Virgine de tempore, per decem Preſbyteros pariter cantanda, undecimo eam celebrante, ac duodecimo ſive Presbytero ſive Laico, organum poſitivum tangente; primò ex Collegio Vicariorum aſſumendos, & in defectu eorum, ex aliis Collegiis, ac tandem ex Sacerdotibus extraneis, in Cantu figurali exercitatis, ſupplendos, vita ſua durante, pro peccatis ſuis, poſt deceſſum verò ſuum, pro anima ſua fundavit, quibus intuitu laboris, ſummam viginti millium Polonicalium, in Bonis Szczytniki, Choyno,

Głow-

Głowczyn, Korzekwin, & Kuczowola, coram Actis Minoribus, Metrices Regni Varsaviæ, Feriâ sextâ post Dominicam *Cantate* proximâ, Annô millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo, inscripsit, censum á prædicta summa, per Procuratorem Capituli Gnesnensis recipiendum, & inter prædictos Vicarios distribuendum, ordinavit. Insuper alias necessitates, ejusdem Capellæ providendo, aliam summam, tredecim millium, & trecentorum florenorum polonicalium, in Bonis Charłupia major, Drzazny, Rowy & Prœdio Jedynakowskie dicto, in Palatinatu Siradiensi sitis, coram Actis iisdem Minoribus, Metrices Regni Varsaviæ, pariter Feriâ sextâ post Dominicam *Cantate*, Annô Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo inscripsit, censum à prædicta summa, similiter per Procuratorem Capituli Gnesnensis, recipiendum, & in necessitates ejusdem Capellæ, secundùm dispositionem & ordinationem suam, in erectione ejusdem Capellæ contentam, expendendum ordinavit.

Ut autem prædictum Officium, Beatissimæ Mariæ Virginis, cum Missa, in prædicta Capella, rite & concinnè expediretur, essetque & haberetur, qui ejusmodi Officio attenderet, & Presbyteris prædictis, in expediendo prædicto Officio præesset, Capellæ quoque istius Lubienianæ, curam haberet, ordinationes & dispositiones Fundatoris, ad effectum deduceret,& observaret,ultra prædictos Presbyteros,etiam Præpositum,(qui eo titulo gaudere , & eo Nomine vocari , stallumque inter Canonicos Cathedrales Gnesnenses in Ecclesia,ad quod libere prædictum Capitulum Gnesnense consensit, habere deberet,) fundavit & instituit, eidemque pro fundo & dote, Villam Bliżyce, in Palatinatu Posnaniensi sitam, per se ad eum effectum emptam, & à desolatione vindicatam, attribuit & appropriavit, Jure patronatûs sibi quo ad vitam, post decessum verò suum,Domui suæ Łubienianæ, qui ex ea major dignitate Ecclesiastica sive sæculari, vel demum œtate & Catholicus fuerit, relicto, prœsentandi Prœpositum, prœdictœ Capellœ Łubienianœ, semper de Familia Łubieńsciorum, prout erectio ejusdem Capellœ, fusiùs de omnibus edocet, Annô millesimo sexcentesimo quadragesio septimo, per Nostrum Mathiam facta, in pargameno conscripta, & in loco Capitulari, Ecclesiœ Metropolitanœ Gnesnensis, conservata. Hujus ad præsens Capellæ, existit Prœpositus, Familiœ Łubieńscianœ prœcipuum decus, exterarum nationum,(quas in juventute lustravit,) deliciœ, Literatorum, edito magno Volumine Princeps, Mathiœ Nostri virtutum Hœres & Imitator, Vladislaus Łubieński, Decanus Metropolitanus Gnesnensis, Supremus Regni Notarius, & brevi, annuat Deus, in Regno Episcopus & Senator, Ordinisque mei, virtute Domui suœ innata, singularis Patronus.

Porro Mathias Noster, sicut prœdictam Capellam, in vivis existens dotavit & exornavit, ita & post mortem suam, eandem ditare volu-

voluit, & factô ultimô testamentô, multis mobilibûs pretiosis eidem legatis, ditavit, ac imprimis eidem Capellœ suœ, legavit duo paria Candelabrorum Argenteorum, unà cum Cruce, qua circa missarum solennia utebatur. Reliquiarium magnum, instar Altaris factum, Reliquiarum aliud argenteum magnum, unà cum elegantissima ima gine, depositionis Salvatoris Nostri de Cruce, pluteum Argenteum, pelvim argenteam deauratam parvam, qua apud Altare ad lavandas manus utebatur; pelvim argenteam minimam, cum duabus ampullis parvis & tertia paulo majori, campanulas argenteas deauratas duas, aulea Hollandica, tapetia persica sex, tapetem magnum in gradibus altaris ponendum, aulea scortea, missalia nova duo, Sabana prœstantiora, sellas duas sericeas coloris cerulei & alia minutiora eidem Capellœ servientia, legavit. Et quia in prœdicta Capella, Sacrosancta Missœ Sacrificia & Officia Divina, in perpetuum celebrari voluit, ad hœc commodiùs peragenda, apparatus suos Ecclesiasticos, in Italia, Annô Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, comparatos, Album, Violaceum, Rubrum, & rursus casulam novam albam pretiosam, Ecclesiæ & Sacristiœ Gnesnensi legavit, partemque census, à summa quinque millium florenorum, in Bonis Lipicze, per Stanislaum Kobierzycki, Castellanum Krzywinensem, in Actis Castrensibus Siradiensibus inscriptorum, provenientis, quotannis assignavit, ut apparatus omnis generis, ad peragenda Sacrosancta Missœ Sacrificia, unà cum cera & vino, in perpetuum ad Capellam prœdictam, pro Officiis Divinis compararentur.

Neque voluit prœterea, jam in declivio vitœ suœ, jamque moribundus existens, Ecclesiam Metropolitanam Gnesnensem, cum suis ulterioribus beneficiis prœterire, sed quidquid habuit, quidquid per totam vitam suam collegit & acquisivit, in pecunia parata, auro, argento, frumento, frugibus, bobus, pecoribus, navibus ad devehendum frumentum Gedanum, vinis in cellario, debitis apud quascunque personas existentibus, vestibus, peristromatibus, tapetiis ac quibuscunque aliis rebus & omni sua supellectili, eidem Ecclesiœ Metropolitanœ, donavit, legavit, eandem prœtermissis suis, rarô & vix auditô exemplô, omnibûs consangvineis, omnium suorum Bonorum mobilium, per ultimum testamentum, Hœredem fecit & instituit, & insuper totam illam & omnem partem proventuum quœ ei tempore mortis, nomine Anni gratiœ, ex Archiepiscopatu Gnesnensi, à Successore debebatur, Ecclesiæ suœ Gnesnensi, pro continuanda fabrica Ecclesiœ, sive interiori, sive exteriori, donavit,

Legavit prœterea Mathias Noster, eidem Ecclesiœ Metropolitanœ Gnesnensi, annulum majorem cum Saphiro, pro usu Successorum suorum Archiepiscoporum & Suffraganeorum Gnesnen-
sium

sium, quotiescunque in eadem Ecclesia Gnesnensi, Sacris operabuntur, aulæum novum, ex tela Damasceni operis flava & rubra latiori confectum, ad ornandos parietes circa Majus Altare, unà cum sella holosericea, qua in Senatu utebatur, & sellis duabus holosericeis rubeis; Mitras item omnes, chirothecas sericeas, Opertoria faldistorii varii coloris, Missalia, gremialia, & cætera quævis, ad ornandum Episcopum sacris operaturum pertinentia, testamentô donavit & legavit. Denique, in signum propensæ suæ in Ecclesiam Metropolitanam voluntatis, ei ornandæ & debito splendori restituendæ, totum & omne, quidquid ultra onera variarum à se factarum fundationum superfuerat, dedit, donavit & reliquit, sperans, quòd Capitulum Gnesnense gratum se ostendet, Mathiæque Nostri fundationes factas, fovebit & promovebit. Hanc igitur piissimi Archipræsulis munificentiam heroicam, grati animi testificatione, prosecutum Capitulum Metropolitanum Gnesnense, Caput Bisontis aurô nitidum, Gentilitium Insigne Mathiœ, tum supra valvas australes, tum in ipsâ faciata Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis, ad occidentem, tum intra, in ipsa Ecclesia supra postes marmoreos Capitulares, sumptu Mathiæ Nostri erectos, affigendum ordinavit, & memoriam ad imitationem posterorum, tam magni Ecclesiæ Metropolitanæ Benefactoris, in fronte omnium prætereuntium, posuit & collocavit.

Sic dotata & in suo statu perfecto, relictâ Ecclesiâ Metropolitana Gnesnensi, ut etiam suis Successoribus, Archiepiscopis Gnesnensibus, suam relinqueret memoriam & testaretur affectum, ad reparanda palatia, Arces & Mansiones, Mathias Noster se convertit; & imprimis arcem Archiepiscopalem Lovicii, juxta paludes sitam, ad quam ducit pons sublicius longo trabium ordine, in suique medio, arcet hostiles impetus valvis pensilibus, quæ attractæ, pontem intersecant, ita ut accessus ad alteram partem pontis non pateat, palude obstante profunda; hanc clivosæ Valles, impensis Stannislai Karnkowski ad munimentum egestæ, ambiunt, quas Mathias Noster refecit, & ad propugnandam arcem, non parvo sumptu accommodavit utiliùs. Volendo autem ibidem, ulteriorem suæ liberalitatis relinquere memoriam, habitationem in porta horti, exquisitis herbis exornati, quam Joannes Wężyk Archiepiscopus Gnesnensis ædificavit, Mathias autem eandem commodiùs ampliavit, sæpimentis hortum munivit, stagnum amplissimum fovendis piscibus aptissimum, Pomian dictum, magnô impendiô effodi curavit, Gimnasium Loviciense pariter restauravit, & portam Civitatensem Lovicii, Patres Bernardinos versùs, de cocto latere posuit, cujus munificentiam stemma Lubienianum, positum in hac porta ostendit.

Quia verò Archiepiscopi Gnesnenses, propter latissimos amplissimæ suæ Archidiæcesis fines, nunc in hoc, nunc in alio loco resident,

idcirco Mathias Noster, alteram arcem Uniejoviensem, per Jaroslaum de Skotniki ædificatam, & per Joannem Wężyk Archiepiscopum Gnesnensem, à parte Aquilonari instauratam, in reliquis partibus perfecit & exornavit, aulam sive solarium arcis istius, stemmatibus Archiepiscoporum decoravit, turrim altiùs eduxit, fastigium imposuit laminis ferreis, stannô illitis obduxit, horologiô decoravit, quo sonante, quot horas populus Uniejoviensis numerat, tot vota nuncupat, pro salute animæ, pii & liberalis Principis, Deiparam Virginem ad sonum, more majorum salutans. Cernebatur supra Uniejoviensem portam, restaurationis istius memoria, inscriptione tali comprehensa: *Restaurationem arcis hujus, à Joanne Wężyk Archiepiscopo Gnesnensi cœptam, sed post restaurationem, meridionalem partem morte intermissam, secundus ab eo Successor, Mathias Łubieński Archiepiscopus Gnesnensis, resumpsit, & occidentali aquilonarique parte refecta, & turri educta, suæ Successorumque commoditati continuavit, Annô Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto* Quid plura de Nostro Mathia scribam? Arcem Opatovecensem, in majorem habitandi commoditatem restituit; Gnesnensem ultra Prælatorum & Canonicorum curias, ad lacum dictum Jeleń sitam, ampliavit; Curiam Campinensem, & Chroslinii Domum, speculatrici solitudini accommodatam, prope vivarium ferarum exœdificavit; Liskovicienśia ædificia refecit, & sacellum elegans, palatio per Antecessorem Joannem Lipski exstructo, adjunxit, & Successoribus suis, commodas habitationes, & gratam sui memoriam reliquit.

Neque Antecessorum suorum, Archiepiscoporum Gnesnensium immemor, dum eorundem gloriosa facta, ex oblivione in memoriam, è tenebris in lucem, de latebris ad solem publicum eduxit, vitas eorundem videlicet, Stephano Damalewicz, Canonicorum Lateranensium, ad Sanctum Nicolaum Calissii Præposito, quondam suo Theologo, conscribere mandavit, & pro impressione typo, sumptum liberaliter suppeditavit. Reliqua quæ noster Mathias, in vita integerrima gessit, & quæ decem Annis, Ecclesiam Metropolitanam & universam Archidiæcesim Gnesnensem, sanctissimè regendo fecit, ne farragine, gloriosa illius involvamus facta, Sanctissimas confundamus Virtutes & merita, in reliquis idque ulterioribus, describemus capitibus.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

De Fundatione Ecclesiarum variarum per Mathiam in Polonia.

LAtissimum denuo ingredimur campum, in quo quot Ecclesias, templa & Sanctuaria, per Mathiam Nostrum fundata, restaurata & dotata, tot trophæa nobilissima, tot monimenta magnifica, Deo totique Cælo acce-

ptissima, admirabimur. Numeravimus Ecclesias, Ordinis Canonicorum Sancti Sepulchri, sub toto Capite undecimo, per eundem fundatas vel restauratas, conspeximus Cathedras & celeberrimas Basilicas, quarum Mathias Noster, Præsul & Episcopus erat, ab illo sive erectas sive dotatas & ornatas, nunc iterum, quæ ejus summa in Deum liberalitas, pietas, & ad prodigium munificentia, alibi operata sit, admiremur.

Occasionem autem, fundandarum & dotandarum Ecclesiarum, Mathias Noster hinc accepit; cùm Mathias Pstrokoński, Episcopus protunc Premisliensis, Diœcesim suam visitâsset, Mathiamque Nostrum, Socium visitationis & laborum suorum, secum habuisset, in Pagum Cracovecium, ditionis protunc Alexandri, Ducis in Ostrog, ad visitandam ibidem Ecclesiam pervenerunt, ubi templum erat antiquitus Catholicum, quod, idem Dux Græco Schismati addictus, in Ruthenum ritum transtulerat, sed eo vitâ functo, Uxor illius fæmina religiosissima, iterum illud Catholicis restituerat, Romanæ Religionis dato Sacerdote. Is omnium rerum egens, cùm quibûs illud templum recenter restitutum, indigeret, Episcopo explicâsset, ille non subducta ratione pecuniæ, quantam tunc haberet, jubet numerare centum florenos, in subsidium Ecclesiæ impendendos, dissvadebat protunc Mathias, eo tempore Gnesnensis Canonicus, qui privatas ejus rationes tractabat, ostendebatque, quantum adhuc in perlustranda Diæcesi itineris & sumptuum faciendum esset, & quàm exigua summa pecuniæ, (quadringenti erant circiter floreni) Episcopo superesset, ac proinde differri oportere petitionem Parochi, dum Domum Episcopus rediret. Assensit Episcopus quidem, idque ægre, cæterum comminatus est, brevi eventurum, ut illum ipsum sui Consilii pæniteret. Dicto eventus respondit: nam sequenti nocte, arculam in qua & Episcopi & Mathiæ pecunia erat, fur abstulit, quod ut intellexit Episcopus, ne minimum quidem jacturâ rei permotus, nimiam tantùm erogandi in Ecclesiam parsimoniam, eo furto castigatam est professus, ut quam primum domô, pecunia in subsidium Ecclesiæ promissa, mitteretur, mandavit, & Mathiam, subtrahendos suis usibus proventus, & in rationem Ecclesiarum impendendos, debere esse, hoc exemplo monuit. Præcautus tali exemplô & monitione Mathias, in illo statu, quo sibi proventus ampliores augebantur, eò magìs Ecclesiæ & Monasteria liberaliorem expertæ, ita ut suis usibus moderatis, totum in Ecclesiarum fundationes, dotationes, effundetet.

Et primò Insignis & prærogativis & structura, Collegiata Ecclesia Łovicii, Civitate Archiepiscopali, liberalissimum experta est Fundatorem, quam Mathias, in hanc Augustam formam, quæ nunc cernitur erexit, binas turres adjecit, ærea laminâ texit; Et

quia mors, finire hoc opus, ſtante vita ejus impedivit, ideo pro eadem perficienda, omnem ſumptum, penes Executores teſtamenti ſui reliquit, & inſuper eam, aulœis ad ornandos parietes Eccleſiæ tum variis Sacris veſtibûs, pro uſu Sacriſtiæ condecoravit. Exſtat Lovicii, in Facie Eccleſiæ, à parte Occidentali ſupra fores, ubi & ſtemma Pomian Mathiæ Noſtri cernitur, tanti operis memoria. *D. O. M. Qui Baſilicæ hujus, auguſtam ſpectas celſitudinem, ea eſt, cultûs præcipui erga Deiparam Virginem Monumentum, Mathiæ Pomian Łubieńſki, Archiepiſcopi Gneſnenſis, perpetui Clientis Mariani, Qui cum ejus honori, plures vivens inſtaurâſſet & ornâſſet Eccleſias, hanc octogenariô Major, vetuſtam demolitus, trophæum in Cælos aſſumptæ Triumphanti, à fundamentis poſtquam inchoâſſet, moriens, perficiendæ curam, ſupremîs tabulîs credidit Executoribus ſuis, Annô Domini, milleſimo ſexcenteſimo Quinquageſimo ſecundo.* Supereſt & alia in eadem Eccleſia, Mathiæ Noſtri memoria, nimirum in ipſa Eccleſia Collegiata, exſtant ſtemmata ejus ab Executoribus & Capitulo Lovicienſi poſita, & primo in Majori choro, in arcu Eccleſiæ, in ære ſculptum ſive excuſum, in Capellis autem ex utraque parte majoris chori, pariter in arcu Capellarum, gypſo impreſſa & elaborata, oſtendunt ejus pietatem Deo & Cælo gratiſſimam, dignamque munificentiam.

Jam ad Uniejovienſem Collegiatam Eccleſiam deſcendamus, quam in honorem Virginis Beatiſſimæ, pariter Mathias Noſter, à ruinis magno vindicavit ſumptu, in ampliorem & Auguſtiorem formam redegit, dilatavit, feneſtris illuſtravit, concameratione murata ac latericiis imbricibûs texit, aulæis pretioſis ornavit, & undique illuſtriorem fecit. Nondum Lovicienſem & Uniejovienſem Collegiatas Eccleſias, in ſuo perfecto opere finivit, ſumptum tantùm pro iiſdem perficiendis ſufficientiſſimum, penes Executores ſuos reliquit, & jam tertiam Camenenſem Eccleſiam ex Parochiali in Collegiatam, Annô Domini, milleſimo ſexcenteſimo Quadrageſimo octavo, in Archidiœceſi Gneſnenſi erexit, illiusque Præpoſito, in ſubſidium dotis Canonicatum Gneſnenſem, Doctoribus conferri ſolitum, incorporavit, primumque ejuſdem Eccleſiæ jam Collegiatæ Præpoſitum, Matthæum Joannem Judicki, Sacræ Theologiæ & utriusque Juris Doctorem, Archidiaconum Pomeraniæ & Canonicum Gneſnenſem inſtituit. Non ſufficiebat illi prædictam Eccleſiam in Collegiatam erigere, verùm eandem, tum Prælatorum & Canonicorum numerô, tum ſeminariô penes eam fundatô, adornavit. Numeravit Mathias Noſter, eidem Eccleſiæ Collegiatæ & Seminario ibidem à ſe erecto, quinque millia, in Bonis Lipicze, Stanislai Kobierzycki Caſtellani Krzywinenſis, primò inſcripta, & poſtea in Bona ſua Zelaſkowo, per eundem translata, à qua ſumma Cenſum tum Canonico Camenenſi, qui lectiones prælegeret Seminariſtis tum

pro

pro sustentatione quatuor Seminaristarum, Germanicæ lingvæ gnarorum exposuit, certa legumina ex Prædio Camenensi, seorsivo privilegiô suo, sub ratihabitatione Capituli Gnesnensis, iisdem Seminaristis concessit, & eosdem curæ & jurisdictioni, Canonici Gnesnensis fundi Jezierzány, tanquam Præpositi Nati Ecclesiæ Camenensis, unà cum Archidiacono Ecclesiæ ejusdem subjecit. Exemplò Mathiæ motus, nunquam sinè honore nominandus Heros, Albertus Stanislaus Radziwiłł, Ołycæ & Nieświesz Princeps, Magni Ducatûs Litvaniæ Supremus Cancellarius, qui unum in eadem Ecclesia Canonicatum erexit, summam notabilem, aliquot millium florenorum donavit & inscripsit, aliqui etiam Parochi, ære collatitio, Præbendas seu Canonicatus in eadem Ecclesia fundârunt, verùm illæ summæ in bonis primìs debitìs oneratis locatæ, magna ex parte interierunt, non absque enormi illius Ecclesiæ damno & injuria.

Enarratis Collegiatis Ecclesiis, *à* Nostro Mathia fundatis & erectis, jam ad Parochialem in Bełchow, ab eodem *à* fundamentis erectam, descendamus, ibidemque occasionem fundandæ istius Ecclesiæ, & apparitionem stupendam, temporibûs Nostri Mathiæ in Archiepiscopatu factam, *à* Thoma Jączyński Societatis Jesu in suis manuscriptis connotatam, & ex ore Mathiæ, per eundem Thomam Jączyński acceptam, admiremur. Antecessor Nostri Mathiæ in Archiepiscopatu, adjecerat animum ad ædificationem templi Bełchoviæ, (est autem Bełchovo Villa, inter Lovicium & Squiernievicios intermedia,) jamque arbores comparatæ & ex amussi conformatæ erant; sed quod est aulicorum ingenium, persvaserunt Archiepiscopo, ut mutato consiliò, ex iis arboribus Liskoviciis uno milliari distantibus Loviciò, Aulam sibi exædificari curaret; secutus consilium impiorum aulicorum, fecit quod illi persvasum fuit; interim promissione facta, Bełchoviæ ædificii templi, moritur. Accipit Archiepiscopatum Mathias Noster, jamque alterum Annum cùm præesset Gnesnensi Ecclesiæ, hæc accidisse intelligit. Vesperi nocte tenebricosissima mundo incumbente, venerunt in Liskovice currus sexigis vecti, tam structores mensæ quàm coquos invehentes, fit strepitus ingens & cursitatio, Illustrissimum Archiepiscopum venire affirmant, gallos gallinaceos, anseres, vitulos, arietes jugulant, mensa struitur, omnia pro Majestate fiunt. Tum scriba prœdii illius sive Dispensator abripitur, vestibûs exuitur, veru alligatur, & igni applicatur. Dum hœc fiunt, cum comitatu aulicorum, venit Archiepiscopus valde tristis, mensœ paratœ & instructœ cum Prœlatis & aulicis assedit, in qua silentium altissimum fuit, Archiepiscopo ingemiscente; Tandem cum una & altera hora exacta fuisset, circumspexit œdificium, & validissimè mensam manu feriens dixit, O! Bełchoviense Templum! o Bełchoviense Templum, subitò cum omnibus disparuit. Factore attonito,

qui à longe & quasi de occulto ſpectabat omnia, cùmque rediiſſet factor ad focum culinarium, reperit ſcribam aulæ, alligatum veru & ſemiuſtum, qui teſtis erat illius apparitionis, oſtentans ambuſtiones ſuas.

Hìs intellectìs, & ſumpta hinc occaſione,' Mathias Noſter Eccleſiam in eadem Villa Bełchow, à fundamentis erexit, ſub titulo Sancti Mathiæ Patroni ſui dedicavit, Parochum in ea locavit, de Bonis menſæ Archiepiſcopalis, cum conſenſu Capituli Gneſnenſis, tribus nempe manſis in ipſa Villa Bełchow, tum Decimis granariis de Villa Sirakowice, in clave Sqviernievicenſi ſita, & ex aliis Villis Krępa & Guźnia, in Clave Chroslinenſi collocatis, ad quæ per commiſſionem exequenda, Capitulum Metropolitanum Gneſnenſe, Adrianum Grodecki & Matthæum Judicki, Canonicos Metropolitanos Gneſnenſes, deputaverat, dotavit; paramentis ac Sacra ſupellectili etiam argentea, nec non altarium picturis eleganter ornavit, & tandem, quia intra limites Eccleſiæ Sqviernievicenſis ſtructa eſt, tanquam Matri Filiam univit & incorporavit. Pariter in altero Pago Archiepiſcopali, Woykow nuncupato, Eccleſiam erexit & dote ſua ampliavit.

Poſtquam ita ſupra recenſitas erexiſſet & dotâſſet Eccleſias, etiam Regularium Magnifico ſumptu, (priſcos illos æmulatus Fundatores,) exſtruebat Sacraria. Mathiæ Noſtri celebrabit Nomen, Sanctuarium Beatiſſimæ Virginis Mariæ, in Eccleſia Clari Montis Częſtochovienſis, Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ, ab eo fundatum, quod toto orbe celeberrimum habetur, ob imaginem intemeratæ Virginis, novìs in dies miraculìs coruſcantem; ubi ultra trium ſæculorum ſpatium, Imago Virginis Deiparæ, celebre ejus loci ac Regni depoſitum, non habebat conveniens Majeſtati & honori ſuo Sacellum, ſed potiùs cernebatur anguſtum, feneſtras ad aquilonem habens, & luce ſufficienti carens, unde Regnis, & populis, prædictum Sanctum locum viſitantibus, deerat commoditas copioſi & ſereni luminis. Hoc ergo Mathias, protunc Primas Regni, trienniô vix exactô, poſtquam prædictum Sanctuarium, Sanctiſſimæ Virgini Mariæ, de novo exſtruere ſtatuiſſet, protinus ab ipſis fundamentis, erectis affàbre in altum parietibûs, ac ſupernè circumjectis periſtiliis, adeò ſuperbè ad formam auguſtiorem & perſimilem Baſilicæ, ſumptu liberali & planè Regio perfecit, ut pariter auguſtæ venerationi, toties commemorandæ Imaginis, atque ipſius raræ omnino ardentique, in decrepita præſertim ætate, in Virginem Sanctiſſimam pietati, è diametro reſponderet.

Stetit itaque tantum & inſigne opus, (nimirum munificentiæ Mathiæ Noſtri, æternùm manſurum monumentum,) in omni illo ſuo decore, quem grato totius Regni oculorum guſtu libando ſpectamus,

ctamus, ex asse politum, ex arte perfectum, & undique propter populum, tum ipsius Regni Poloniæ, tum Regnorum vicinorum, ad Maternæ protectionis gremium confluentem, ex angusto Augustum, ad finem Mensis Martii, Anni millesimi sexcentesimi quadragesimi quarti, quantum loci & temporis angustiæ permiserunt, satis splendidè, ut aspici à quoquam etiam magnificentissimo oculo, minimè dedignetur. Cernuntur ibidem, à summo etsi illo non admodum elato fornice, (qui totus aurô pictoriô stellatim coruscat,) circumcirca imagines, pleraqué mysteria, tum Deiparæ, tum aliorum loci Patronorum, eruditi cujusdam pictoris manu, vivis epressa coloribûs; visuntur ibidem intimiùs, ferreæ quidem ast formæ præstantiâ inusitatâ, partim qudrangularis, partim adinstar cochlidis contortæ, utraqué ex parte conspicuæ; beneque limatæ, (ac quod caput est,) encausticè ad ignem picturatæ, atque per intervalla spatiorum, hìc & ibi capitellorum locô, aurichalcô fusili superindutæ crates, quibûs Mathias Noster, (ut & securè & decorè, sacrum hoc Regni depositum, Imago videlicet miraculosissima clauderetur,) domicilium istud munivit. Ubi nec illud admiratione caret, summum apicem eorundem clathrorum, septem distincta candelabra, cum suis hastulis, unum altero eminentius, venustè satis coronant. Et denique qui volet singula rigidiori oculorum censura rimari, per justa locorum spatia ejusdem cratis, rarâ artis fabrilis industriâ, ferruminata tam lilia quàm rosas pandiculariter deflexas, varióque Cylindrô ludentes, cum suis suffrænationibus videre inibi non sine voluptate sua, Mathiæ verò Nostri, non sine pietate poterit.

Ad Augustal Virginis, ducunt postes marmorei, statuis è niveo formatis alabastro substrati, quibus impendet Lubieńscianæ Domus Gentile decus; Hujus & tantæ munificentiæ, Mathiæ Nostro, in analecta elogiorum, Joannes Dionysius Łobżyński, Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ, reliquit perennitatem, dum scripsit. *Perenne grati animi monumentum minimus Ordo Protöëremiticus, munificentissimo Marianæ in Claro monte Basilicæ Conditori, Sarmatico Patriarchæ, Seni Abrahamico, Sacerdoti Principi, Majoribus Nobilissimis moribus antiquissimis, Heroi clarissimo, qui in Sacerdotalibus opibus, nihil æquè suum duxit, quàm ut omnia sua, in ornamentum Ecclesiarum effunderet. Effudit & in Claromontanam Divam, hoc excitato ejus ad honorem Sanctuario, quo augustiùs Augusta Cælorum Regina, suæ Amplitudinis fidelissima Patrona, cum sua Sacratissima Imagine commoretur. O grata Deo Divæque liberalitas! diu perenna.*

A Sacello Virginis, ad Collegium Calissiense Societatis JESU convertamur. Hoc Stanislaus Karnkowski, Archiepiscopus Gnesnensis, sumptu maximo, simmetriâ elegantissimâ, capacitate amplissima, ad stuporem eduxit, relictis etiam testamentô, ad impo-

nendam ſcholis coronidem, quinque millibus florenorum, In duabus tamen prædictæ ſcholæ continuandæ partibus, ſolis donatæ fundamentis, exſpectabant, opem Mathiæ Noſtri liberalem, qui cùm in Archiepiſcopatu, Stanislai Karnkowſki octavus Succeſſor eſſet, imperfectam hancCollegii Caliſſienſis & ſcholarum partem, feliciter ſuſcepit,continuare propoſuit,ſummam eo nomine decem millium florenorum Polonicalium, pro finienda fabrica numeravit, reliquam & ulteriorem expenſam, quantum ad perficiendum opus fuerit,etiam teſtamentò firmatam, vigore cujus, undecem millia, pro continuandis iiſdem ſcholis,duo autem millia, pro Eccleſiia Caliſſienſi Societatis JESU enumerata, usque ad finem operis determinavit, & inſuper pro conſervanda deinceps generali ejuſdem Collegii fabrica, quinque millia florenorum, in cenſum perpetuum collocanda, de peculio ſuo aſſignavit. Cujus munificentiæ memores PatresCollegii Caliſſienſis Societatis JESU,ejus Imaginem, in habitu Archiepiſcopali depictam, unà cum Cruce rubea duplicata, Inſigni Ordinis Noſtri in pectore, inter præcipuos ſuos Fundatores & Benefactores, in Collegio Caliſſienſi poſuerunt.

Quid de aliis Sacris ædibus, tam Regularium quàm aliorum Spiritualium ſcribam? quibus Mathias Noſter, tum Eccleſias reſtaurabat, tum Monaſteria reparabat, tum cor & paternum affectum demonſtrabat.Teſtis eſt Eccleſia Varſavienſis, Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum, pro qua ædificanda, eoſdem magno ſumptu juvit; Teſtis Eccleſia Parochialis Dobrovenſis, Beati Bogumili Archiepiſcopi Gneſnenſis reliquiis decorata, penes quam, domum capacem exſtruxit, eamque Præpoſito Sancti Nicolai Uniejovienſi, Ordinis Sancti Benedicti addixit, pro fovendis aliquot Perſonis Religioſis, dote copioſa ditandam, & inſuper ad ornandum locum, & Eccleſiam eandem amplificandam, duo millia florenorum Polonicalium, ultimo teſtamentò reliquit; Teſtis Eccleſia Parochialis in Kalinova, in Archidiœceſi Gneſnenſi ſita, cui caſulam albam, ex tela auro intertexta & auleorum breviorum, tum Imaginum inſigniorum medietatem donavit, & ſupremis tabulis inſcripſit.

Hæc ſunt in Archiepiſcopatu exiſtentis Mathiæ Noſtri, pietatis in Deum & amoris Divini, deſcripta argumenta. In Epiſcopatu verò Poſnanienſi exiſtens, præter Cathedralem Eccleſiam ut ſuo locò ſcripſimus, Eccleſiis Parochialibus plurimùm incrementi dedit. Donavit decimas de angulis novalium, inter Villas Janowka & Wyględowo, Eccleſiæ Parochiali in Wierzbno, pro additamento dotis Eccleſiaſticæ, & ſuper hoc Privilegium confecit, Eccleſiæ verò Parochiali Jamnenſi, Juris Patronatûs Epiſcopi Poſnaſnanienſis, in auctionem proventuum, omnes decimas menſæ ſuæ, de villis ad prædictam Parochiam pertinentibus, ad beneplacitum ſuum conceſſit. In aliis autem Eccleſiis, dum viſitâſſet eaſdem,

cum

cum comperisset Parochum, ex tenuitate sua, perditos census, Decimas, sive reliqua Ecclesiarum jura, insufficientem ad vindicandum fuisse, ipse Mathias, opem suam & auxilium porrigebat & afferebat.

Cum verò Episcopus Vladislaviensis esset, Ecclesiæ Raciąznensi, quam suus Prædecessor Avunculus, Mathias Pstrokoński Episcopus Vladislaviensis, magno fervore cæperat, & quam Laurentius Gembicki, altaribûs, tabulatô, picturis, imaginibûs, & pavimentô instruxit, ipse verò insigne ornamentum addidit, turri in sublime educta, cujus à Conditore inchoati muri, annis quadraginta, injuriis Cæli expositi fatiscebant. In Smarževicensi fundo, Paulus Wołucki Episcopus Vladislaviensis, ligneam amplæ capacitatis, in honorem Sanctæ Annæ ædificavit Ecclesiam, ad quam magno concursu, fidelis populus, Divina beneficia sibi per merita Genitricis Deiparæ petiturus, aliquoties in Anno ventitare usitatum habuit. Devotionem in ea studiosè promovit ArchiPræsul Noster, qui eam Religiosis Divi Francisci, quos Conventuales vocant, dote congrua provisam, Annô Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, Dominicâ secundâ post Epiphaniam, in celebri Nobilium plebisque concursu, solenniter addixit. Idem fecit Belchatoviæ, ubi pariter eosdem Religiosos, Ordinis Sancti Francisci Conventualium, facta fundatione posuit & collocavit.

Sicut autem ipse Mathias Noster, Ecclesias fundabat & restaurabat, ita & quosvis Patronos Ecclesiarum & Collatores, ad reædificationes desolatarum Ecclesiarum obligabat, & ut gratitudinem erga suum Creatorem & Redemptorem, in reædificandis & augendis Ecclesiis Majorum suorum exemplô ostenderent, admonebat, justissimam illis Divinæ Majestatis indignationem, quam olim Aggæus Propheta, illis verbis comminatus est: *Dicit Dominus Exercituum, quia Domus mea deserta est, & vos festinatis unusquisque ad Domum suam, propter hoc super vos prohibiti sunt cæli ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen suum*, remonstrabat, & id ipsum in concionibus inculcare mandabat. In usurpatores, Detentores Bonorum Ecclesiasticorum, qui cœca cupiditate, dotes Ecclesiarum, conventuum & Monasteriorum, tum quorumcunque Beneficiorum Ecclesiasticorum, illicitè occupabant, nec eas restituere curabant, quinimo repetita malitiâ, sub aliquibus prætextuosis rationibus, licere sibi eandem usurpationem existimabant, nè errore tam damnabili detinerentur, & ut aliquando resipiscerent, eaque omnia, quæ olim Deo omnium Bonorum datori, & Ecclesiæ ipsius, Sacrosanctè dicata fuerunt, contra severissimum Concilii Tridentini edictum, usurpata & detenta, plene restituerent, statuit in Synodo Vladislaviensi, Annô Domini, millesimo sexcen-

tesimo trigesimo quarto, convocata, ut hoc idem Concilii Tridentini edictum, quod Sess: 22. c. 11. habetur, quater in Anno, Dominicis immediate Quatuor Anni tempora sequentibus, necnon quoties populus, præcipuè Nobilitas Regni, causa Indulgentiarum, Dedicationum, Conventuum particularium, Electionum, Judiciorum & aliorum Actuum publicorum, frequentior ad Ecclesias convenire solebat, pro admonendis ejusmodi Detentoribus, usurpatoribus, spoliatoribus, post Concionem publice ex Ambona, in vernaculam lingvam fideliter translatum, prælegeretur & publicaretur. Præter pænas in Sacris Apostolicis Sanctionibus, contra ejusmodi Detentores latas, etiam ad defendendas earundem Ecclesiarum dotes, sive ad vindicandas de manibus usurpatorum, Advocatum peritum, qui pauperum Parochorum & quorumvis Sacerdotum causas, in Judiciis Tribunalitiis, quando illuc per appellationem devolverentur, promoveret, sufficienter providebat, negligentes verò Parochos, in dote & proventibus recuperandis, seriò pro arbitrio suo puniebat.

Reliquas Mathiæ Nostri fundationes, erectas Ecclesias, restaurata Sanctuaria, dotatas ædes Sacras & Monasteria, aureo & argenteo apparatu instructa, per quæ seipsum in omnem seram posteritatem exhibuit admirandum, Author Panegyris: *Certamen votorum inter Diæceseos*, Academiœ Cracoviensis Professor, volens ad laudem præteritorum, admirationem præsentium, imitationem posterorum, singularissima laude prosequi, victus multitudine, eas generalibus comprehendit terminis, & compendiose tetigit, in hæc verba: *Mathias Lubieński fere quadraginta templa Divorum, vel ædificavit vel reædificavit ac dotavit.* Licèt autem tot & tantas fundasset Ecclesias, quæ tum hìc, tum in aliis Cepitibus descriptæ reperiuntur, & quarum numerus & notitia, ob latissimum Poloniarum Regnum, haberi non potest, tamen DEUS fortunas ejus, ita mirabiliter ac extraordinarie augebat, ut de seipso in testamento à se condito fateretur, mirabilique Providentiæ Divinæ adscriberet, quod Deus ejus fortunas, pro infinita sua bonitate & misericordia, mirifice auxerit & cumulaverit, ac tandem licèt tot Ecclesiarum Fundator esset, Domino tamen Authori & Conditori suo, quidquid id erat, quod ipsi largitus erat, offerebat & dicebat; *Suscipe Deus, de manibus meis, hoc Sacrificium optimæ voluntatis meæ, qua nihil mihi inanis laudis arrogo, tibi soli placere, tuum Sanctum nomen laudari & benedici exopto,* Hoc præmium, hæc merces, hæc Corona Mathiæ Nostro, major exinde laus Divina.

CAPUT

CAPUT DECIMUM NONUM.

De extirpatione Hæresum per Mathiam.

NEcdum Mathias Noster in Virum perfectum crevit, necdum Epi- pali & Senatoria, tum ipsa Primatiali dignitate ornatus fuit, & jam pro Immunitate Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, strenuus Defensor, Jurium ejus Custos, & hæresum quarumvis in Polonia exortarum Domitor. Plane Mathias Noster, à Materno utero, à Cunis & fasciis ad defendendam Ecclesiam, eliminandam de Patria Hæresim, à Deo vocatus fuit; natus enim ex utraque Domo tali, Paterna videlicet & Materna, quæ nulla à sui principio adusque, aliqua hæresis labe infecta, ipsas hæreses, ceu quædam monstra, generoso animô premebat & calcabat. Non mea hæc sunt verba, sed Stephani Damalewicz, Sacræ Theologiæ Doctoris testimonia, qui de Domo Paterna Nostri Mathiæ, in Serie Archiepiscoporum Gnesnensium, adnotavit sequentia: *Incontaminata Fidei Divinæ Virgo, Domus Lubiensciana, nullis monstrorum sedem Apostolicam oppugnantium technis, aut Machinationibus perculsa vel exterrita, in solida basi, verbô Christi firmatæ petræ semel ubi consistit, nunquam nutavit, semper à Sede Petri promulgatæ doctrinæ ac præscriptis consvetudinibus, constans adhæsit,* Pariter Domum Maternam Nostri Mathiæ Zapolsciorum, Simon Okolski, in libro: *Orbis Polonus,* semper inimicam hæresi collaudat: *Hujus familiæ Candor in omnes, fides in Deum, Amor in Patriam, in amicos observantia, summas totius gentis laudes sibi vendicant, & nullum ejus Prosapiæ reperimus, hæretica labe unquam fuisse infectum.*

In tali igitur utraque Domo natus, digne vocanti Deo respondebat, cùm enim uno jam protunc sæculo, ita Hæresis in Polonia invaluerat, ut Senatûs quidem major pars, ex Hereticis constaret, iidem inter Equestrem Ordinem, non quidem numero, sed ad quasvis functiones obeundas dexteritate eminerent, primasque & in privatis & in publicis Consiliis ac Conventibus, sibi partes vendicarent, villas, Oppida, & Civitates & in illis Magistratus implerent, fana erigerent, Mathias igitur de reducendis errantibus ad Christi ovile ovibus, continuò satagebat & conabatur. Cum verò Episcopus Chelmensis & Regni Senator factus esset, Authoritatemque in Regno & in Senatu haberet, omnes vires, modos, industrias & preces, in id adhibuit, singularem operam suam navavit, ut eos, vel ad Consensum Orthodoxœ fidei reduceret, vel ne malo eorum exemplô alii destruerentur, eliminaret.

Scripserat protunc, ad Nostrum Mathiam Episcopum Chelmensem,

menſem, Archiepiſcopus Adrianopolitanus, protunc in Regno Poloniœ Nuntius Apoſtolicus, ſignificans eidem, Gregorium XV. Pontificem Maximum, Congregationem Cardinalium & aliquorum Prœlatorum, ſuper negotio propagandœ fidei renovaviſſe, ſub cujus protectione, Collegium Virorum, virtutibus & doctrina inſignium, qui ad Hœreticos & Schiſmaticos ad fidem Catholicam convertendos, mittendi erunt fundaviſſe. Accepto tali Nuntiô, lœtabundus imprimis Divinœ Majeſtati, quod talem Eccleſiœ Catholicœ ſummum dederit Pontificem, cujus omnes curœ, ad propagandam Catholicam fidem referuntur, gratias perſolvit, tum qua via, qua arte, in ſua Diœceſi fides Catholica, maxima incrementa ſumeret, conſuluit, & ſe pro virili tam Sancto & Apoſtolico muneri, cooperaturum propoſuit. Sed prœſtat ad Noſtrum Mathiam, ejuſdem Nuntii Apoſtolici, in eodem negotio inſerere literas.

Illaſtriſſime & Reverendiſſime Domine. Cum Apoſtolici muneris ſit, non ſolùm Catholicos, in firmitate fidei conſervare, verùm etiam ſchiſmaticos, Hæreticos, cæterosque à veritatis via aberrantes, ad rectum ſalutis tramitem reducere, nonnulli ex ſummis Pontificibus, prout temporum conditiones expoſtulârunt, ad fidem Catholicam propagandam, viros virtutibus & doctrina conſpicuos, in diverſas regiones miſerunt, ad eundemque effectum, Seminaria & Collegia, tam Romæ quam alibi, erexerunt. Hujusmodi pio ac Sancto deſiderio, motus Sanctiſſimus Dominus Noſter, Gregorius XV, Congregationem nonnullorum Cardinalium & aliquorum Prælatorum, ſuper negotio propagandæ fidei, aliàs cæptam variisque de cauſis omiſſam renovavit, ſub cujus protectione, Collegium certîs redditibûs dotandum, Romæ fundabitur, in quo omnia neceſſaria ſubminiſtrabuntur, non ſolùm viris probis & doctis, qui ad Hæreticos ad fidem Catholicam convertendos, mittendi erunt, Verùm etiam ſchiſmaticis, Hæreticis & aliis quibuscunque, qui relictîs infidelitatis tenebrîs, ut veram Chriſti fidem ſequantur, patriam, parentes, bonaque ſua relinquent. Horum autem ad hoc munus Apoſtolicum exercendum, per præfatam congregationem mittendorum, partes erunt: Hæreticos & Schiſmaticos, fidem Catholicam docere, eorum errores diſputando confutare, eorundemque converſioni, lachrymîs, precibûs, hortationibûs, orationibûs, jejuniis, ac diſciplinîs, in Chriſtiana ſvavitate, totîs viribûs incumbere, eiſque Sacramenta miniſtrare. Verùm licèt hic unicus ſit Sanctitatis ſuæ ſcopus, non deficient tamen aliqui, qui (ut faciliùs tam boni operis executio impediatur,) Principibus ac populis, à fide Catholica alienis, ſvadere conabuntur, hos viros probos, pro animarum converſione, huc & illuc mittendos, huic negotio, non ſolùm prædictis piis ſvavibuſque modîs, operam ſuam daturos, verùm etiam rixas, confæderationes, rebellionesque eſſe ſuſcitaturos, ut inde faciliùs poſſint à Principibus Catholicis armîs adjuvari, quod quàm à veritate

ritate alienum sit, experientia ipsa docebit. Nam isti, qui ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, huic Sancto & Apostolico exercitio, se dicabunt, spretis Principum, populorumque hæreticorum minis, ac etiam mortis periculis, Martyrii coronam undequaque quæritabunt. Cùm igitur Sanctissimus Dominus Noster, speret: Episcopos, cæterosque Ecclesiæ Sanctæ Prælatos, memores se in Ecclesia Dei, in locum Sanctorum Apostolorum Successisse, promptè tam Sancto & Apostolico muneri cooperaturos, voluit: ut omnes de prædictæ Congregationis fundatione, per Apostolicæ Sedis Ministros, particularibus literis certiores reddantur, ab iisdemque, exacta Provinciarum Diœcesiumque suarum notitia, circa fidei Catholicæ statum requiratur, videlicet an ad populos eorum Pastorali curæ commissos, fuerint aliqui ad eundem effectum mittendi? an æque impedimenta habuerint essent ve habituri? si aliqui cùm necessitas postularet, à Congregatione mitterentur, quis fructus sperari posset, de prædictis similibusquè fidei Catholicæ propagationem concernentibus? Idem Sanctissimus, omnes & singulos Episcopos hortatur, ut secundùm cujuslibet eorum Diœcesis necessitates, vel Sanctitatem suam, vel Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Cardinalem Ludovisium Sacri Cardinalium Collegii Decanum, ac dictæ Congregationis antiquiorem, seu me, utì Sedis Apostolicæ Nuntium, quàm diligentissimè vellent certiorare. Cui Apostolicæ hortationi, preces meas addendas esse non censeo, cùm Illustrissimæ & Reverendissimæ Dominationis Vestræ pietas & Religio, jam mihi ita perspecta est, ut de illius diligentia, animique promptitudine, in exequenda hac Sanctitatis suæ, pia & Apostolica voluntate, dubitari non possit. Non prætermittam tamen Illustrissimam & Reverendissimam Dominationem Vestram, ut literis meis responsum dare velit instanter rogare, ut Illustrissimæ & Reverendissimæ Dominationis Vestræ, in Sanctis operibus alacritas & erga Sanctam Sedem Apostolicam observantia, Sanctissimo Domino Nostro magis innotescat. Et ut meliùs, Sanctissimi Domini Nostri mentem, Illustrissima & Reverendissima Dominatio Vestra intelligat, copiam literarum Illustrissimi & Reverendissimi Domini, Cardinalis Ludovisii, de ejusdem Sanctissimi mandato, ad me scriptarum, Dominationi Vestræ Illustrissimæ & Reverendissimæ mitto. Datum Varsaviæ, vigesima quinta Aprilis, Annô millesimo sexcentesimo vigesimo secundo,

Receptis literis, nimia consolatione repletus, ad munus disseminandi Verbi DEI, in sua Diœcesi Episcopos Ruthenos Romanæ Ecclesiæ unitos, commendat, Seminaria pro erudienda Ruthena juventute excitanda svadet, magnos fructus exinde Religionis Catholicæ promittit, hoc unicè dolet, quod hìc & nunc, in propaganda Religione Catholica, Religiosis Viris Adjutoribûs careat; sed meliùs ex ipso responso Mathiæ Nostri, intelligi potest illius zelus propagan-

pagandæ fidei, quod hìc inſerendum putavi.

Illuſtriſsime & Reverendiſsime Domine, Domine Fautor Colendiſſime. Eſt quod Divinæ Majeſtati gratias agamus, quòd eum Orbi Chriſtiano, ſummum ſacrorum dederit Præſidem, cujus omnes curæ & cogitationes, ad publicam ſalutem & propagandam Religionem Chriſtianam, referuntur & in ea conſumuntur. Præclarum hoc inſtitutum diſſeminandi verbi Dei, deſtinandorumque ejus rei cauſâ hominum, qui & doctrina & vitæ Sanctitate illuſtres, ſe ſponte devovent, vel cum ipſo vitæ diſcrimine, ad prædicandum Evangelium illis, qui vel in Hæreſim & ſchiſma lapſi ſunt, vel nondum Religionis Chriſtianæ Sacrîs imbuti, in ipſis adhuc ignorantiæ tenebris verſantur, nemo eſt qui non tanto Pontifice maximè dignum, qui præſenti univerſi orbis ſtatui valde neceſſarium, non exiſtimet. Major pars Europæ, à fide & obſequio Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ receſſit, tot tam ampla & illuſtria Regna, vel infecta hæreſi, vel planè ab ea abſorpta ſunt, quidquid in Aſia & Affrica continetur, aut Schiſmatici ſunt, aut turpi Machometanæ ſectæ deditis; Atque hujus ingentis molis & ſollicitudinis, ſolam ejus, qui Divinitus ſummæ rei præeſt mentem capacem, ut Deus ipſe, cujus ipſe in terris vicarium munus obit, ſuâ illuſtret gratiâ, ego ab illius Majeſtate ſupplicibûs votîs expoſcere non deſinam. Ad me Diœceſimque meam, cujus curam nuper ſua Sanctitate mandante ſuſcepi, quod attinet, quantum quidem paucîs iſtîs menſibûs, dum eam perluſtro, explorare potui, magnis illa Hæreſum ſentibûs plena, & tota ferè Schiſmatica eſt, nec ſincera eorum, qui uniti eſſe dicuntur ad Romanam Eccleſiam converſio, licèt in erudiendis Græco Schiſmati addictis, Unitorum Epiſcoporum deſudet induſtria, agreſte hoc genus hominum, ita diſcordiæ venenô ſathanas imbuit, ut nulla re magis, quàm conſortio Catholicorum offendatur. Si qui ab Urbe huc mitterentur, ut id quod ſentio fatear, minori fortaſſis cum fructu, munus ſuum obire poſſent, ac ne tutò quidem inter homines ſuſpicionibus variis obnoxios, & juratos Romanæ Eccleſiæ hoſtes, verſari; cenſerem ego iiſdem Epiſcopis Ruthenis, qui abjurato ſchiſmate Sanctam Unionem promovent, hoc negotium demandandum curarent illi ne ulla in re muneri ſuo deeſſent. Egent quidem hi ad promovendos tam pios conatus, idoneis cooperatoribûs, ſed ſi ad excitanda Ruthenæ juventutis Seminaria, ſumptus ſuppeterent, confido brevì futurum, ut ſua Sanctitas, magnos inde fructus, maxima Religionis Catholicæ in his partibus incrementa ſuſpiceret. Nos alii pro virili enitimur & deinceps enitemur, ut noſtri officii partes impleamus, quanquam aliquot, qui in Ruſſia ſumus Catholici Epiſcopi, non tantùm quantùm alii efficere poſſumus, accisæ & tenues opes noſtræ ſunt, Canonici Eccleſiæ meæ, exiguos & penè nullos reditus annuos habent, ſparſi per Diœceſim, Eccleſiarum Parochialium fructibus aluntur, Au-

thoritas

thoritas nostra vilescit, opportuni sumus potentiorum injuriis, pauci sunt, qui nos in promovendo cultu Divino, & in propaganda Religione Catholica juvare possent, raræ admodum Religiosorum sodalitates in Diæcesi mea, nullum Societatis JESU Collegium extat, quod quidem me magnopere angit, cum non ignorem, quanto cum fructu Societas hæc, alibi in vinea, piis sudoribus, diurnum denarium mereatur, & quod me magis sollicitum habet, ita istis adjutoribus careo, ut nec ratio ulla appareat me aliquando eos habiturum, &c. Hæc ad Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ literas, serius hoc est tertio postquam scriptæ erant mense, mihi nuper redditas respondendum putavi. Interim commendo me & humillima obsequia mea. Datum vigesima tertia Julii, Millesimo sexcentesimo vigesimo secundo.

Ex quibus literis cura ingens, vigilantia continua, studium assiduum, dolor de perditis, gaudium de reductis ad viam salutis, ad ovile Christi & Ecclesiam Catholicam ovibus, Nostri Mathiæ manifeste patet & ostenditur. Prævidit hanc ejus de ovibus extra ovile Christi errantibus sollicitudinem, Sigismundus III. Rex Poloniæ, & eundem, ad Cardinalem Ludovisium, in suis literis commendavit, dum scripsit, *Inter schismaticos agendum illi, & cum illis quotidie decertandum est.*

Postquam verò ex Cathedra Chelmensi, ad Episcopatum Posnaniensem promotus esset, & ibi Herculem se contra hanc hydram, hæresim videlicet monstravit, dum Hæreticis ostium, ad Magistratum Posnaniensem clausit, Privilegium à pientissimo Rege Sigismundo III. eam in rem obtinuit, quò à consulatûs Posnaniensis fascibus gerendis, Hæreticos arcuit & impedivit, seu à Religiosissimo prædicto Rege Sigismundo III. mandati, interdicti, seu Privilegii à Sigismundo Augusto, de Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, Die undecima Januari, Magistratui & toti Civitati Posnaniensi dati, novam Confirmationem, de Anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, Die decima quinta Julii, obtinuit, qua Confirmatione, fana Hæreticorum & conventicula sustulit, jurisdictioni Spirituali ad exequendum subjecit, ex Albo Civium eosdem Hæreticos deleri constituit, ad Sodalitates, Confraternitates, contubernia, tam mercatorum, quàm quorumvis artificium, sive ad eorum officia, Magistratus, Præfecturas admitti sub pæna Crumenali inhibuit & interdixit. Quod in sede suæ dignitatis Episcopalis Civitate scilicet Posnaniensi, id & in aliis locis, nempe in Oborniki & Sveciechov Civitatibus, & in tota Diæcesi Posnaniensi, cum Hæreticis fecit, nam visitando eandem, in illis locis, ubi Hæretici sua dogmata spargebant, ne jus Civitatis iisdem concederetur inhibuit, Catholicos, ne filios & filias suas, servitio Hæreticorum adjicere præsumerent induxit, gravitatem periculi exinde promanantis, sæpiùs explica-

explicavit, Magiſtratus Civitatum ſeriò admonuit, & hoc ipſum Parochis explicare mandavit.

Epiſcopus Vladislavienſis & Pomeraniæ factus, unica mens illi & cogitatio erat, ut Eccleſiæ, quas lues Hæretica pervaſit, priſtino ſuo ſtatui reſtituerentur, & ipſæ oves miſerabiliter errantes, ad evidentiſſimum Chriſti ovile redirent. Neque fruſtratus fuit ſpe ſua & maximo labore Mathias Noſter, cum Divina favente gratia, in utraque Diœceſi, nempe Vladislavienſi & Pomeraniæ, non paucas Eccleſias, è captivitate Hæretica vindicavit, & plurima ſalubria, circa eaſdem Eccleſias conſtituit. Obtulit ſe ei occaſio, quod Georgius & Barnevinus Fratres, ultimi in linea maſcula, Domûs Boguslai Stetinenſis, Pomeraniæ Ducis hæredes fatis conceſſerint, Annò Virginei Partûs milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo octavo, hinc ad directum Dominium Sacræ Regiæ Majeſtatis, Capitaneatus Leoburgenſis & Biłovienſis, in quibus Eccleſiæ hæreſi contaminatæ erant redierunt; Habita hac occaſione Mathias, Eccleſias illas ad juriſdictionem Epiſcopi Vladislavienſis, poſtliminio revocavit, duobus Decanatibus nempe Leoburgenſi & Bilovienſi diſtinxit, ad vineam operarios, quam ſingularis-ferus depaſtus eſt, & vulpes demolitæ ſunt, excollendam miſit, Sacerdotes, qui lingvæ peritiâ, doctrinæ ſinceritate & converſationis exemplô, plebem hæreticis ſeductam dogmatibus, in viam veritatis reducere ſatagerent, & nutantes in fide Neophitos confirmarent, atque paſcua ſana gregi Dominico fameſcenti, per Sacramentorum Adminiſtrationem, & Verbi DEI prædicationem ſubminiſtrarent, deputavit, & omnia, quæ hac in re, pro munere, officio, cura & providentia, vigilantiſſimi Præſulis deſiderabantur, implevit.

Poſt mortem Sigiſmundi III. Regis Poloniæ, ſub interregno, Annò milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo, quo Noſter Mathias, Epiſcopus Vladislavienſis erat, in convocatione generali, exorta fuit ex parte Diſſidentium in Religione, gravis controverſia, Diſſidentes enim, quandam Confœderationem ſuam, in ſummum præjudicium Orthodoxæ fidei Sanctœ Romanœ Catholicœ factam, Ordinum approbationibus firmare cupiebant, in qua volebant in omnibus Civitatibus Regni, œque Nobilibus atque plebeis, publicum uſum hœreſeon quraumcunque, nullâ exceptâ concedi, Principum mandata ac Iudicum Dacreta, Actaque publica, tali exercitio contraria reſcindi, pœnas ſeveriores, contra violatores eorum libertatis interponi, ad Magiſtratus in Civitatibus Regiis, œque Hœreticos atque Catholicos aſſumi, in Aula Regia, certa officia, quæ nonniſi aliquis ex Religione ipſorum habere poſſet, inſtitui, eaque omnia, (in eorum libello tunc publice prœſentato, Viginti Articulis comprehenſa) circa inaugurationem novi Regis, lege publica ſtabi-

ſtabiliri, Hæc omnia extorquebant & minis, quæ ſub illud tempus, Diſſidentium in Germania fædere, ac Guſtavo Rege Sveco, prope fines *Poloniæ*, in Pomerania, Marchia, Sileſia, Victrices exercitus tenente, tuto contemni non poſſe videbantur, Mathias Noſter, in hac Convocatione præſens, protunc Epiſcopus Vladislavienſis, Regni Senator pro fide zeloſiſſimus, poſt multos in hoc nagotio labores, cum aliis Regni Epiſcopis, tum ex Equeſtri Ordine Catholicis, convocationem nullatenus ſubſcribere voluit, niſi ſub conditione (*Excepta hac Confæderatione*) adhibita. Sed cum majores à Diſſidentibus exortæ eſſent controverſiæ & comminationes, conceſſum fuit, ut omiſſa illa exceptione, ſubſcriberent Catholici, adjuncto: *Salvis juribûs Ecclesiæ Catholicæ Romanæ.* Itaque Mathias Noſter, tam prædictam convocationem, quàm pacta conventa, inter Regem electum Vladislaum IV. & Rempublicam Polonam, iterata vice loco illius exceptionis; *excepta Confæderatione*, ſubſcripſit: *juribûs Eccleſiæ Catholicæ Romanæ ſalvis*; quod idem eſt plane, ac ſi ſubſcripſiſſet: *excepta Confæderatione*, quia prædictam Conſœderationem, quo ad articulum de Diſſidentibus, tollit immediate ſubſequens ſalva: *ſalvis juribûs Eccleſiæ Romanæ Catholicæ*; & penes hanc ſalvationem, & integritatem jurium Eccleſiæ Romanæ Catholicæ, articulus de Diſſidentibus, debet omnino vacillare, convelli, peſſumdari, & labefactari. De hoc ſi quis plenius edoceri cupit, legat librum Polonico idiomate ſcriptum, duobus gladiis, ad defendendam ſcilicet Eccleſiam, & ad exſcindendam è Regno hæreſim armatum& initiatum, Joſephi Andreæ Comitis in Załuſkie Załuſki, Sacræ Theologiæ & Juris utriusq; Doctoris, Supremi Regni Poloniæ Referendarii, in quo, quot literæ, tot in coronam Eccleſiæ militantis, & fidei Orthodoxæ gemmæ, quot periodi, tot de hoſte ejusdem fidei orthodoxæ triumphi.

Pariter, Annô milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo, dum jam Mathias Noſter, Archiepiſcopus Gneſnenſis & Regni Primas eſſet, mors Vladislai IV. Regis Poloniæ, novis moliminibus Diſſidentium, aperuit campum, voluerant enim omnino, diſſolutæ ſub interregno diſciplinæ domeſticæ, occaſione uti, & penes violentam illo Annô rebellionem Coſacorum, in turbido piſcari; Igitur hanc ſuam ſuperiùs deſcriptam Confœderationem, firmare & approbare, ſibi autem favorabilem, elucidare, meliorare & ampliare articulum, ſimulque Decretum Comitiorum Regni, de everſione Fani Vilnenſis irritare conabantur, promovente hoc negotium ipſorum fortiter, Januſio Radziwił Capitaneo Samogitiæ, Supremo Duce Campeſtri Exercituum Magni Ducatûs Litvaniæ, cujus tunc temporis auxilium & fidelitas, ſumme erat neceſſaria, ad tollendam rebellionem Coſacorum; Pariter Gerardus Denhoff Palatinus Pomæraniæ, Sbigneus Gorayſki Caſtellanus Chelmenſis, Diſſidentium à fide, cauſæ Suffragabantur.

Tt

tur. Ipſis igitur promoventibûs, articulus Confœderationis, Anni millesimi ſexcenteſimi trigeſimi ſecundi, Diſſidentibus favorabilis, in hanc Confœderationem Generalem, Anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi octavi, ingroſſatus eſt.

Quod cum ita factum, Mathias Noſter, protunc Archiepiſcopus Gneſnenſis, pro fide Orthodoxa, zelo ingenti fulminabat, non deerant ex ſacro & politico Procerum Ordine, qui impetus illos Hæreticorum, ſimul cum Noſtro Mathia retundebant, & Catholicæ fidei, grandævæ in hoc Regno Matrifamilias, ab hac adventitia & cum aliis mercibus importata fiducula, nullum debere fieri præjudicium, zelo laudabili evincebant. Eminebat inter alios, Georgius Oſſolińſki, Supremus Regni Cancellarius, qui nervoſo & ad omnem elegantiam formato ſermone, Januſſio Radziwiłł, ultra civilem modum pro ſectariis agenti ſilentium impoſuit, ac tandem quievit ardor ille prava volentium, fidesque Orthodoxa Romana conſtabilita, & à Mathia una cum omnibus Regni Epiſcopis, aliisque Senatoribus, tum Equeſtris Ordinis Proceribus, Terrarum Nuntiis, ſub tempus hujus convocationis Varſavienſis, Annô ſupra recenſito, milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo, die decima ſexta Julii expeditæ, ſolita pro juribus & immunitatibus Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, præcautio facta, Confœderatioque non aliter ſubſcripta eſt, niſi *ſalvis juribûs Eccleſiæ Romanæ Catholicæ.*

Juſtam adhuc habendo reflexionem, ne alii Hæretici, prout Ariani, Anabaptiſtæ, Sabatiſtæ, & alii his ſimiles Hæretici, prædictum articulum pacis & ſecuritatis Diſſidentium, in ſuum favorem, unà cum Luteranis & Calviniſtis amplificarent, ſolennem cum octo Epiſcopis & multis Senatoribus & Miniſtris Regni, in Caſtro Varſavienſi, eodem Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo, Die prima Septembris, proteſtationem fecit. Poſtquam verò ſubſecuta ſunt Pacta conventa, inter Joannem Caſimirum, noviter electum Regem, & Rempublicam Polonam, in quibus prædictus Articulus, pro parte Diſſidentium, cum aliquibus additamentis, deſcriptus & ingroſſatus erat, & hoc ob reſpectum, ſupradicti Principis Januſſii Radzivilii, Ducis Campeſtris Exercituum Magni Ducatûs Litvaniæ, à quo, illo tempore, pendebat omnis ſecuritas Patriæ, penes emergentia Coſacorum prælia, Mathias Archiepiſcopus & Primas Regni, eadem Pacta conventa, cum ſolita ſalva, jurium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, idque excluſiva quarumvis Prætenſionum Diſſidentium, ſubſcripſit his terminis: *Mathias Łubieńſki Primas, in ſola Pacta Regis Vladislai IV. ſubſcribo, Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, juribûs per omnia ſalvis.*

Non eo ſolo contentûs Bonus Paſtor, quod libertates Hæreticorum tollere, uſum Hæreſeos proſcribere, à dignitatibus eos & Officiis in Regno arcere, deſideraret & vellet, & continuis ſuſpiriis, ſupplici-

busque

busque votis ac precibus, Deum exorabat continuò, ut Poloniam ab Hæresi tunc infestante liberaret, Hæreticosque ad veram fidem converteret. Illius in Synodo Provinciali impressa Verba, sed magis cedrô aurôque notanda, in cordibusque omnium Civium exaranda existunt: *Profectò non possum absque dolore intueri diram Hæresim, uno jam sæculo oves nostras in hoc Regno infestantem, fera ista pessima, tot filios devoravit, quorum interitum & jacturam quotidie deplorat Mater Ecclesia;* Quo fine in Synodo Provinciali Varsaviæ, Annô Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, Die undecima Novembris & sequentibus diebus, à se convocata: *Colloquium charitativum cum Dissidentibus ab Ecclesia Catholica Romana, in Regno Poloniæ & annexis eidem Provinciis existentibus*, inire statuit, & ejus colloquii tempus, diem decimam octobris, in Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, locum verò Thorunium Civitatem Regiam assignavit. Insuper edidit Encyclicam ut vocant Epistolam, ad omnes Dissidentes in rebus fidei ab Ecclesia Catholica Romana, in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Litvaniæ existentes, quos per eandem Epistolam, ad amicum congressum & fraternam reconciliationem, ad locum & tempus designatum invitavit. Cujus Epistolœ & zeli Pastoralis, hìc à nobis exemplum accipe.

Mathias Lubieński, DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas Primusque Princeps, cæterique Regni, & Magni Litvaniæ Ducatûs Episcopi, Varsaviæ, in Synodo Provinciali legitimè Congregati. Illustrissimis, Illustribus, Magnificis, Generosis, Nobilibus, Clarissimis, Spectabilibus & Eruditis Viris, necnon universis & singulis cujusque status & Ordinis, tam sæcularibus quàm Ecclesiasticis, ab Ecclesia Catholica Romana Dissidentibus, in Regno Poloniæ & annexis eidem Provinciis existentibus, salutem animarum & prosperitatem. Illustrissimi, Illustres, Magnifici, Generosi, Nobiles, Clarissimi, Spectabiles & Eruditi Viri. Triste Religionis dissidium, quod hoc Regnum annexasque illi Provincias uno jam sæculo fatigat, non potuit Christiani Fraternique amoris necessitudinem, quam nobiscum, tanquam unius Regni Cives, constitutam habemus dissolvere: neque Pastoralem de vobis solicitudinem, ex animis nostris, quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit sangvine suo, unquam eximere. Qua urgente in hac Sacra Provinciali Varsaviensi Synodo, de eo imprimis deliberavimus, quomodo Vobis, in unius Religionis nomen, doctrinæque normam concedendi, quàm accommodatissimum & gratissimum remedium proponeremus. Igitur ubi hoc unum non inusitatum elegimus, fraternam nimirum collocutionem, seu colloquium charitativum, visum est Vos Illustrissimi, Illustres, Magnifici, Generosi, Nobiles, Clarissimi, Spectabiles, Eruditi & Vestris titulis

honoratissimi, quicunque in hoc Inclyto Regno Poloniæ, eique unitis Provinciis, communi jure legibus Politicis estis consentientes, sed doctrinâ fidei dissentientes, ad illud Thorunium, Regiam Civitatem, ad diem decimam Octobris, in Anno Styli Gregoriani, millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, peramanter invitare. Neque verò necessarium existimamus, multis id vobis suadere, quibus studium hoc Nostrum, Optimè ut speramus intepretaturis, propensa nostra voluntas, consiliumque placebit, & præterea concordis Religionis commoda non ignota, discordis contra, damna sunt Manifesta. Illud unum profiteri, pollicerique vobis suffecerit, initam à nobis augendi honoris Dei, juvandarum animarum, stabiliendæ pacis publicæ rationem, nemini ferè præjuditiosam, Vestrisque consvetudinibus, immunitatibus, Privilegiis, minimè exitiosam. Aderunt insuper opportunè, quibus liber et tutus ultro citroquê commeatus patebit, Diplomata Serenissimi Regis & Domini Nostri Clementissimi, qui ut bello inclytus, ita pietatis laude insignis, in ætatum posterorumque omnium memoriam ibit, quod armata in suum exitium, potissimum ex causa dissonæ Religionis, belloque ardente universa Christianitate, ille foris immota undique pace constituta, ad restituendam Regno, Dominiisque suis Religionis tranquillitatem, cum ipse Regias flexit curas, tum nos ad easdem agendas incitavit. Aderit etiam Nomine Nostro, ad præfinitam diem, locumqué, Illustrissimus & Reverendissimus Dominus, Georgius Tyszkiewicz, Episcopus Samogitiæ, ingenii suavissimi & propagandi honoris Divini studiosissimus, unà cum duodecim aliis viris, doctrinâ modestiâque conspicuis, à nobis destinatis, qui singulari animi mansvetudine in Spiritu lenitatis, sine clamorosis disputationibus, prætermissis aculeîs, etiam qualibet offensione, hos salutares vobiscum habebunt sermones. Quodsi vos (uti quidem obnixè rogamus) tales quoque deligetis, qui candido pacisque Ecclesiasticæ cupido animo, huic interveniant colloquio, profectò quandoquidem vobis, in multis fidei Capitibus cum Ecclesia Catholica videtur convenire, ubi insuper certa pro certis utrinque statuentur, ambigua liquidabuntur, verè controversa, Scripturarum & primitivæ Ecclesiæ, aliisque testimoniîs comprobabuntur, haud difficile erit, Catholicam veritatem, omnibus quibus ejus fulgor hactenus obscurari videbatur, depulsis, & quàm inania sint, quæ parti huic imputantur, liquidò perspicere, pariterque vobis & cunctis judicare, jurene præsens secessio, & olim facta sit, & nunc continuetur. Si unquam fuit resumendæ pacis Ecclesiasticæ tempus opportunius, hoc certe est, tot annorum pace felicissimum, scilicet ut in hac placidissima temporalis felicitatis malacia, tranquillis animis, omnes despiciant dulcedinem pacis Religionis, atque alteram ex altera quærere & firmare condiscant. Utimini igitur hoc bono, Illustrissimi, Illustres, Magnifici, Generosi, Nobiles, Clarissimi, Spectabiles & Eruditi Viri, ut Vota nostra vertantur in gaudia, non Poloniæ modò & septemtrionis

nostri,

Nostri, sed Cæli universi, sed nationum omnium, apud quas pulchrum erit, funestam Religionis discordiam, alibi prius cæpisse, hic prius desiisse. Valete, acceptate, adeste in Domino. Varsaviæ in Synodo Provinciali, Duodecima Novembris, Annô Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio L. † S. Mathias Lubieński, Archiepiscopus Gnesnensis suo & totius Synodi Nomine, manu propria.

Ad tam pium & salutare opus, Mathias Nolter, Serenissimum tunc Vladislaum IV. Poloniarum Regem movit, ut & ille præcipuo zelô promovendæ fidei Catholicæ flagrans, verè Constantinus Sarmaticus, præclarissimum hoc ac saluberrimum pietatis Christianæ remedium, ad optatum effectum perducere, tali consilio & ratione, cives suos ad optatæ pacis ac unitatis vinculum, reducere desideraret, & id animi sui regalis desiderium, per literas suas ad omnes Dissidentes in Regnô patefaceret. Unâ igitur cum pientissimo Rege, tanto se Mathias consecravit oneri, & ad id charitativum colloquium, ex sacro Episcoporum Collegio, Georgium Tyszkiewicz, Episcopum Mednicensem seu Samogitiæ, qui post è vivis abiit Episcopus Vilnensis, Sacris literis eruditissimum, ingenii suavissimi & propagandi honoris Divini studiosissimum, unâ cum duodecim aliis viris, doctrinâ, modestiâque conspicuis, ad præsidendum iisdem, Authoritate Synodi destinavit, ut cum Dissidentibus, singulari animi mansvetudine, in Spiritu lenitatis, sinè clamorosis disputationibus, prætermissis aculeis, etiam qualibet offensione, salutares haberent sermones, ut certa prô certis statuerent, ambigua liquidarent, verè controversa, scripturarum primitivæ Ecclesiæ aliisque testimoniis comprobarent.

Statuit, præterea, ut bini Theologi Nostri, ex majoribus Diœcesibus & Academia Cracoviensi, ex minoribus autem singuli, Thorunium mitterentur, ad conferendum cum adversariis Religionis Catholicæ. Verùm hæc res tam Sancta, in longius tempus, nempe in Annum proximè futurum millesimum sexcentesimum quadragesimum quintum, ad mensem Augustum dilata, prô quo tempore, iterum ArchiPræsul Noster, per literas suô Nomine, de Data Lovicii sexta Mensis Julii, Anno eodem, millesimô sexcentesimô quadragesimo quinto expeditas, Theologos ex variis Diœcesibus Regni, tum ex Clero sæculari, tum ex variis Religionibus sacris, destinavit, destinatos declaravit, quos binis vicibus Thorunium, ubi locus prædicti colloquii destinatus erat, direxit, ac plerosque propriis sumptibus liberaliter sustentavit, quatenus nimirum oves, quæ perierant Domûs Israel, Bonus Pastor, in caulas Domini revocaret.

Fuit igitur hoc colloquium charitativum Thorunii, cum Augustanis & Reformatis, prout se vocari volebant, inchoatum Feriâ secunda, post Dominicam duodecimam post Pentecosten, die Divinissimo Augustino, Ecclesiæ Doctori Sacro, ad quod comparuerant,

Dux Georgius Offoliński Supremus Cancellarius Regni, cui præter avitam natalium claritudinem, aderat ſvada ad omnem elegantiam exculta. Joannes Leſzczyński Caſtellanus Gneſnenſis, qui Palatinus Lancicienſis, Poſnanienſis, Supremus Regni Cancellarius, tandem cedens tantis Magiſtratibus, Palatinus Cracovienſis vivere deſiit, Civilis prudentiæ, ſummæ integritatis magnum exemplar, verèque Cato Polonus. Legati Regii, Georgius Tyſzkiewicz, Epiſcopus Samogitiæ, ex Synodo Deputatus; Ex Capitulo verò Metropolitano Gneſnenſi, Joannes Baykowſki Canonicus Metropolitanus Gneſnenſis, Suffraganeus Poſnanienſis, cui præſentiam Capitularem cum refectionibus, Capitulum Metropolitanum conceſſit, & cùm hæc faciendo ſumptui nullatenus ſufficere poterant, Mathias Noſter eundem decenti ſubſidiò, ut in cauſa univerſalis Eccleſiæ laborantem, inſigniter juvit, & multi alii Catholici Theologi, inter quos tres Theologi ex Archidiœceſi à Noſtro Mathia miſſi, Stephanus Damalewicz Sacræ Theologiæ Doctor, Canonicus Regularis Lateranenſis, Nedalius Ordinis S. Benedicti, Benedictus Bułakowſki ſtrictioris obſervantiœ S. Franciſci, primus hujus obſervantiæ in Polonia Fundator. Ex parte verò Diſſidentium Zbigneus Gorayſki Caſtellanus Chełmenſis dempta Religione, literatura elegantiori & Civiliori apprime excultus. Sigiſmundus Guldenſtem, Capitaneus Stumenſis, qui obiit Caſtellanus Gedanenſis, Lutheranorum Præſes, & plurimi alii Lutherani, Calvini, etiam ex Germania Dogmatiſtœ, qui excludebant à ſuo conſortio Arrianos & Anabaptiſtas.

In primo igitur conſeſſu, Supremus Cancellarius Regni, digna cedrò locutus, enumeratis Vladislai IV. Poloniarum Regis, Heroicis factis & virtutibus, dignis in templo ſculpi œternitatis, hanc Supremam virtutem, quœ & Conſtantini Magni Imperatoris, glorioſos coronavit triumphos, nempe fidei Chriſtianœ propagandœ, diſcordesque de ea opiniones, conciliandi ſtudium, Magnificis ut par erat elogiis extollendo, hortabatur: ut pio illius deſiderio, reducendi ad concordiam, diviſas de doctrinis fidei Chriſtianœ ſententias, ad quod hic Conventus indictus, æqualibus animis, ſuſpicionibûs ſemotis, obſecundarent. Sed toto tempore, ſeſſiones illœ, in quibus prœſidebat Cancellarius, & poſt diſceſſum ejus, non niſi in ſolis ambagibus, circa introductiones propoſitionum, variis ambiguitatibûs à Diſſidentibus injectis, usquè ad medium Novembrem, ſine fructu protrahebantur. Quamobrem Georgius Tyſzkiewicz, Epiſcopus Samogitiœ, uti Catholicorum Prœſidens cum aliis Deputatis, hactenus nullam cauſam morœ, ex ſua cauſa interceſſiſſe, ſed à ſola Diſſidentium parte, quœ pium Sacrœ Regiœ Majeſtatis, tum ipſius Archiepiſcopi & Primatis Regni & Sacrœ Synodi deſiderium differret, aliquoties proteſtatus eſt. Noſtri tamen Mathiæ Archiepi-

ſcopi

scopi, gloriosus conatus & sumptus, non erat inanis, neque privandus prœmiô, mens enim boni desiderii ac pii voti, etiamsi fructum non invenerit cœpti operis, habet prœmium voluntatis.

Licet autem prœdictum Thorunense colloquium, per sacram Synodum Decretum, finem suum & fructum, ex parte Dissidentium non acceperit, multa tamen in prœdicta Synodo, ad exstirpandam Hœresim, Mathias Noster salutaria statuit, & ad effectum deduxit; ac imprimis, antiqua Provincialia statuta, de non imprimendis absque revisione & approbatione libris, ac revidendis ad minus semel in Anno, Bibliothecis, Bibliopolisque; suspectos & Hœreticos libros, vendentibus, renovavit. Unionem Ruthenorum Schismaticorum, promovendam constituit, curam Ministrorum, hœresim ejurantium singularem decrevit, & ut eos ad conversionem proclives, & ad Matris Ecclesiœ gremium alliceret & impelleret, maximè cum multi non contumacia voluntatis, sed famis & inopiœ metu, in errore dicantur persistere, putenturque non difficilè Hœresim detestaturi, si suis vitœ & victûs rationibus, ab Ecclesia prospectum esse viderent, iisdem Ministris, ad Ecclesiam Catholicam redeuntibus, sustentationem in Synodo Provinciali providit, & prœcipue ex residuo relictœ hœreditatis, Jacobi Zadzik Episcopi Cracoviensis, (quam ille vir propagandi honoris Divini studiosissimus, in pios usus & pauperum subsidium, effundi voluit,) Mathias Noster, uti primarius ejus testamenti Executor, centum millia Florenorum Polonicalium, in censum reemptionalem, in Bonis terrestribus locavit, & ut census proveniens, primò & prœcipuè inter Ministros hœresim ejurantes, tum etiam inter alios, qui relicto errore, ad Ecclesiam Catholicam redibunt, quotannis distribueretur, mandavit, cujus rei curam & censum prœdictum distribuendum, Capitulo Ecclesiœ Cathedralis Cracoviensis, commisit. Quo exemplo, idem Noster Archiepiscopus, & alios movit Regni Episcopos, ad similem in suis Diœcesibus, reconciliatorum faciendam sustentationem, ut facerent secundùm exemplar, quod ipsis monstratum erat, quatenus Catholicæ Religionis, & perditarum animarum quærendarum zelo, charitatisque proximi ardore, in sua quisque Diœcesi, de congrua & convenienti, reconciliatorum Ecclesiæ Romanæ Ministrorum sustentatione, pro statu suo & conditione providerent.

Nondum finivit suum zelum Mathias, sed quousque vixit, quærebat modos, inveniebat media, nec se dilatare hæresi permittebat, nunc precibûs, nunc prædicatione Verbi Divini, nunc ad Deum suspiriis & multis sudoribûs laboravit, ut Hæresim relegaret è Polonia. Unum adhuc inter alia idque millena exemplum, de Nostro Mathia adferam, pro memoria & imitatione notandum: Choyniciis Ecclesiam Parochialem visitans, in eadem Ecclesia die Sancto Bartholomæo dicata,

ſolennem Miſſam Pontificalem, ad Aram Principem celebravit, ad quam magna Diſſidentium à Religione, confluxerat turba, illecta ſtudio videndi, Romanarum Ceremoniarum gravitatem, & Pontificis celebrantis, nunquam in eo loco viſum Sanctiorem apparatum. Igitur in tanto eorundem Diſſidentium concurſu, oves illas erraticas, Hæreticorum impoſturis deluſas, ad unitatem Chriſti ovilis, & Eccleſiæ Romanæ Apoſtolicæ concordiam, à qua fruſtra deſciverant majorum ſuorum degeneres poſteri, tum per Thelogum ſuum, ex ſuggeſtu, ferventer invitavit, tum & ipſe eaſdem, ac Magiſtratum Civitatis potiſſimùm, ad avitum Religionis cultum, piè ac ſtudioſè cohortatus eſt. Non tamen abſque fructu & profectu Spirituali, labores iſti Noſtri Mathiæ habebantur, nam inſignem cætûs Calviniſtici Anteſignanum, Bartholomæum Nigrinum, Eccleſiæ Romanæ, opera Georgii de Tęczyn Oſſoliński, Supremi Regni Cancellarii, ad viam veritatis adductum, reconciliavit: plurimos Judæos, multos Arrianos, non paucos ſcythas, ſacro Baptiſmate initiavit, & ovili Chriſti aggregavit Quare tum fulmen Hæreticorum, paſſim dicebatur Mathias, tum à plurimis Viris doctis & eruditis, inter Sanctiſſimos Fidei Defenſores, aduſque numerabatur. Præſtat unius hoc ſæculo Literatorum Primatis, in quo omnes Theſauri Polonæ Hiſtoriæ, Joſephi Andreæ Comitis de Załuſkie Załuſki, Supremi Referendarii Regni, Noſtro Mathiæ adſcriptum, in libro Polonico: *Duo gladii* dicto, adferre elogium: *Poſſem hìc latiſſimè dicere, de glorioſa orthodoxæ Religionis defenſione, piiſſimorum & penes fidem zeloſisſimorum Epiſcoporum Poloniæ, ſed ſcientibus loquor, ſatis eſt illorum adducere nomina, quæ ſcripta ſunt in libro vitæ. Et imprimis in Cathedra Metropolitana Gneſnenſi Beati Radzini ſeu Gaudentii, Sancti Adalberti Fratris, Beati Bogumili, Joannis Łaſki, Stanislai Karnkowſki, Bernardi Cardinalis Maciejowſki, & Mathiæ Łubieńſki &c.* Quod autem hic præclariſſimus tot voluminum, à ſe conſcriptorum Author, & Regni Miniſter, Mathiæ Noſtro præſtitit, hoc & alii, fecerunt, dum ſummis laudibus, condignis præconiis, ejus deſiderium curam & zelum exſtirpandœ de Polonia Hœreſis celebrarunt, celebrabuntque continuò, & nulla ſilebit œtas, & illa quœ ventura ſunt depredicabunt ſœcula.

CAPUT VIGESIMUM.

De affectu & favore Mathiæ, erga Sacros Ordines Regularium.

SAcri Regularium Ordines, in militante Eccleſia, fortiſſima contra exorientes hœreſes caſtra, invictiſſimi, contra hoſtes Eccleſiœ & Religionis Athletœ, laborioſiſſimi in Vinea Domini operarii, ſive

Coadjuto-

Coadjutores, peccatorum extirpatores, virtutum plantatores, Sanctitate vitæ, virtute & doctrina, mirificè Ecclesiam exornantes; aliqui enim illorum oves Domini, pabulò doctrinœ salutaris pascunt, aliqui sacras exedras implent, alii Confessionalia, alii Cáthedras Doctorales occupant, alii scholas ad erudiendam juventutem, alii nosocomia ad ditandam paupertatem regunt, alii Orbem libris à se conscriptis erudiunt, alii eundem cum Evangelio ad convertendas gentes peragrant, aliqui autem propriæ curam habentes salutis, solitariam vitam cum odore boni exempli agunt. Horum cernens Supremus Ecclesiæ Pontifex, Clemens VIII., integritatem vitæ, & prædictos in Ecclesia sudores, indeque fructum animarum copiosissimum, eosdem in sua Constitutione, de largitione munerum, Annô Domini, millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, Decimo tertio Kalendas Julii edita, multa complexus est laude, ubi sic inquit: *Religiosæ Congregationes, ab insigni Sanctitate Viris, Spiritûs Sancti afflatu institutæ, tantas in Ecclesia Dei utilitates, omni tempore attulerunt, ut ad eas conservandas & instaurandas, Romani Pontifices, Præ decessores Nostri, magnam jure optimo diligentiam, semper adhibuerint.* Eodem encomio, & Pius V. in Constitutione quæ incipit: *Et si* Annô millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Decimo septimo Kalend: Junii, Pontificatûs sui Annô secundo, à se edita, Sacros Regularium exornavit Ordines, in qua sic de iisdem Regularibus dicit: *Qui sedulum in vinea Domini, quotidie exhibere non cessant famulatum.* Et paulò post inferiùs *Ac exinde, pro suis Sanctis studiis, honestisque laboribus, proque salute animarum, ab Apostolica sede, cujus continuè pacem & dignitatem, Ordines ipsi tutati sunt, tam Spiritualia quàm temporalia subsidia, ornamentaque acceperint & accipiant.* Tandem inferiùs: Eosdem Ordines, *tanquam fructiferos in Agro Domini palmites* appellat, & post subjungit: *Qui onus diei & æstûs, tam in prædicationibus, quàm cæteris Spiritualibus muneribus, quotidie sustinent.* Et ne mei obliviscar Ordinis, qui pari cum aliis Sacris Ordinibus, in Vinea Domini certans labore & studio, à Supremo Ecclesiæ Capite, Clemente IV, in Constitutione quæ incipit: *Terra Sancta*, Quinto Idus Novembris, Pontificatûs sui Annô VIII. edita, summa coronatur laude, dum idem Pontifex, deplorans amissionem Terræ Sanctæ, & in Sanctissimum Salvatoris Nostri Sepulchrum, manûs sacrilegæ injectionem, constituens q; Procuratores & Nuntios, ad colligendas Eleemosynas, Ordinem meum, seu potiùs Personas Ordinis mei, veros Divinæ fidei ac culturæ Christianitatis Athletas, probavit, dum sic ibidem scripsit: *Ad hæc itaque feliciùs exequenda, veros Divinæ fidei ac culturæ Christianitatis Athletas, Priorem & Fratres, Domûs Dominici Sepulchri Hierosolymitani, Ordinis Sancti Augustini, elegimus Procuratores & Nuntios. &c.* Supremum Ecclesiæ Caput secutus Mathias Noster,

& erga omnes Sacros Regularium Ordines, præcipuo ferebatur affectu, eosdem singulari & eximio prosequebatur amore, illos sibi in quavis Diœcesi sua, habere optabat, non posse habere dolebat. Hunc suum, ex non habitis in Diœcesi sua Chełmensi, Regularium Familiis, in literis ad Nuntium protunc in Polonia, directis, in Superiori Capite recensitis, expressit dolorem dum sic scripsit, *Pauci sunt, qui nos in promovendo Cultu Divino, & in propaganda Religione Catholica juvare possent, raræ admodum Religiosorum Sodalitates in Diœcesi mea &c. & quod me magis sollicitum habet, ita istis adjutoribus careo, ut nec ratio ulla appareat, me aliquando eos habiturum.*

Ac imprimis, Sacrum Canonicorum Sancti Sepulchri Ordinem, quem Noster Mathias professus erat, præterquam, quod eundem voluerat habere ordinatissimum, & perquam florentissimum, præterquam, quod eidem usque ad tempus mortis, summe addictus esset, etiam eundem, ubivis locorum, summis laudibus ac præconiis extollebat. Illius de prædicto Ordine, quoties se obtulit occasio, verba, etiam in Erectione Ecclesiæ Wągczoviensis, dum Episcopus Posnaniensis fuit, expressa: *Scio Alumnos Miechoviensis Domus, ad curam animarum ordinari, & ab ipsis teneris formari ungviculis, plurimos ex hac institutione, prodiisse & quotidie prodire Viros, qui non magis doctrina, quàm pietate excellant, qui magna cum laude, & utilitate Ecclesiæ Catholicæ, incrementoque Divinæ gloriæ, munus Pastoralis officii exequantur, hanc igitur ex omnibus, elegimus & præelegimus.* Dum verò Episcopus Chełmensis, & Præpositus Generalis Ordinis esset, continuò de prisci Instituti Canonicorum Nostrorum, Nominis & Originis splendore, pristinæ luci restituendo, cogitabat, illorum præclarissimas Res gestas, vetera instituta, prima incunabula, vocationis excellentiam, ipsam denique Ordinis Antiquitatem, ab Apostolis recta linea promanatam, referri sibi postulabat. Nec satiari potuit, Arctioribus aliorum, qui de hoc Ordine scripserunt Commentariis, verùm Samueli Nakielski, Ordinis Nostri Canonico, in utraque Historia, tam Ecclesiastica quàm Politica instructissimo, commisit, (prout ipsemet in præfatione testatur,) ut Ordinis Nostri initia, probatissimorum Authorum scriptis, ac certissimis Ordinis instrumentis, ad pingviorem Minervam reduceret, & ab oblivione hominum vindicaret; Quare Mathiæ Nostri Voluntati morem gerendo, librum de sacra Antiquitate Ordinis conscripsit, & illum luci publicæ consecravit.

Post Sacrum Canonicorom Sancti Sepulchri Ordinem, succedit immediatè Sacra Canonicorum Lateranensium Religio, quæ sicut Antiquitate, alias Regularium Congregationes excellit, aliisque prærogativis adæquat, ita ab Ordine Canonicorum S. Sepulchri, in nullo differt, attestante, præter Gabrielem Pennotum lib: 2. cap. 68. per totum, & præter alios multos, Joanne Antonio Zungo, Canonico

Regula-

Regulari Lateranensi, Viro in Historia, de Sacro Canonicorum Regularium Ordine inæstimabili, ac nunquam præsentis chartæ angustiis deprædicando. Qui Vir Celeberrimus, Ordinem Canonicorum Sancti Sepulchri, ab Ordine Canonicorum Lateranensium, in sua Historia Generali & Speciali, tomô secundo foliò 193. indistinctum asserit, dum sic inquit: *Quo ad Canonicos verò Sacri Sepulchri pro Aris & focis certamus, ut jure ac in re inter Nostros, tanquam legitimos ac genuinos Confratres computemus, utpote quos & instituti identitas, & Nominis æqualitas, & Vestis li eæ ratio, veros Canonicos facit, atque decernit.* Proinde quidquid de una Religione ex his dicitur, altera hoc sibi justè vendicare potest. Hanc pariter Mathias Noster, cordi habebat, in pietate aliisque Religiosis virtutibus confirmabat, eorum Monasteria in Archidiœcesi Gnesnensi consistentia, quà Sedis Apostolicæ, à Congregatione Sacrosáncti Concilii Tridentini Delegatus, visitando & ordinationes salutares, eisdem præscribendo.

Exstant in Archidiæcesi Gnesnensi eorundem Canonicorum Lateranensium, insignes Præpositurae & Ecclesiæ, Calissiensis ad Sanctum Nicolaum, Mstoviensis & Kłodaviensis titulô Collegiatarum condecoratæ, tum & Abbatia cum suo Monasterio & cum suis membris, Trzemesznensis, ac tandem Præpositura Krzepicensis cum Monasterio, eleganti structura condito. Quare Mathias Noster, tunc Archiepiscopus, easdem Authoritate delegata visitando, Sanctissimas Ordinationes iisdem ad servandum in posterum, de data Squiernieviciis, in Palatio suo, Annô Domini, millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo, VI. Idus Martii, proposuit, exhibuit & præscripsit. Et quidem primò, quandoquidem tunc exactè servatur Regula, cum se ipsum, vivum illius exemplar, exhibet Superior, et tum speratur profectus in cæteris membris, cùm caput in ea, sanctitatis evibrat radios, totumque Corpus, casta et integra conversatione vegetat, idcirco circa Præpositum, salutaria ordinavit statuta, ut mores Religiosos, ad normam Regulæ à Sancto Augustino, Canonicorum Regularium Legislatore, præscriptæ, ipse quàm studiosissimè componeret, ne cæteri Canonici, ullam haberent conquerendi occasionem. Tandem cæteris Canonicis circa essentialia vota, & imprimis proprietatis abnegationem, circa obedientiam & reverentiam Superioribus, circa castitatem, circa cultum Divinum, & Administrationem Sacramentorum, circa gubernationem Domûs, circa mensam, & hoc in fundamento Sacræ Regulæ & Sacri Concilii Tridentini, Sacras Constitutiones ordinavit, quæ ut diligenter executioni demandarentur, Præpositum Calissiensem ad Sanctum Nicolaum, eorundem Canonicorum, protunc Stephanum Damalewicz Sacræ Theologiæ Do-

ctorem, per Archidiœcesim Gnesnensem, Ordinarium Librorum Censorem, & Archidiœcesanum Examinatorem, aliosque Domorum eorundem Canonicorum Præpositos, tum & ipsum Abbatem Trzemesnensem in Domino hortatus est; cæterosque illis subjectos Canonicos, paternè requisivit, ut omnia hujus ordinationis puncta, observare satagerent, gratiam pacem & beatitudinem Supremam, à Deo Ter Optimo Maximo, pro hac observantia consecuturi.

Videns autem Mathias Noster, quòd eidem Canonicorum Lateranensium Ordini, magis utile & proficuum foret, si ab uno Capite, cætera membra dependerent, idcirco, primo se jurisdictione & Authoritate, super Domos Canonicorum Lateranensium, in Religiosâ observantia visitanda & corrigenda, perpetuis temporibus exuit, eandem in Abbatem Canonicæ Trzemesznensis transtulit, solo jure suo & Successorum suorum, circa curam animarum, iisdem Canonicis annexam, salvo. Sed præstat ad perpetuam ejus rei memoriam, ipsum hìc Privilegium adducere.

Mathias Lubieński, DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, Primusque Princeps. Dignum & congruum est, ut Monasteriis à nobis dependentibus, nostram impendamus sollicitudinem, ut juxta monitionem Sacrosancti Concilii Tridentini, Superiores, ea, quæ ad substantiam votorum Regularium pertinent, diligenter observari curent. Proinde cùm ex frequentibus visitationibus & controversiis, id comperissemus, magisque expedire, ut Conventus Canonicorum Regularium, Congregationis Lateranensis, Domûs Calissiensis, cum connexa sibi Krzepicensi & Klodaviensi, ad observantiam Regularem instaurandam, in disciplina Religiosa & visitatione, Abbati Trzemesznensi & ejus Cænobio, subjiciantur & incorporentur, facultate illis ad professionem Fratres colligendi & admittendi adémpta, per Antecessores Nostros, illis olim collata, conditione autem hac, in Abbatem Trzemesznensem translata, ut mittat dignos ad regimen Animarum Sacerdotes, Domûs Trzemesznensis Professos, bene in novitiatu probatos & exercitatos, quot Loci Ordinarius pro tempore judicaverit, & ordinaverit, ita ut in substantialibus, Religiosa vota, quàm congruentissimè impleantur ab omnibus. Itaque totam nostram jurisdictionem & Authoritatem, super his tribus prædictis Conventibus, in Abbatem Trzemesznensem pro tempore existentem, perpetuis temporibus, in Religiosa observantia visitanda & corrigenda, transfundimus per præsentes, in DEI Nomine, hortantes ipsum Dominum Abbatem, pro tempore existentem, quatenus ordinationes nostras, in prædictis Domibus, juxta reformationem Regularium à Sancta Tridentina Synodo præscriptam, concinnatas, ad executionem deduci, exactè ac fideliter, ab omnibus observari curet, salvo jure Nostro, & Successorum, circa curam animarum, cui ex Officio Pastorali, tenemur attendere.

In casu

In casu vacationis Præposituraum, in memoratis Domibus, pro singulis earum, duo eligentur in Cænobio Trzemesznensi Capitulariter, vocatis aliis Præpositis prædictorum Cænobiorum, juxta præscriptum Concilii Tridentini, secreto scrutinio, ex pluralitate suffragiorum, à nobis & Successoribus per concursum examinandi, & dignior instituendus. In quorum fidem præsentes, Sigillo Nostro communitas, manu propria subscripsimus. In Arce Lovicienſi, Die quinta Julii, Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo. Mathias Łubieński, Archiepiscopus Gnesnensis. Locus Sigilli.

Pariter sacro Præmonstratensium Ordini, Mathias Noster summè affectus fuit, dum regularis disciplinæ observantissimum, Albertum Tulibowski, Ordinis ejusdem Commissarium, Suffraganeum & Vicarium Generalem Płocensem, ad Præposituram Sanctimonialium, Divi Norberti Ordinem professarum, Conventûs Płocensis, ob maturas ejus virtutes, promovit & commendavit.

Sacram Societatis JEsu Religionem, quanto respectu æstimabat Mathias Noster, quisque facilè intelligere potest, ex dato illi in suo testamento elogio. Moriturus hic & testamentum conditurus, cum imperfectum Calissiense Collegium finire & ad perfectum statum, etiam post mortem suam reducere cogitaret, hæc de eadem Societate JEsu, jam jam moriturus, ubi jam ab omni suspicione falsi, longe alienus erat, pro veritate protulit, & in testamento suo in scriptis contestandi animi sui erga eandem Societatem reliquit: *Societatis JEsu Religionem, semper unicè dilexi, non ideo tantùm, quòd olim in ejus Scholis studuerim, atquè Fratrem germanum in ea habeam, sed præterea, quòd videam eam, augendæ gloriæ Divinæ, juvandisquè animabus sangvine Christi redemptis, totam se consecrâsse, hæc duo, totîs viribûs, ubique terrarum promovere.*

Inter Ordinem Seraphicum, cum quædam quæstiones & difficultates exortæ essent, sopirique absque Sede Apostolica, tum Cardinali Protectore Ordinis, tum ipso Generali Ordinis Seraphici, non possent, Mathias Noster protunc Episcopus Chelmensis, ut supra hunc Ordinem protectionem suam & affectum monstraret, ad Summum Pontificem Gregorium XV: tum ad Cardinalem Protectorem Ordinis, & ipsum Generalem ejusdem Ordinis, literas & suam commendationem dedit, summisque laudibûs & encomiis, Ordinem Seraphicum & præcipue eos, quos hìc Bernardinos vocamus, tam ad summum Pontificem, quàm Cardinalem Protectorem extulit, tenor autem literarum sequitur.

Ad Summum Pontificem GREGORIUM XV.

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater, Domine Domine Clementissime. Agnoscit hoc libenter, universa hujus Regni Provincia, Re-

ligiosos Divi Francisci, quos à Divo Bernardino, ad strictiorem primi Instituti Observantiam traductos, vulgò hìc Bernardinos vocamus, ea hactenus pietate in Ecclesia Dei floruisse & florere, ut nihil in istis Religiosis Viris, desiderare posse videatur eorum, quæ à primo Authore Instituti hujus, jussa ac præscripta sunt. Superiori etiam tempore nutantibus aliis, in hoc Regno Religiosis familiis, hæc una stetit inconcussa, & Sanctitatis opinione, & eruditionis præstantiâ, adversus exorientes hæreses munita. Ea de re edocti, Sanctissimi Sanctitatis Vestræ Decessores, cum petentibus iis, qui nuper in aliis Provinciis, novam formam huic Instituto Bernardinorum dederunt, ut illis quoque Monasteria, fundare permitterent, responderunt sibi placere, ne quid in Polonia innovetur. Ejus sententiæ fuit, Divinæ memoriæ Clemens Octavus, Pontifex Maximus, qui coram se, dum in Polonia, Sedis Apostolicæ legatione fungeretur, vidit exploratamque habuit, pietatem & Religiosi Instituti arctiorem accuratioremque Observantiam, Bernardinorum Nostrorum. Nunc iterum hoc idem urgent quidam, qui nuper ad hos Reformatos se transtulerunt. Ego certe faveo ex animo omnibus Religiosorum incrementis, sed enim vereor, ne ea res detrimentum huic Religioni potiùs adferat, quàm aliquod pietatis augmentum, nam & isti, qui hactenus in possessione continua, pristini & primævi sui Instituti fuerunt, perturbantur, & hi qui aliquid novi adferre videntur, non ita facilè, ut in aliis Provinciis, emergere poterint, cum non exigua appareant impedimenta, quominus id, quod animo destinarent, consequantur. Cæterum totum id constet, arbitrio Sanctitatis Vestræ, mihi uni ex minimis, ad aures Sanctitatis Vestræ deferre suffecerit, quid non solùm Religiosis, sed Ecclesiæ ipsi expedire judicem. Humillima obsequia Sanctitati Vestræ defero, ejusque Sanctissimos pedes demissè exosculor. Datum Cumoviæ, quarta Decembris, Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo primo.

Ad Cardinalem Protectorem ejusdem Ordinis.

Non alia re ii, qui ex Familia Sancti Francisci orti, Bernardini apud nos vocantur, non vulgarem sibi favorem nomenque præclarum, in ista Provincia conciliaverunt, nisi quod constanti tempore, præscriptam sibi à primis Authoribus, Sacri Instituti vivendi normam, semper observarunt, multosque Viros Illustres, Sanctitatis opinione claros, produxerunt. Hos, qui nunc introductis iis, qui in aliis Provinciis Reformati vocantur, distrahere velit, nihil aliud egerit, nisi ut observato Bernardinorum Nomine, utrisque, ac imprimis Ecclesiæ Dei, in hac Provincia, non rectè consuluerit. Quare supplico Illustrissimæ Celsitudini Vestræ, ut eos Nostros Bernardinos, patrocinio suo tueatur, expendendumque & inspiciendum diligenter existimet, an expediat permittere, nova ista recentium Reformatorum introductione, antiquissimam Religionem, præclare de Ecclesia Dei meritam, tot Sanctorum Virorum Matrem &

Altri-

Altricem, in discrimen innocuè adducere; cum eadem, pristini Instituti, in hac Provincia semper tenax fuerit, & nunc si quid ex antiquo vigore deesse videatur, ultro recipere & reassumere parata sit. Plura hac de re alii, mihi satis visum paucis innuere, quid hac de re sentiam. Humillima obsequia mea, Illustrissimæ Celsitudini Vestræ defero &c.

Ad Generalem Ordinis Seraphici.

Reverendissime in Christo Pater, Amice Observandissime. Inter multos, qui optimè cupiunt Familiæ Divi Francisci, à Divo Bernardino, jam dudum ad Pristinum primi Authoris Institutum reductæ, ego me esse profiteor, merentur id illi eximia pietate, qua semper in Ecclesiâ Dei floruerunt, sed potissimùm in hac Provincia, in qua continuo tenore, viguit semper in hac Familia, accurata Observantia regularis Instituti. Hinc magis doleo, hunc Religiosum Cœtum turbari, paucorum quorundam importuna affectatione, qui prætextu usurpatæ in aliis Provinciis reformationis, nova hìc ejusdem Instituti Monasteria, condere volunt. Faverem ego illorum desiderio, nisi viderem, eo rem tendere, ut & hi, qui hactenus non opinione modò Sanctitatis, sed etiam tot productis sui Instituti Viris, qui miraculis, vitæ Sanctitatem comprobarunt, claruerunt, ea æstimatione spolientur; & isti, qui novum quoddam affectant, suum non obtineant finem. Quod ne eveniat, & nobis, qui horum Patrum, in functionibus Ecclesiasticis operâ utimur, & Reverendissimæ Paternitati Vestræ, sub cujus Regimine militant, prospicere incumbit. Potiùs veteres nostros Bernardinos, si quod est, in quo illi à primo Instituto recessisse existimantur, eo revocandos censerem, quàm minùs necessaria partitione, discindendam unitatem, & conformem vitæ rationem distrahendam. Qua in re, ut Reverendissima Paternitas Vestra, suam voluntatem, Nostro desiderio accommodet, sibique imprimis persvadeat, nos id velle, quod & Religioni & Ecclesiæ expediat, amanter ab ea postulo. Cui mea studia, officiaquè defero. Cumoviæ Nona Decembris, millesimo sexcentesimo vigesimo primo.

Eundem & Sacræ Scholarum Piarum Religioni, Mathias Noster jam Archiepiscopus, affectum præstitit, cum eandem ad Innocentium X. Pontificem Maximum, unà cum aliis Episcopis Regni, summopere non solum commendavit, verùm etiam, enarratis ejus laudibus & encomiis, veræ virtutis & Religionis virtutem, in illa delineatam, Orbis Capiti deprædicavit, & in sequentibus Literis transmisit.

Beatissime Pater. DEI nos causam agere existimamus, cum Religiosum Scholarum Piarum Institutum, Nostrarum apud Sanctitatem Vestram literarum commendatione, sustentamus. Efficit hoc, illustribus in Orbe Sarmatico, constans illius pietas, propagata documentis, ut tantùm perturbatis sacri hujus cœtûs rebus, vel immunitatis vitæ rationibus indoleamus, quantùm integerrimo vigore, & florentibus inter serpen-

serpentes hæresum vepres, favimus incrementis. Experti sane sumus, solidam & expressam in religiosa hac familia, veræ virtutis, germanæque Religionis effigiem, quam eo firmiori stare vestigio, ac propensiore Sanctitatis Vestræ niti patrocinio, magnopere desideramus, quo fructuosiores illius, in Ecclesiam Dei meritorum, brevi hoc, quo Poloniæ inclaruerunt spatio, accessiones perspeximus. Commune igitur nostrum, in eo genere negotii votum, & humillimas conjunctô literarum officiô, preces, apud Sanctitatem Vestram interponimus, ut firmum; fixum sacri hujus Cœtûs in Polonia statum, Paternæ Authoritatis favore, fovere tuerique velit. Pertinebit id, ad insigne, tum Reipublicæ, tum Ecclesiæ Dei, quam adulta erroribus petit hæresis, emolumentum, dum eosdem Religiosos, Sanctitas Vestra, firmissimo patrocinio cumulabit. Cæterum sacros Sanctitatis Vestræ pedes exosculantes reverenter, Illius Sanctissimæ benedictioni, nos diligentissimè commendamus. Datum Varsaviæ, millesimô sexcentesimo quadragesimo septimo. Die vigesima quinta Maji.

Religioni Ordinis Sancti Basilii Magni, quantum Consilii, favoris, gratiæ à tanto eoque optimo Pastore, sufficienter impertitum fuit, nemo dubitat, cum enim sub felicissimam olim, Vladislai IV. Regis Poloniæ Coronationem, Comitiis Gracoviæ celebratis interfederet, utramque Græcæ fidei partem, paterno affectu seriò cohortatus: illam ut antiquæ Religionis Ritum, pridem à se receptum, firmiter observaret, hanc, ne Romanæ in unione Ecclesiæ primatum & Caput summum, pervicaciter alienaret; & cum ambæ secum Capitali odio diffiderent, benignè coæquabat, ne exhinc bivium in fide iter, per mutuas dissensiones, ad confusum chaos devergeret, ac ne tanti mali semina nascerentur pejora, neve demum hydrarum monstra, centum Capitum magis informia gignerentur, plurimum & proprio & communi consilio, Mathias Noster laborabat.

Quo prædictos sacros Ordines, eo omnes alios prosequebatur amore, Præsul Noster, aliquorum Monasteria fundando, aliorum templa erigendo, collapsa restituendo, de novo surgentia, non vulgari summa pecuniæ attollendo, alios ære notabili ditando, alios censibûs & provisionibûs sublevando, & ubique evidentissima signa munificentiæ suæ relinquendo, ita, ut universalis Pater, omnium Religionum, & esset & diceretur. Suspiciebant gratissimè, Sancta diversarum Religionum Cænobia, Patronum laudatissimum, venerabantur eorundem Monasteria, Benefactorem amplissimum, observabant quævis claustra & Asceteriæ Pastorem vigilantissimum, & omnes Regularium Ordines, unanimi mente, Mathiam Nostrum prædicabant, prædicantes honorabant, honorantes in amoribus suis intimis conservabant. Quare piis Religiosorum precibûs & suspiriis, hanc quæ illius meritis debebatur, Coronam

adeptus

adeptus, ibidemque à Sanctis Religiosorum Fundatoribus & Patriarchis, piè creditur salutatus, *Hic est Fratrum Nostrorum amator, hic est, qui multùm orat pro populo.*

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

De gestis Mathiæ Regnum Poloniæ concernentibus

HActenus Mathias Noster, quæ Ecclesias, Religionem & Clerum concernebant, gloriosè & summa cum laude gessit, nunc qualiter alteram Episcopalis in Polonia Officii partem, nimirum Senatorium Munus, implevit, & præcipuè, quæ Archiepiscopo & Primati, primoque Principi Regni incumbunt, describenda occurrunt. In hoc igitur existens munere, quidquid viderat salubrius Patriæ, quidquid summus illi erga Patriam, imperabat amor, illud, excelsi ingenii Senator, admirandæ prudentiæ Primas gerebat, & ad omnia clarissima, suas dotes applicabat. Felicem Patriam tanto Filiô, feliciorem tanto Senatore, Primate, Vicerege & simul Patre. Prima documenta charitatis ejus, experta Siradiensis terra, in qua vetustate consumpta Acta terrestria Siradiensia & Szadkoviensia protunc Episcopus Vladislaviensis existens, sumptu composito cum Fratre suo, Stanislao Episcopo Płocensi, noviter describi & renovari mandavit, & ut pro Authenticis habeantur, eadem in Comitiis Coronationis, Vladislai IV. Regis Poloniæ, Annô Domini, millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, celebratis, per constitutionem eorundem Comitiorum, approbari procuravit.

Hæc initia amoris Mathiæ erga Patriam, majora documenta dedit, dum quidquid viderat utilius Patriœ, illud ore & calamo promebat, urgebat & promovebat; frequentiora tunc temporis fuerunt Regni Comitia, ad hæc semper tempestive venire, in persona comparere, prima etiam initia non negligere curabat, & juxta dictamen conscientiæ, vota in senatu enuntiabat. Unde in electione Vladislai IV. Poloniarum Regis, Varsaviæ, ubi Principes Poloniæ, Casimirum Joannem, Albertum, Carolum, Alexandrum, Nomine Senatûs & omnium Procerum Regni, honoris ac officii causâ, ab arce ad Comitia deduxit, tum in Coronatione ejusdem, Cracoviæ Annô Domini, millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, simulque in funere ibidem, Sigismundi III. Regis Poloniarum, ubi pompam funebralem, unà cum aliis Episcopis Regni deduxit, Mathias Noster Episcopus Vladislaviensis, præsens fuit, negotia Ecclesiarum & Regni promovit, & communi saluti Patriæ consuluit.

Neque publicorum negotiorum, & quorumvis munerum obeundorum in Regno, impar erat; Ille enim virtute duce, communi-

que omnium plausu, in Comitiis duarum Septimanarum Thorunensibus, in Anno Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, temporibûs Sigismundi III. Poloniarum Regis, cum nominatus Episcopus Posnaniensis esset, ad inveniendos novos modos subsidiorum, pro exercitu Regni designatus commissarius, & ut pro die decima quinta Mensis Martii, Annô protunc proxime futurô, millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, Varsaviæ, unà cum aliis Commissariis compareret, ibidem prædictos novos modos subsidiorum suppeditaturus & consulturus. Ille in Comitiis Generalibus Regni Varsaviæ, regnante eodem Rege, Annô Domini, millesimo sexcentesimo trigesimo primo, protunc Episcopus Vladislaviensis, Authoritate Comitiorum Generalium Regni, ad residendum penes Regem destinatus. Ille Episcopus Vladislaviensis existens, in Comitiis Generalibus Regni, duarum septimanarum, Annô Domini, millesimo sexcentesimo trigesimo quarto, regnante Vladislao IV. stante bello Polonorum cum Turca, (quo tempore varia interveniebant negotia, quæ ex consilio Ordinum, expediri debebant) tam ad latus Regis quàm ad Supremos Exercituum Regni Duces, ex Senatu designatus Commissarius. Cum autem jus maris Baltici & vectigalis marini, ad Regem & Rempublicam Polonam, intuitu suorum portuum & littorum spectans, ad defensionem Dominiorum suorum, quæ instar antemuralis omnis Christianitatis, ex omni parte barbarorum impetus, in se & in exercitu suo sustinent & propulsant, vellet Respublica conservare in integro, & ad effectum deducere, Mathias protunc Vladislaviensis Episcopus, Authoritate Comitiorum Generalium Regni Varsaviensium, Annô Domini, millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, regnante eodem Rege, ad revidendum prædictum vectigal, ex Senatu designatus Commissarius, quo facto, pro die decima quinta Mensis Julii, ad Regem, ubi tunc cum curia sua commorabatur, condescensurus, & prævio juramento cum aliis Concommissariis, secundùm instructionem in Comitiis Generalibus, Authoritate publica datam, modum exigendi prædictum vectigal, in portubus Reipublicæ adinventurus.

Quia verò cum Pomeraniæ Episcopatu, Dantiscanam teneret Provinciam, & illius tempore, Gedanenses fidem Regi ac Reipublicæ Polonæ, frangere meditarentur, ideo ille, literis à se ad Gedanenses conscriptis & ablegatis, eosdem prout rebelles, providè & circumspectè commonefaciebat, ut supplices, Serenissimum Regem, de venia sibi concedenda, ob fidem per se fractam, humillimè expeterent, & submissis animis, eundem deprecarentur, nam indignum iis fuisse ratus, contra vires totius Regni insurgere, & velut musca elephanti, Potentissimo Regi, unicam Civitatem, eamque perpetuò subditam obsistere voluisse. Illius hic fuit & pacis amans animus,

qui

qui cum impares contra universum Regnum, erigere conati fuissent vires, inanes excitare belli Machinationes, frustraneas in cladem Polonam facere conjurationes, toto Capite disvadebat, ut potiùs cernuam illorummet subjectionem, & Sacræ Regiæ Majestatis, justam deprecationem persvasisset.

Ille jam Archiepiscopus & Regni Primas existens, Annô Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, post Festum Annuntiationis Beatissimæ Mariæ Virginis, in Claromonte Czestochoviensi, ubi Sacram Imaginem ejusdem Virginis, ad novum Sanctuarium à se erectum, introducturus morabatur, accepto de tristi obitu, Serenissimæ Reginæ Poloniæ, Cæciliæ Renatæ, infausto Nuntiô, quæ eodem Anno, IX. Calendis Aprilis obierat; Princeps ob insignes virtutes, longissimâ vitâ digna, & cui meretur adscribi Velleianum illud: potentiam ejus nemo sensit, nisi aut levatione periculi, aut accessione dignitatis; eidem ibidem omni postposita mora, mausolæum, quantùm per temporis angustias licuit, aliquot à terra cubitis educere, cum suis gradibus, per intervalla eminens erigere, circumcirca candelabris argenteis plurimis, lucernis ex virgine cera, & Imagine desuper pectore tenus ex argento puro fusa, (Sacrum Anathema id fuit, ejusdem Serenissimæ Reginæ,) unà cum Regali Corona, supra tumbam adornare, quantocyùs mandavit, & ipse sacras exequias, pro magna illa anima, & sacrosanctum missæ sacrificium, Pontificaliter, ad altare privilegiatum peregit, & quo animo esset erga Reges, ostendit. Ille Annô Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto, die decima quinta Mensis Julii, quæ fuit Dominica octava post Pentecosten, ipso Festo Divisionis Sanctorum Apostolorum, Ludovicam Mariam, Caroli Gonzagæ Mantuæ in Italia, & Niverniœ in Gallia Ducis Filiam, per Oratores Gerardum Denhoff Palatinum Pomeraniæ, Venceslaum Leszczyński Episcopum Varmiensem, & Christophorum Opaliński, Palatinum Posnaniensem, splendido comitatu advectam, Invictissimo Poloniarum Regi, Vladislao IV. post mortem prioris desponsatam, Solennissimo ritu ac consvetis ceremoniis, in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi, assistente sibi magna caterva Dynastarum ac Senatorum, Nobilitatisque Polonæ, Regali Diademate coronavit ac insignivit.

Porro Anno vertente, millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo Vladislaus Rex, abiverat in magnum Ducatum Lithvaniæ, quo sæpiùs venationum gratiâ & severiorum curarum laxamentum quærendo, solebat excurrere, Grodnæ substiterat, & circa medium Quadragesimæ, Vilnam cum Regina profectus, eandemque festo apparatu & pompa, cum Regina ingressus, à Proceribus Magni Ducatûs Lithvaniæ, præcipuè Principibus Radziviliis, Sapiehis, magnificè exceptus, reliquum Quadragesimæ, & festivitatem ibidem exegit Pa-

ſchalem. Interim ultimis diebûs Aprilis, Vilnâ Rex movit, & in aliquibus locis vacans, Merecium pervenit, Oppidum ad confluentes duos fluvios amæno loco ſitum. Ibi Suprema Regem fatigabat ægritudo, calculi acrior dolor, & febrilis accenſio vehementior, quam imperiti medici, propinatione Antimonii malè præparati auxerunt. Cùmque Criſis ſuperari non poterat, ad Supremi Judicis Tribunal, cum ſeria vitæ anteactæ deploratione, diſpoſitus, conſcientiæ nexibûs exſolutus, è vita & è Regno ceſſit, ibidem Merecii, in galli cantu, XIII. Calendas Junii, quinquageſimo tertio ætatis ſuæ, Regni decimo quinto, magno cum omnium dolore ac ingenti imminentium adverſitatum metu. Protunc igitur graviſſima moles curarum Patriæ, ſenilibus humeris, Mathiæ Noſtri uti Primatis & Viceregis, poſt mortem ejuſdem Regis, qui eum ſibi Atlas Herculem tempeſtivè providit, incubuit; Quare in tam horridis motibus, dum omnes vel amiſſo Principe dolent, vel ingruentibus periculis percelluntur, demandata per literas omni decentiâ, penes corpus piè defuncti Regis, ac ſacris expiatis, pro anima defuncti, eodem ipſo Anno, cum Senatoribus, qui apud ipſum aderant, ſeu ex vicinia ad tam triſtem famam, Lovicium confluxerant, deliberatione inſtituta, de providenda ſecuritate interregni, ſub Nominis ſui titulo, mortem Regis, ac triſte & lamentabile interregnum, universæ Poloniæ, per edictum publicum & literas univerſales, de Data Lovicii, Die vigeſima ſexta Menſis Maji, denuntiat, Conventus terrarum & Palatinatuum, pro die vigeſima quinta Junii, ejuſdem Anni convocat, tempus Convocationis Generalis, omnium Ordinum Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ, diem decimam ſextam Julii, Varſaviæ, in Anno eodem aſſignat, Regalia exercet, ac Caput publicorum Conſiliorum habetur. Ubi verò de intermittendis fori muniis, Lublinum dederat literas, confeſtim apertò conclavi lectis, Tribunalis Judices, ſuſpendunt Sacroſanctæ juſtitiæ ſtateram; ſimulque per Provincias, omnis minorum ſubſelliorum juriſdictio ceſſat, acſi ſublato cum Rege Capite, in membris quoque ſua virtus emoreretur. Necdum verò tempus Convocationis, ab Archiepiſcopo indictæ advenerat, nihilominus tam ingens adverſorum moles, quœ Rempublicam premebat aut periclitabat, promptum expeditumque requirebat Conſilium, ideo quantocyùs, poſt promulgatam Regis mortem, venerat ArchiPrœſul Varſaviam, in tam flagranti Reipublicœ diſcrimine, conſulturus cum Proceribus Regni, qui ibidem morabantur, de publica Patriœ ſalute conſervanda. Interim dum Varſaviœ, conſulturus de Patria moraretur, & diem Convocationis Generalis prœſtolaretur, Corpus exanime Vladislai Regis, cum decenti comitatu, ex Lithvania devectum Varſaviam, Pragœ ad Viſtulam ſubſtiterat, cumque trajectò per Viſtulam deduceretur, Mathias cum aliis Proceribus Regni, obviam

obviam corpori ivit, & illud Pontificali Ornatu solenniter, cum pompa funebrali decenti, ad arcem deduxit.

Adveniente brevì, Convocationis Ordinum generalis tempore, nempe die decima sexta Julii, ac pro more, solenni sacrificio, pro invocatione gratiæ Sancti Spiritûs peracto, publicum illud consilium, ita moderabatur Mathias, ut illam malorum turbam, quæ jam sub illo interregno texebatur, à Patria averteret, & tantis calamitatibus subveniret; nec aliud efficacius censebat remedium, nisi ut quàmprimùm sub unius capitis regimen, Regni dissipatæ colligerentur vires. Quare absque mora, communi, consensu omnium, diem sextam Octobris ejusdem Anni, electioni novi Regis, Primas Noster designat, ipse interim oratione gravi ac pathetica, Ordines ad concordiam, in expediendis ejusdem convocationis consiliis, hortatur, totam Diœcesim, ad supplicandum ferventer summo Numini, excitat, nullis etiam maximis sumptibus, ad tuendam Viceregis Authoritatem, & Patriæ incolumitati consulendum parcit.

Cum verò plurima pericula, in isto interregno instarent, dum contra Rempublicam Polonam, funestum incendium, rebellionis Cosacorum, Antesignanus Bogdanus Chmielnicius, cum Hano Tartarorum, copiis conjunctìs, Orbam Rege affligeret, effusæ longè latèquè legiones, omnem Russiæ Regionem, versùs Leopolim, Zamoscium, Crasnostaviam, Brestiam, Premisliam, & Jaroslaviam, prædis maximis abactis, ac cædibûs nulla ætatis, sexûs, conditionis & Religionis habita ratione, perpetratis atrocibûs, miserabilem in modum vastarent, templa spoliarent, tremenda Mysteria conculcarent, sacra supellectili profanè ac turpiter abusi essent, in extracta denique è sepulchris cadavera, crudelissimè sævirent; objecit tunc, sollicitum & fæcundum consiliis Caput, tot amoliendis à Patria horrendis periculis, vigilantissimus Regni Primas & Vicerex Mathias, certum conscripsit exercitum, in defensionem Patriæ, stipendium illis, nomine Reipublicæ declaravit, militem novum, ad augendum exercitum Regni conduxit, quorum unus Palatinus Volhyniæ, habuit mille sexcentos, nimirum hastatos ducentos, Cosacos mille quadringentos, sub regimine Adami de Brusielow Kisiel, Palatini protunc Braclaviensis, postea Kijoviensis. Hunc itaque ad compescendam rebellionem Cosacorum dirigit, copias ex prælio ad Pilawce, infelici eventu gesto dilapsas, ex Senatûs Consilio, sub pæna amissionis honoris & bonorum, edicto colligit, desertores in Castra urget, & in reliquis, ita Viceregis dignitatem & Authoritatem gerit, ut Divina dispositione, difficillimis in Republica temporibus, reservatus fuisse protunc videretur. Præterea Hieremiæ Michaeli Duci Wiśniowiecki Russiæ, Janusio Tyskiewicz Kijoviensi Palatinis, Heroibus à prima pueritia bellis innutritis, aliquam manum auxiliarem, nempe legi-

onem prætoriam pedestrem defuncti Regis, cujus ductor fuerat, Samuel Osiński, Castrorum in Magno Ducatu Lithvaniæ Profectus, adjunxit. Misit insuper Lestiquanum, cum aliquibus Raitarorum cohortibus, quæ fuerant Vladislai Regis, verùm hic seriùs pervenit, Dux verò Wiśniowiecki & Tyskiewicz, & cum illis Osiński, apud Constantinovum, illam hostium colluviem, non infeliciter aggressi, etiam vincere potuissent, si fuissent fortioribûs suffulti auxiliis, nemine interim succurrente ad tutiora se receperunt.

Adveniente autem electionis Novi Regis tempore, nempe die sexta Octobris, & celebrato in ipso exordio diei illius, solenni Missæ Sacrificio, pro impetrando auxilio Sancti Spiritûs, in templo majori Varsaviensi, confert se ad campum electoralem Noster Primas, ubi ut Ordines, in tanta calamitate ad electionem maturarent, illos amore Patriæ obtestabatur, sperans: quòd electio Regis, unicum tantorum malorum, quæ premebant Rempublicam sistendorum, esset medium. Cum verò uterque Poloniæ Princeps, Joannes Casimirus, qui à morte Vladislai IV. titulum Regis Svetiæ assumpserat, & Carolus Ferdinandus, Płocensis & Vratislaviensis Episcopatûs Administrator, Vidui Sceptri, Candidatos se profiterentur, neque deerant ambobus, Senatorii & Equestris Ordinis præcipua Capita, quæ spem assequendi Throni non dubiam pollicebantur: dies igitur designatus, audiendis Candidatorum Legatis, ac iis primùm, qui à Rege Sveciæ Joanne Casimiro mittebantur: inter eos eminebat Georgius Tyskiewicz, Episcopus Samogitiæ, pietate, doctrinâ præclarus. Alterius Principis, nempe Caroli Ferdinandi, Legatorum Caput erat, Stanislaus de Kalinova Zaremba, Episcopus Kijoviensis, Abbatiæ Suleioviensis Administrator, propria majorumque virtute insignis. Cumque ambo, suorum Principum, egregium de Republica benemerendi studium, deprædicassent, primùm Archiepiscopus Mathias, iis respondit nomine Senatûs, postea ab Ordine Equestri conventûs illius, Mareschalcus Philippus Obuchowski Tribunus Mozyrensis, qui post fatis cessit Palatinus Smolenscensis; Responsum ab Archiepiscopo & Mareschalco, in eum sensum, connotavit Joachimus Pastorius, in Historia Polona pleniori, sceptrum Poloniæ, post Deum *à* liberis Civium Suffragiis dependere, brevique ex consensu Ordinum clarum fore, cui id, Divinæ voluntatis destinaverit nutus. Tandem præmissa utriusque Principis eximia laude, & testificata erga Domum Jagiellonicam summa veneratione, cum Joannis Casimiri partes prævalerent, quibus suam commodabat operam, Georgius Ossoliński, Supremus Regni Cancellarius, & cum Mathia Archiepiscopo consilia communicabat; aliqui Senatorum effecerunt, ut Carolus Ferdinandus, Optimus piissimusque Princeps, viva Patris Sigismundi effigies, ad viduum Poloniæ sceptrum, concursui renuntiaret, &

postquam

postquam Clientum suorum, rebusque suis, certis cautionibus, prospexisset, preces etiam suas, pro Joanne Casimiro, per literas ad Ordines Regni interposuit. *Sic* igitur obice remoto, factaque inter Fratres compositione, utriusque Gentis Suffragiis, electus Joannes Casimirus. Ille inquam Joannes Casimirus, qui Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, agitabat consilia, de Vita Sanctiori, in Umbra Religiosa ineunda, ideo in Italiam, eodem Anno flexit vela, & Laureti Religiosam Societatis JEsu induit vestem, Romamque ad explendum tyrocinium profectus, Urbem admiratione implevit, quod Princeps ille, Regum & Imperatorum sangvis, eligeret esse abjectus in Domo DEI, Regiamque purpuram, cum humili Religiosa permutaret tunica. Vivebat tunc & Navem Petri gubernabat, Urbanus VIII. de commutato vitæ genere illius, Vladislao Regi Poloniarum, adhuc eo Anno viventi, quasi gratulabundus scripsit: *quòd Princeps ille*, (verba sunt Epistolæ) *Societati JEsu Nomen dederit, gloriosumque & quavis præstantiorem victoria, de se retulerit triumphum.* Ad quam Epistolam, non absque dolore respondit Vladislaus. (verba sunt Epistolæ:) *Non quòd existimem, vile obscurumve genus aliquod vitæ, Joannem Casimirum arripuisse, sed quia altum Regum Sangvinem, claustris privatis minimè conveniat includi, imò verò publicæ populorum utilitati prælucere, longe sit gloriosius.* Etiam adjunxit querelam, contra Præpositum Generalem Societatis JEsu, quod Regum & Imperatorum Fratri, Filio, Nepoti, se inscio & inconsulto, patefaceret fores Romani Collegii. Inde aliqua indignatio, contra Societatem JEsu efferbuerat; Nec satis erat Regi Vladislao, cum Summo Pontifice, super hoc facto Principis expostulare, verùm in eodem negotio, & Synodum Provincialem, quæ eo ipso Anno, in Polonia, à Mathia Nostro, uti Archiepiscopo convocata fuerat, per Alexandrum Trzebiński Episcopum Premisliensem, Supremum Vicecancellarium Regni, requisivit, ut de tam insperata ad Familiam Societatis JEsu admissione, lenimentum aliquod solatiumque, Synodus illa, Regio cordi provideret. Igitur Mathias, unà cum tota Provinciali Synodo, id negotium assumpsit, ad Cardinalem Savellum, tum Regni Poloniæ Protectorem scripsit, & ut suam interponeret Authoritatem, ne Vota Professionis Societas JEsu acceleraret, sed ordinario modo, ad biennium tyrocinium protraheretur, commendavit. Quod cum jam decurreret, Innocentius X. qui Urbano Octavo rebus humanis exempto successit, Vota profiteri nullatenus permisit, utque speciosiori titulo, illud commutaret propositum, eundem Joannem Casimirum, in Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto, Cardinalem Romanæ Ecclesiæ renuntiavit. In brevi tamen, nec Jesuita nec Cardinalis, verùm electione & suffragio Polonorum, Rex Poloniæ ad magnas calamitates, cladesque reservatus. Absolutis

lutis itaque, in eundem Joannem Casimirum suffragiis, die vigesima Novembris ejusdem Anni, exurgit Noster Primas, ac multa Canitie Venerabile Caput detegens, imperatô per Mareschalcos silentiô, electum Joannem Casimirum, in Regem Poloniæ ac Magnum Ducem Lithvaniæ, nominat, promulgatque solenniter, ut quam longissimè ac diutissimè regnet ac vivat, nominationi vota subjungens.

Excipiunt vocem vivat, quot quot aderant in circo Electores, de hinc extra vallum vocali applausu perlato, cum publica omnium lætitia, toto it clamor cælo. Regem Senatorio Vico, in Arcem Varsaviensem digredientem, illinc in Sancti Joannis Basilicam, Præsules immediate præcedebant, Carolo Principe, ac Sedis Apostolicæ Nuntiô, utrumque latus stipantibûs. Postea die Præsentationi Beatæ Mariæ Virginis Sacra, in Basilica Sancti Joannis Varsaviensi, Rege in Solio recumbente, Pontificalibus indutus Primas, solenne orditur Sacrificium, ubi ex rostris facundissimo perorabat ore, Joannes Stephanus Wyżga, tum Abbatiæ Sieciechoviensis Administrator, deinde ad Luceoriensem primò, mox ad Varmiènsem Infulam, demum ad Supremam in Regno promotus, Metropolitanam Cathedram, & dum fit salvificæ Hostiæ, in verum Christi Corpus transsubstantiatio, commovet se throno, temporalis potestas, ac cernuus poplite ad scabellum Aræ Rex, agnoscit Factorem suum, recipitque de manibus ArchiPræsulis, in Sacra synaxi eum, qui habet tenetque omnia. Peractô Sacrô, Archiepiscopus pauca præfatus, tradidit Regi Authenticum electionis diploma, in charta pargamena conscriptum, Procerum Equitumque subscriptionibûs firmatum. Finiente verò Archiepiscopo, Philippus Obuchowski, Ordinis Equestris Mareschalcus, prolixiori cultu & eleganti sermone, Regem allocutus, circa ejusdem Decreti traditionem; & Primati quidem Regia brevitate, per se respondit, prolixiùs Ordinibus, delati sceptri gratam mentem aperuit, Vicario sermone usus, Boguslai Leszczynii, Majoris Poloniæ Generalis, Cancellario Supremo, ob malam valetudinem absente.

Dies qui sequebantur, variis insumpti consultationibus; porro illud erat præcipuum, ut defuncto Regi, justis persolvendis, & inaugurationi noviter electi Regis, designaretur dies, quod cum factum, & Defuncti Regis Exequiis, dies decima quinta Januarii, inaugurationi verò & Coronationi Regis, dies decima septima ejusdem Mensis, in Anno proxime futuro, millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, destinata fuisset, nullâ interpositâ quietis morâ, pro præfixo tempore Cracoviam, Metropolim Regni, iter maturavit Primas Noster. Interim Corpus Defuncti Regis, Varsaviâ deportatur Cracoviam, quo cum pervenisset, & ad Basilicam Cathedralem deductum fuisset, illud excepit Archiepiscopus, Petro Gembicki Cracoviensi, Nicolao Alberto Gniewosz Vladislaviensi, Episcopis associatus.

Piaculare

sacrum solenni ritu & Catholico more, pro Rege defuncto celebravit ArchiPræsul, Epitaphium sermonem dixit, Andreas Szołdrski, Posnaniensis Episcopus. Illucescente tandem die, Regiæ inaugurationi designata, Rex è conclavi suo Arcis Cracoviensis, ad Basilicam descendit Cathedralem, ubi solenne sacrificium ArchiPræsul Noster celebravit, ex manibus suis, Sacratissima Eucharistiâ, Serenissimum noviter electum Regem, Joannem Casimirum refecit, & ab eodem ibidem ante Altare majus, ex concepta formula, de servandis & manutenendis juribus, privilegiis, libertatibus Ecclesiasticis & sæcularibus, tam Regni quàm Magni Ducatûs Lithvaniæ, & annexarum Provinciarum, juramentum recepit, eundemque Sacrô Oleô unxit, & Regio diademate, ritu Catholico Romano, Assistente Nuntio Apostolico, adstante Senatu tam Sacro quàm Politico, Terrarumque Nuntiis, insignivit & coronavit, qui ut vivat & regnet diutissimè ac felicissimè, devotè Supremo Numini supplicavit. *Post* biduum coronationis, Conventus Generalis inchoatus, in quo post electionem Mareschalci Francisci Dubrawski Succamerarii Premisliensis, Viri bellicis & Civilibûs artibûs instructi, tum post propositionem à Georgio Ossoliński, Supremo Regni Cancellario factam, quæ fuit argumentum futurarum deliberationum, Archiepiscopus Noster, omnia interregni recensuit acta, totumque statum Regni, durante illo tristi interlunio explicavit, nec Cracoviâ abscessit, sed ad exitum Conventûs illius generalis, prope arcem Regalem, in Domo Canonicali, quæ Gorcana appellabatur, hospitatus mansit.

Digressus postea Cracoviâ Czestochoviam Mathias, ibidemque recta profectus, ubi Pontificali solennitate sacris operatus, gratias egit Supremo Numini, pro felici electione & Coronatione Regis, atque ut coronatum à se Regem, quàm felicissimè sospitet, cum frequenti Senatu, & numerosa populi multitudine precatus est, simulque donarium aureum, memoriam diei & actûs Coronationis continens, ad Aram Miraculosissimæ Beatæ Mariæ Virginis, cujus auspiciis Electus & Coronatus fuit Joannes Casimirus, in pretiosum Anathema posuit & appendit. Insuper solennem hanc Coronationem, ut quàm diutissimè, in hominum memoria perennaret, in Ecclesia Metropolitana Gnesnensi, in Capella sua Lubieniana, coloribûs exprimi ac depingi curavit, addita sequenti inscriptione: *Mathias Łubieński Archiepiscopus Gnesnesis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas Primusque Princeps, cum Serenissimum Joannem Casimirum, Hæreditarium Regem Svetiæ, ab Ordinibus Regni Varsaviæ, die vigesima mensis Novembris, Annô millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo, electum Regem Poloniæ Nominâsset, postmodum Cracoviæ, Die decima septima Januarii, Annô millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, feliciter inauguratum & unctum, Diademate Regio insignivit.*

 Interim

Interim eodem suæ inaugurationis Anno, Rex de Connubio cum Proceribus Regni consultabat, fere omnium fuerat sensus, excepto Paulô Piasecki, Episcopo Premisliensi, ut Maria Ludovica Vladislai relicta vidua, Salva Sanctæ Sedis Apostolicæ dispensatione, Joanni Casimiro, conubio jungeretur, quare ad Urbem mittitur, dispensatio procuratur, à Pontifice id negotium Nuntio Apostolico committitur, & nuptiæ celebrantur. Aderat Mathias veneratque Varsaviam, ad eum Nuptialem actum, qui in dubiis & creperis Poloniæ rebus, non magno splenduit apparatu. Hoc vix peracto, ad publicas deventum consultationes, quarum sermo erat, ut in tam flagranti discrimine servilis belli, à Bogdano Chmielnicio concitati, totamq; Russiam tam horribili depascente incendio, seu armis seu consiliô periclitanti toti Reipublicæ possit succurri. Verùm hæc à limatioribus connotata calamis, arido ac jejunô connotare stylô prætermitto, sufficit innuere, Mathiam Archiepiscopum, in tam atrocissimis Reipublicæ negotiis, Cosacorum in Patriam incursionibus, & Regni vastationibus, Regi Consiliô, Patriæ auxiliô, Exercitui Polono nervô belli, ad juvandam ejusdem Patriæ gementis necessitatem, succurrisse. Hinc cum pacificatio rebellionis Cosacorum, & Ordinatio Exercitûs Zaporowskie dicti, absque dilatione, expeditione indigerent, Mathias Archiepiscopus, Authoritate Comitiorum Coronationis Regis, ex Senatu cum aliis plurimis Senatoribus, ad latus Regium, pro residentia Deputatus fuit, cum plenissima potestate, decernendi id, quidquid ipsi cum aliis Senatoribus, aliisque ad latus Regis residentibus, utilius ac commodius Patriæ videretur, illudque tantam Authoritatem ac valorem haberet, acsi in Comitiis generalibus Constitutum foret.

Quia vero Archiepiscopi Gnesnenses, juxta statuta Regni, tempore expeditionis generalis, penes Reginam, cum certa cohorte militum suorum residere teneantur, Archiepiscopus Mathias, tempore hujus expeditionis generalis, contra Cosacos, in Comitiis generalibus decretæ, in securitatem Curiæ Serenissimæ Reginæ, plus & ultra, sumptu, proprio, centum Equites levis armaturæ & centum pedites, conservare ultro se obtulit & declaravit, & insuper populum, tanquam leo Vigil, in tota Provincia Gnesnensi, ad placandum iratum Numen, continuò excitabat, supplicationes ad avertendam eam tempestatem, quæ toti Regno ultimum minabatur exitium, indicebat, ipseque præter multas preces, lachrymas ad DEum & suspiria, pro impetranda Joanni Casimiro Regi Victoria, voto obstrictus, Divæ Virgini Victoriæ, devotus fuit. Exstat ejusdem voti, per Nostrum Mathiam facti, in Ecclesia Collegiata Lovicensi, aureis literis, in marmore, supra Capellam Sanctæ Victoriæ, exarata memoria, in hæc verba: *D. O. M. Capellam hanc Uchanianam, temporis injuriâ fatiscentem*

tem & imbribus perviam, Mathias Lubieński Archiepiscopus Gnesnensis, ex voto, pro obtinenda per Serenissimum Regem Joannem Casimirum, de rebellibus Cosacis & Tartaris victoria, extra, bracteato ære texit, intra, nitori quem vides restituit, & Divæ Virgini Martyri Victoriæ, boni omnis ergo adscripsit, Annô Domini, millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo.

Quantæ autem Authoritatis Mathias in Regno fuerit? constat ex eo: quod cum Archiepiscopatûs Gnesnesis fasces teneret, Joannem Casimirum tunc Cardinalem, qui Rex Poloniæ ab eodem Mathia nunc coronatus, cum elevata Cruce visitaverit, Legationis Natæ munus, jurisdictionem & prærogativam ab Henrico Kietlicz, apud Innocentium III, pro se duntaxat, à Joanne Łaski, pro se ac successoribus suis, in perpetuum apud Leonem X. obtentam & impetratam, exemplo Eboracensis, Cantuariensis, Rhemensis, Pisani, Strigoniensis, Archiepiscoporum, in usu habuerit, eandemque jurisdictionem & prærogativam Legati Nati, dignitati Metropolitanæ affixam, post reditum in Urbem Marii Philonardi, Archiepiscopi Avenionensis, donec ad nuptias Serenissimi Vladislai IV, Poloniarum Regis, cum Ludovica Maria Gonzaga, Ducissa de Mantua, benedicendas, cum facultatibus Legati de latere, Joannes de Torres Romanus, Archiepiscopus Adrianopolitanus, ab Innocentio X., missus venisset, exercuerit.

Hanc Authoritatem & Prærogativam, modernus Serenissimi Augusti III. Solio Prorex; Romanæ Ecclesiæ, Legatus Natus, inter Regni Principes, Primus Princeps; inter Senatûs Proceres, Senatûs Caput; inter Præsules Polonos, ArchiPræsul; ac demum Regni Nostri Primas, ADAMUS IGNATIUS de Liptow & Orava KOMOROWSKI, Archiepiscopus Gnesnensis, perennaturis sæculis ampliorem reddit, dum à Sanctissimo Domino Nostro, BENEDICTO XIV. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifice Supremo, Purpuram seu habitum purpurei coloris, adinstar Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, pro se & suis Successoribus, in perpetuum impetravit & obtinuit. De Data Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Annô Incarnationis Dominicæ, millesimo septingentesimo quadragesimo nono, decimo Kalendas Octobris, Pontificatûs Sanctissimi Benedicti XIV. Anno decimo: Utinam hic Clementissimus Princeps, cùm nullum intra Patriam Solium, quo virtus Ejus ascendere deberet, habeat, ad majorem decorem Regni Nostri, ad solatium Celsissimæ Domûs suæ, ad protegendos magìs ac ampliùs, suos coram Deo Oratores, in Univesali & Catholica Ecclesia, Titulis Eminentissimis coronetur, sed præstat tantœ & tam celebris pro Regno Nostro Prœrogativœ, exemplar hìc inserere.

BENEDICTUS Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam

am Rei memoriam: Ad decorem Ecclesiæ Sponsæ Dei, cujus Regimini summi Magistri dignatione præsidemus, nonnulla aliquando, quæ inclyta ac præclara generis nobilitate, peculiaribusque animi dotibus, pollentes Præsules, nec non Catholici Regalesque, & de Catholica Ecclesia optimè meriti Principes promerentur, Apostolica dignatione elargimur, ut & ipsi Præsules Catholicique Principes, in suis precibus de nostra satis liberalitate probati, erga Nos & Sedem Apostolicam amantes reddantur & benevoli. Sanè pro parte Charissimi in Christo Filii Nostri, Augusti, Poloniæ Regis Illustris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd cùm Ecclesia Archiepiscopalis & Primatialis Gnesnensis, quæ de Jure Patronatûs, præfati Augusti & pro tempore existentis Poloniæ Regis, & privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur celebris & magni Nominis existat, illiusque pro tempore existens Archiepiscopus & Primas, in Generalibus totius Regni Poloniæ Comitiis, Primatum habeat, ac prima post Regalem fulciri dignoscatur dignitate, ipsumque pro tempore existentem Archiepiscopum & Primatem, singuli cujusvis generis Regni præfati homines, magna æstimatione prosequantur, parique veneratione intueantur; idcircò Ecclesia Gnesnensis, illiusquè pro tempore existens Archiepiscopus & Primas præfati, digni videntur, ut infrascriptîs Privilegiîs decorentur: Si igitur, sicut eadem petitio subjungebat, præfatis, quibus Ecclesia ipsa Gnesnensis, ejusque pro tempore existens Archiepiscopus & Primas præfati, gaudent prærogativîs, illud etiam accederet, ut præfatus pro tempore existens, ejusdem Ecclesiæ Gnesnensis Archiepiscopus & Primas, Habitûs Rubri seu purpurei coloris, eisdem modô & formâ, quo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ad præsens gestant & gestare solent, aliorumque infrascriptorum usu, per Nos & Sedem Apostolicam, ut infra perpetuò decoraretur, ex hoc profectò, ejusdem Ecclesiæ Gnesnensis Archiepiscopalis & Primatialis dignitas, tam in Spiritualibus, quàm in temporalibus, non modicum susciperet incrementum. Quare pro parte dicti Augusti Regis, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus Privilegiis & Prærogativis, Archiepiscopalis & Primatialis Dignitatis hujusmodi, nova gratiarum ac largitionum specimina cumulare, ac Dilecto Filio Adamo Komorowski Presbytero, in Archiepiscopum & Primatem Gnesnensem Electo, ut infra indulgeri de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eidem Adamo Electo, specialem gratiam facere volentes, ipsumque Adamum Electum, à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à Jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibûs quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus benignè inclinati, Eidem Adamo Electo, ejusque in Archiepiscopatu & Primatu Gnesnensi Successoribus, pro tempore existentibus,

stentibus, ut Ipsi quibusvis Anni temporibus & diebus, ubique locorum, & in omnibus & singulis functionibus, Habitum Rubri seu purpurei coloris, adinstar præfatæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, nempè Collare, subtanam, cingulum, mantelettam, mozzettam, caligas, Birrectum, Berettam, aliudque Capitis tegumentum nuncupatum Berrettone, hyemali tempore in Regno Poloniæ adhiberi solitum, exceptô tamen pileô, rubri seu purpurei coloris, cujus usus Eidem Adamo Electo, Ejusque in Archiepiscopatu & Primatu hujusmodi Successoribus præfatis, nunquam concessus, quinimò expressè prohibitus sit, & esse intelligatur, utpotè distinctivus ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, deferre & gestare; necnon cum Cruce Archiepiscopali, ante se erecta, in omnibus & singulis locis, ac etiam in ædibus & mansionibus seu cubiculis, dilecti etiam Filii, moderni & pro tempore existentis, Nostri & Sedis Apostolicæ Nuntii, in præfato Regno Poloniæ Commorantis, non secus ac cum Cruce erecta, hujusmodi ipse pro tempore existens, ejusdem Ecclesiæ Gnesnensis Archiepiscopus & Primas incedit, usque ad mansiones Regalis Palatii, semper incedere, respectivè possint & valeant, & quilibet eorum possit & valeat; cum hoc tamen, quod per gratiam præsentis concessionis Habitûs rubri seu purpurei coloris hujusmodi, & per incessum cum Cruce semper erecta, ubique locorum, illius vigore, ut præfertur habendum, dictus Adamus Electus, Ejusque in Archiepiscopatu & Primatu hujusmodi Successores, pro tempore existentes præfati, acquirant duntaxat merum majoris honorificentiæ signum, pro sublimi eorum dignitate, non autem majorem jurisdictionem, nec ullum majus Jus in Nuntiatura Apostolica, aut in quovis alio loco. Unde idem modernus, & pro tempore existens noster & Sedis Apostolicæ præfatæ Nuntius, semper & quandocunque, primum habeat & habere debeat locum, & præcedat ac præcedere debeat, & manu dextera semper gaudeat, ac etiam gaudere debeat, respectu ejusdem Ecclesiæ Gnesnensis Archiepiscoporum & Primatum, quatenus tamen isti Cardinalitia dignitate non præfulgeant, ubique locorum, præterquam in propriis dicti Nuntii ædibus, & non aliàs, aliter, nec alio modo, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium perpetuò concedimus & indulgemus, ac licentiam & facultatem desuper impertimur. Nec non Eundem Adamum Electum, Ejusque in Archiepiscopatu & Primatu hujusmodi Successores, pro tempore existentes præfatos, desuper à quoquam, quavis Auctoritate molestari, inquietari, ac perturbari, nullatenus unquam posse, neque debere, ac easdem præsentes ex quocunque Capite quantumvis juridico & legitimo, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quopiam alio defectu, notari vel impugnari nunquam posse, sed eas semper & perpetuò validas & efficaces fore & esse, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; nec eas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limita-

tionibus, derogationibus, modificationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehensas, sed semper ab illis exceptas esse & fore, ac Adamo Electo, Illiusque Successoribus, dictæ Ecclesiæ Gnesnensis Archiepiscopis & Primatibus, pro tempore existentibus præfatis, perpetuò suffragari; sicque & non aliàs per quoscunque Judices Ordinarios vel Delegatos, quavis Auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac præfatæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictumque & alios præfatæ Sedis Nuntios præfatos, judicari & definiri debere, & quidquid secus super his, à quoquam, quavis Auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Non obstante Nostra & Cancellariæ Nostræ Apostolicæ regula, de Gratiis non concedendis, adinstar, & quibusvis etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis, editis vel edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis & quatenus opus sit, dictæ Ecclesiæ Gnesnensis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & Consvetudinibus, Privilegiis quoque Indultis & Literis Apostolicis, quibusvis personis, in genere vel in specie, in contrarium præmissorum forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, aliàs de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, & inserti forent, eisdem præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissimè & plenissimè hac vice duntaxat, specialiter & expressè, harum quoque serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omninò hominum, liceat hanc paginam, nostræ absolutionis, Concessionis, indulti, licentiæ & facultatis, impertitionis Decreti & derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, Annô Incarnationis Dominicæ, millesimo septingentesimo quadragesimo nono. Decimo Calendas Octobris, Pontificatûs nostri, Annô decimô Loco ✠ Plumbi.

Sed redeundo ad Nostrum Mathiam à quo digressi sumus: Regem aliquoties ille monuit, cum enim Vladislaus IV. Rex Poloniæ, bellum in Turcas, inconsultâ Republicâ, magno apparatu agitaret, exercitumque noviter conscriberet ac conduceret, svasoribus Legatis externis, qui generosum hunc ausum, in effectum deduci probabant, & præcipuè Joanne Tiepolio Legato Veneto, cui à Republica

sua

sua bello cum Turcis implicata, datum erat negotium, ut Regem, ad arma contra Orientem expedienda, omni conatu impelleret; multi tamen Proceres, præcipuè verò Petrus Gembicki Episcopus Cracoviensis, Stanislaus Lubomirski, Palatinus Cracoviensis, ille sacræ potestatis eminens Infulâ, hic magnis Sagi Togæque ornamentis decorus, Mathiam Archiepiscopum compellavêre, ut iret obviam nocivis consiliis, Primatiali jure, tanquam Custos Legum & libertatum Patriæ; Itaque Mathias muneri suo non defuit, & Primatialis Auctoritatis prærogativam, cui Reges monere, prisco more usitatum erat, egregiè tunc exercuit, scripsitque Regi literas, jura Regni sancita, firmataque commemorans, quibus cautum est, ne inscia Republica, Rex vel Bellum susciperet, vel militem colligeret. Monuit præterea Regem, ut Comitia Generalia indiceret, cum Republica, de ratione belli consultaret, qua consentiente, feliciùs bellica hæc meditamenta processura, renitente verò, magis Patriæ, quàm cuivis hosti periculosa evasura. Tandem in Conventu Generali Varsaviæ, diebus Octobris indicto, eundem Potentissimum Regem, Ordinum precibûs decenter movit, persvasitque, ut à cœpto molimine desisteret, Exercitumque ex Germanis, pace Imperii tunc stabilita conscriptum, exauctoraret; Igitur Rex Vladislaus, licèt belli magis, quàm pacis studiosior, salutari Primatis Nostri admonitione flexus, totam belli cogitationem, animo penitus ejecit, & omnem triumphorum gloriam, mente agitatam, in æternum pacis trophæum suspendit, & quod maximè miratur posteritas! Potentissimus ac Invictissimus ille Rex, atque Orbi Christiano, tot victoriis celebratus, ArchiPræsuli suo, mentem manusque victas dedit. Tandem Commissarii, Auctoritate Comitiorum generalium, ad dissolvendum prædictum Exercitum destinati, mandatumque est, ut intra duas septimanas, prædictus Exercitus dissolveretur, militia nuper collecta dimitteretur, & *à* servitio quocunque liberaretur, atque ita classicum belli, contra Orientem accensi conquievit. Licèt autem aliquoties, hac & alia occasione, monuisset Serenissimum Vladislaum Regem, ita dicta moderabatur, ut non offenderet in Verbo, quod gratissimum fuit, (ut scribit Janczyński in manuscriptis,) Serenissimo Vladislao.

Si quis autem Procerum Regni, gravem offensionem perhorrescebat Regis, ad Mathiam Nostrum, protunc Primatem recurrebat, qui sua interventione, gravem Regis leniebat iram. *S*ic Joannis Casimiri Regis, in Lubomirscios indignatio, taliter per Nostrum Primatem, extincta fuit: indignationis verò ejusdem causa, ex possessione fodinæ Salinariæ, Cunegunda dictæ, exorta, cui dirimendæ, dati Arbitri, inter quos Instigator Regni Tyskiewicz, segniùs qu*à*m par erat, tractatur, inde acrior in Georgium Lubomirski, Supremum Regni Mareschalcum offensa, velut facti Authorem, ideo Lublini, læsa

Regis gratia, Lubomirſciis reparatur eo modo: Vacabat Rex devotioni, in æde primaria: cum peractis Sacris, Proceres latus prope accedunt, is officia venerantium præſtolari ratus, recipit ſubinde literas à Primate Lubienio, quibûs, poſt vota impertiendæ de Cælo Victoriæ, deprecabatur Lubomirſciis, ex malè tractata commiſſione noxam. Pariter pro Hieronymo Radziejowſki, ad eundem Regem interceſſor fuit, & gratiam Lubomirſciis, nam poſterior è Regno celeriter exceſſerat, impetravit.

Præter has ſupraſcriptas prærogativas in Regno, alias adhuc, apud Clementiſſimos Reges & Senatum, propter gravitatem morum, probitatem vitæ, aſſecutus Mathias Noſter. Ille in diſtribuendis Regni Miniſteriis, apud Reges in pretio, cum enim poſt mortem Trzebińſcii, Sigillum Regni vacaret, nulli conceſſum à Rege, inconſulto Mathia Primate Regni. Illum ſub Interregno, dum exerceret Regalia, Palatini nonnulli, Sereniſſimum inſcribere, in uſu habebant, cujus documentum apud Olſzowſki, de Principatu Archiepiſcopi Gneſnenſis, exſtat: Literæ Adami Kiſiel Palatini Kijoviæ, Senatoris olim Clariſſimi, ad eundem Mathiam Primatem Regni datæ. In reliquis pariter, ita Principis Primatisque Regni, Auctoritatem tuebatur ut dignitas hæc, illi protunc uni, convenire videretur. Quotiescunque Mathias Noſter, in Senatu tulit ſententiam, omnes ab ore dicentis, pendere videbantur, plena enim erat, notitiâ antiquitatis iſtius ſenis oratio, ita, ut unus protunc & legum Noſtrarum, patriorumque inſtitutorum, Origines ſcire, & fœdera cum externis Principibus, & tuendæ ſalutis communis, conſervandique præſentis ſtatûs rationes, optimè perſpectas habere, crederetur. His rebûs tantam ſibi paravit Auctoritatem, ut omnibus fuerit Venerabilis, ut ad conſpectum ejus, Oſores Eccleſiæ jurium, nec hiſcere quidem auderent, & quod maximum, unica Sanctitatis & pietatis opinione, ita gratus & amabilis omnibus erat, ut nemo eſſet, qui non eximia animi ejus excellentiâ permotus, eundem in pretio, in admiratione & in amore non haberet.

Aulam præterea conſervabat modeſtam, in qua pietas principatum tenuit, Religio cuncta gubernabat, fides, juſtitia, candor, concordia, cæteræque virtutes, ex ipſius Palatio, veluti ex quodam ſacrario, mirificè relucebant, in qua inter alios erat, Andreas Trzebicki, Curiæ Primatia is Cancellarius, poſt hunc Andreas Olſzowſki, Eccleſiæ Metropolitanæ Gneſnenſis Canonicus, à Mathia Noſtro ad Cancellariatum Archiepiſcopatûs aſſumptus, Conſiliorum publicorum, & rerum ſub interregno periculoſiſſimo geſtarum, conſcius & oculatus teſtis. Ambo in Aula Mathiæ, ad futuras easque Supremas, in Eccleſia & Regno dignitates, educati, Prior enim Epiſcopus Cracovienſis, Dux Severiæ & Regni Senator factus, alter

Archiepiscopus Gnesnensis, Regni Primas Primusq; Princeps; Tertius in Aula Primatiali Mathiæ, Authoritate & prudentia omnibus affabilis, Nicolaus Łayszczewski, Castellanus Sochaczeviensis, Curiæ Primatialis, tum apud Joannem Wężyk, tum apud Nostrum Mathiam Mareschalcus, Vir amænitate ingenii, functionibus variis in Regno, memorabilis.

Enarratis quæ Regnum & Senatum Polonum concernunt, iis præclarissimis gestis Mathiæ, quorum notitia, variis in documentis exstat, prætermissis autem tot aliis nobilissimis ejus actis, in antiquitate sepultis, ad alia, videlicet ad enarrandas & describendas virtutes ejus, properamus.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM

De Devotione Mathiæ, ad Christum & Virginem Beatissimam.

Licet Mathias Noster, ab ineunte ætate, qua rationis usu & officio fungi cæpit, cultus Divini studium, summopere complexus esset, licet devotionem & pietatem in Deum, cum lacte ab uberibus piæ Matris suæ, exsuxisset, hæc tamen maxime in ulterioribus ejus annis ita eluxit, ut Spiritu in cælo, (ubi continuæ Divinæ laudes solvuntur,) versari videretur. Hinc illam Curiam Episcopalem Pstroconii, Aulam Regiam, Religiosum in Nostro Ordine Domicilium, & denique Episcopalia Palatia, ubi per totum vitæ suæ tractum, Mathias Noster morabatur, ardore Dei inflammatus, in Templa & Orationis Domos, convertebat & commutabat; Præcipuè tamen ad Christum flagellatum & Crucifixum, devotionis ferebatur affectu, ad quem vota dirigebat sua, & ardentissima suspiria emittebat. Exstant hucusque me observante, aliquot Imagines Mathiæ Nostri antiquæ, in quibus pingitur, ante Christum columnæ alligatum. Sicut verò ipse, singularissimo erga Christum ferebatur amore, ita voluit totum eodem amore Christi, inflammare Orbem, quo fine tum Nostros Canonicos, Crucifixi effigiem, in quovis Cubiculo, habere obligabat, tum in Visitationibus Diœcesum, Parochos, ad habendam Crucifixi figuram admonebat.

Erga Christum in Sepulchro depositum, & erga ipsum *S*anctissimum *S*epulchrum ejus, pari & speciali pietate ardebat, sciebat enim, quod Isaias Propheta prædixerit, Sanctissimum Sepulchrum Christi, gloriosum fore, & quod fuerit, ara Christi Sepulti, Scala ad Regnum Cæleste, instrumentum liberationis Nostræ, inferebatque sibi: si ergo dignum fuit, scabellum pedum ejus, ut adoretur, si arca testamenti, tanto cultu & veneratione honorata fuit, quantò magis Sanctissimum Sepulchrum Christi, ejus sangvine purpuratum, per quod Deus, usque ad hanc diem, tanta miracula patrare non desinit,

Igitur ad idem Sepulchrum Christi devotissimus, præter hoc, quod ad idem festum Sanctissimi Sepulchri, strictissima observaret jejunia, præter hoc, quod ad idem Festum, in Constitutionibus Ordinis, jejunium Ordinaret, Confraternitatem Sanctissimi Sepulchri, in Ecclesia Miechoviensi, magnis Urbani Octavi Pontificis Maximi, decoratam gratiis, promovit, Breve super hoc apud eundem Pontificem, indulgentiasque perpetuas, per Alexandrum Zbikowski Corabitam, Ordinis Nostri Canonicum, Sacræ Theologiæ Doctorem Romanum, de Data Romæ, apud Sanctum Petrum, sub Annulo piscatoris, Die decima quarta Februarii, millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, obtinuit, eodemque thesauro, Ecclesiam Miechoviensem Matricem & Caput Ordinis Nostri, ditavit & decoravit. Porro sicut ipsum Sanctissimum Sepulchrum Christi, summè venerabatur Mathias, eodem devotissimo cultu & veneratione, alias reliquias, instrumenta Passionis Christi, Redemptoris Nostri, prosequebatur. Exstat in Capella mercatorum, supra Sacristiam Ecclesiæ Collegiatæ Posnaniensis, inter alias insignes reliquias & præcipua clenodia, spina Coronæ Christi, in Monstrantia deaurata, Christi fidelibus, ad osculandum exponenda, quæ cum debitam non habuisset reverentiam, Mathias in Episcopatu Posnaniensi existens, visitatâ illâ Capellâ, seriò inhibuit, pœnam excommunicationis decrevit, ne amplius ex theca, per quempiam eximeretur, & ad usus indebitos applicaretur.

Christi item Eucharistici, præcipuus Cultor & Adorator fuit, quærebat modos, inveniebat media, ut eundem Sanctiori titulo, profundiore reverentia, adoraret, Mathiæ Nostri in Christum Eucharisticum, ardentissimæ Devotionis documenta: quod primò, dum esset Præpositus Generalis Ordinis, resideretque in sede dignitatis suæ Miechoviæ, quandocunque Presbyter, deferebat hoc Divinissimum Sacramentum ad infirmos, duobus Scholaribus suo peculio, tum solvebat, ut cum luminibus accensis, inter eundum & redeundum, idem Divinissimum Sacramentum, cantu devoto prosequerentur, tum curabat, ut frequens populus, Christum Eucharisticum comitaretur. Factus tandem Episcopus, in Visitationibus suarum Diœcesum, ubique cultum, ubiq; reverentiam, ubivis devotionem, ad hocce Divinissimum Sacramentum promovebat Comperit in Ecclesia Parochiali Dolscensi, Diœcesis Posnaniensis, Confraternitatem Sanctissimi Corporis Christi, antiquitus fundatam, penitus negligi, devotionem intermitti, ideò cupiens tam laudabile institutum, in usum revocare, & in populo fervorem & devotionem, erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum excitare, Mansionariis illius Ecclesiæ injunxit, ut qualibet feria quinta, Missa de Corpore Christi: cum processionibus solitis, juxta Breve Apostolicum, celebraretur & absolveretur, devotioque in populo, erga Christum Eucharisticum,

inno-

innovaretur. Comperit pariter in Ecclesia Hospitali Costensi, ejusdem Diœcesis, sub titulo Corporis Christi erecta, frequentiam die dedicationis, ejusdem Ecclesiæ congregari, igitur ad excitandam majorem devotionem Christi fidelium, censuit, ut quovis Anno anniversaria dedicationis die, Sanctissima Eucharistia, publicè exponeretur, & Processio solennis in utrisque Vesperis, & in Missa sub baldachino expediretur; omnibus verò huic solennitati assistentibus, quadraginta dierum indulgentias, Auctoritate ordinaria, perpetuis temporibûs concessit. Comperit tandem aliquam saltim minutam indecentiam, circa hoc idem Divinissimum Sacramentum, in Ecclesiis suæ Diœcesis fieri, hinc statim, ardentissimò inflammatus zelò, tum lucernas ante Divinissimam Eucharistiam, comparari, tum eandem ad infirmos, præcedente lampade, & cantu duorum puerorum deferri, tum indulgentias eo fine ex ambona, è concessione Sanctæ Sedis Apostolicæ publicari, ut populus ad comitandum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, induceretur, mandabat & præscribebat.

Cum autem Episcopus Vladislaviensis esset, provida sua liberalitate, Sancivit, ut in Ecclesia Cathedrali Vladislaviensi, essent nocturni diurnique Excubitores, Presbyteri & Clerici, qui cessante in choro officio, ante Sanctissimi Sacramenti Tabernaculum, nocte dieque continuè, sonora voce, Psalmos concinerent, indeque retinerent, Psalteristarum appellationem. Ad hoc munus, destinati sunt Ministri octo, inter quos Sacerdotes quatuor, qui distributo inter se censu, viginti quinque millibus, per Nostrum Mathiam empto, justa proportione, sufficienti stipendio, providentur. In Synodo Vladislaviensi, Annò millesimo sexcentesimo trigesimo quarto, celebrata in sua Ecclesia Cathedrali, ut eximia pietate, in Civitatibus & Oppidis, erga hoc Divinissimum Sacramentum, populus accenderetur, & in majori frequentia, idem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, ad infirmos deferendum comitaretur, signum per Campanam parvam, in medio templi affixam, dandum constituit, per quod Christi fideles, ad illud comitandum, vel si occupati fuerint, saltim ad adorandum, invitare voluit; quo fine, omnibus hunc cultum, Sacratissimo Sacramento exhibentibus, quadraginta dierum indulgentias, quas à Sancta Sede Apostolica, in eum finem concessas habebat, in omnibus Ecclesiis Parochialibus, & in tota Diœcesi Vladislaviensi, concessit, & hoc ipsum ex ambonis, publicari prœcepit. Pariter in altera Synodo Vladislaviensi, Annò millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, celebrata, modum asservandæ Divinissimœ Eucharistiæ, & tractandœ prœscripsit: nempe ut cum magna reverentia, tum exponeretur, tum in Processionibus, sive ad infirmos portaretur, Ta-

bernaculumquè, aſſervandæ Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, adornaretur. Ornabat inſuper & ditabat aurô, aliisque pretioſiſſimis lapidibûs, in variis Regni Eccleſiis, Sacratiſſimam Euchariſtiam, oſtendens: quod ſupra omne pretium, æſtimandus DEus, corque ſuum amore Divino plenum, quovis pretioſius metallo, inſtar Melchiſedech, Sacratiſſimæ Hoſtiæ ſupponebat. Epiſcopatum Vladislavienſem regendo, pro Diviniſſima Euchariſtia, adorationi populi, publicè proponenda, ferculum ſeu monſtratorium, ex Auro puro, eximiâ artificis operâ, elaborari, & Saphiris inſignioribûs, adamantibûsque diſtingvi, ad Cathedram Vladislavienſem, non exiguo ſumptu fecit. Similem ad Eccleſiam Metropolitanam Gneſnenſem, Archiepiſcopus Gneſnenſis factus, de auro puro, ad Eccleſiam verò Bełchovienſem, in Archidiœceſi exiſtentem, noviſſime à ſe fundatam, argenteum ferculum deauratum, ſeu monſtratorium, pro Sanctiſsima Euchariſtia exponenda, comparavit.

Poſt Deum, nihil magis amavit in terra Dei Matre, in feſto Purificationis Mariæ, accepit ſuæ Nativitatis primam lucem, cum luce omnia, hinc ulteriores vitæ ſuæ annos, miſteriis Mariæ computabat; diem Nativitatis, accepit à Maria, hinc omnes vitæ ſuæ dies, Marianos, id eſt Mariæ devotos duxit; nullus erat apud Mathiam dies, quo honori Mariæ non viveret, Mariam non ſpiraret, quem Electa ut Sol Maria, non illuſtraret. Crederet Mathias Noſter, diem illam tetram fuiſſe noctem, ſi Electæ ut Soli Mariæ, pio affectu, votivis precibus non ſacrificaret. Quare plurimas eidem Sanctiſsimæ Virgini, ingenti zelo, erexit Eccleſias, fundavit Capellas, ædificavit Altaria, quæ pretioſis ornamentis ditavit, aurô & argentô ſuperbè oneravit, ejuſdemque Sanctiſsimæ Virginis honori, dedicavit & patrocinio ſubjecit. Præter hanc in Mariam, effuſam liberalitatem, in variis fundationibus ſuis, quæ Crebrœ in Polonia exſtant, officium de eadem Sanctiſsima Virgine, & Miſſas cantandas conſtituit, devotionem promovit, Cultum ejuſdem ampliavit, omnia refundens in Mariam, quœ accepit à Maria. Et ſic inter alia, pietatis in Virginem Beatiſsimam, Mathiœ Noſtri argumenta, ſparſim in hoc libro conſcripta, dum eſſet Poſnanienſis Epiſcopus, in Eccleſia Collegiata Beatœ Mariœ Virginis, in Summo Poſnanienſi, tempore ſuœ Viſitationis, quatuor Preſbyteros, pro decantando Curſu Beatœ Mariœ Virginis, quod Canonici, ejuſdem Collegiatœ Eccleſiœ, ex erectione decantandum habebant, conſtituit, quibus pro ſalario quartam partem Proventuum; eorundem Canonicorum, ordinavit & per Decretum conſtituit. Quia verò hœc quarta pars, pro ſalario eorundem Presbyterorum, ſufficere non poterat, ideo pro ſingulari, ergà Deiparam pietate, ejuſque conſervando & propagando cultu, florenos centum annui reditûs, se proviſurum, & in Bonis aliquibus, perpe-

perpetuò assecuraturum recepit, quod antequam factô præstaret, ex parata pecunia, singulis annis, ab Oeconomo Clavis Posnaniensis, realiter & in effectu, ad manus Provisoris eorundem Presbyterorum, numerandos fore permisit, & postea summam mille sexcentorum florenorum, in Bonis Łęki, eo fine inscripsit & locavit. Hoc ipsum in Ecclesia Parochiali Tarcinensi, Diæcesis Posnaniensis fecit, ubi pecuniam, post intestatum Parochum Jakuboviensem, relictam, Cursui Beatissimæ Virginis Mariæ, qui in Ecclesia Tarcinensi, ob tenuitatem fundationis, decantari desiit, adjudicavit. Hoc idem & in Ecclesia Parochiali Rydzinensi, ejusdem Diœcesis ordinavit, dum in sua Visitatione, ejusdem Ecclesiæ, ut Cursus Beatæ Mariæ Virginis, noviter institutus, cum ea qua par est devotione expediretur, ordinavit, & ut consensus Collatorum, Altaris Siedlickich, à suis Fundatoribus dotati, super incorporatione, ejusdem Altaris, Cursui Beatæ Virginis Mariæ, pro meliori sustentatione decantantium, suprascriptum Officium Beatæ Mariæ Virginis, procuraretur, Parochum illius Ecclesiœ obligavit. Id ipsum, Regimen Diœcesis Vladislaviensis gerendo, in Visitationibus ejusdem Diœcesis constituebat, & fundationes ejusdem Officii Beatæ M. Virginis, quas in nonnullis Ecclesiis, nondum ad effectum, ob negligentiam eorum, quorum intererat, deductas esse comperit, ut intra semestre deducerentur tempus, seriò demandabat.

Præcipuè tamen, ergà Sanctissimam Matrem, in Claro Monte Czestochoviensi miraculosissimam, devotione & amore arsit; cum enim, Annô millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, introductio solennis, Sacræ Imaginis Czestochoviensis, ad novum Sanctuarium, à se novissimè tunc fundatum, & per se, Deo & Beatissimæ Mariæ, dedicatum ac consecratum instaret, nulli vehementiùs, uti & par fuit, quàm Mathiæ Nostri, ea res menti adhæsit. Protinus omni postposita mora, potissimùm per Principem Archidiœcesim, intimari mandavit, pluribus aliis, hoc ipsô de negotio, ad varios Regni Proceres, conscriptis literis: nimirum, solennitatem deductionis Sacræ Imaginis, non ampliùs nisi ad quartam diem Mensis Aprilis, eodem ipso Anno, (in quem diem, & salutatæ ejusdem ab Angelo Virginis, memoria inciderat,) differendam. Et sanè tam piis ArchiPræsulis desideriis, Divinum quoque adfuit Numen; Quod enim credi futurum non poterat, ob acriter desœvientia frigora, niviumque creberrimè decidentium, quasi continuas tempestates, tamen faventibus primùm Superis, tum postea nubibûs, accidit, ut biduo antequam triumphus supervenisset, aëris summa malatia annuisse, imò arrisisse eidem, vel maximè visa fuerat.

Venit tandem dies, à Mathia Nostro pridem desiderata, & ardentissimo exoptata voto, venit & Mathias Archiepiscopus, velut

Paranymphus Czestochoviam, Divini Verbi Sponsam, in thalamum augustum deducturus; Dominica tunc in Albis fuerat, qua Dominam suam, purissimo Candore plenam, & ipse ætate & virtute niveus, in Claro Monte salutavit & adoravit: sed quo affectu & amore? ex sequentibus accipe: De ejus adventu certior factus Mons Clarus, igitur Petrus Gembicki Episcopus Cracoviensis Dux Severiæ, (pro tunc jam in Claro Monte præsens, triumphum expectaturus Marianum,) protinus cum frequentissimo suo, & nobilissimorum quorumque Hospitum Comitatu, Religiosissimo Sancti Pauli primi Eremitæ, amplissimo Ordine, obviam ei extra portas, sui Mariani Cænobii ac munitissimi Fortalitii Regni, processit, ubi ad primum eorundem congressum, postquam tormenta bellica, magno fragore, circumcirca personare institissent, huculque necdum detonare desierunt, quousq; Primas Regni & Archiepiscopus Mathias, inter festivum tubarum & tympanorum concentum, ad templum pervenisset. Quo in loco, Pater Generalis totius Ordinis Sancti Pauli Primi Eremitæ, (qui pro eodem actu ex Hungaria advenerat,) brevi ast facunda Oratione, Mathiam Fundatorem Mariani Sanctuarii, excepit, quà ipsius & totius Lubieńscianæ Familiæ, pro adeo munifico, erga Sanctissimam Virginem Czestochoviensem, præstito opere, nunquam intermorituram gratitudinem, in cordibus Fratrum suorum & totius sui Ordinis declaravit.

Dictu difficile, quibus hìc cum affectibus, erga Virginem Sanctissimam, Mathias Noster se prodidit! Joannes Dionysius Łobżyński, Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ, quos tunc cordis affectus, quæ profunda ad Virginem Sanctissimam suspiria, ex ore ejus audivit, illa priùs memoriæ, postea calamo, in Triumpho Divæ Czestochoviensis credidit & exaravit. *Utinam* (inquit Mathias Noster:) *Maxima Cælorum Regina, hoc exile pensi debitum, gratans à me excipiat! Saltim tantillus ego, liberalitate cum Maria certare nollem, sit satis refudisse in Mariam, quod accepi à Maria. Cæterum ipsa, qua Clemens est, faciat mecum, quod bonum ipsi, in Christo, suo Dilecto Nato videbitur. Post quem solum & unicum mediatorem, illa sola prima & unica mea fiducia.* Quibûs dictis, ad Aram Virginalem ivit, ubi prono corpore ac supplicibus votis, Virginem Sanctissimam salutavit.

Non hìc finem, suæ ardentissimæ devotionis, erga Deiparam Sanctissimam, quòd eandem salutâsset & adorâsset, imposuit Mathias Noster, verùm adveniente crastino die, Festo videlicet Annunciatæ Virginis, penes numerosissimam tum Procerum, tum Nobilitatis, tum populi multitudinem, cupidine videndi, imminentem pompæ actum congregatam, (quam nec utriusque templi, nec murorum ambitus, perampla capedine claudere potuit, & sub aperto Cœlo, tota nocte, artefactis ignibus collucente, imminentis diei trium-

triumphum fecit præstolari,) pius Præsul, humeris suis, hanc piam vectationem, quantum per ætatem & valetudinem fas erat, perficere ardentissimè flagrabat. Interea ad sacrum Sacrificium Missæ, se componebat, mox & paramentis, per suos Prælatos pretiosissimis indutus, si quando speciosior apparuit, tunc certè, quando & augustior visebatur sponsa ejus Maria, ad suæ Primatialis liberalitatis thalamum, jam jam deducenda. O quis tunc populi, totiusq; gentis sensus! quæ devotio? quantus fervor charitatis in Deum, & amor in Pretiosissimam & Immaculatam Virginem? Cæterum si sensum, devotionem & affectum spectemus, ArchiPrælulis Mathiæ, sine dubio maximus ille & ardentissimus fuit, nam Mariani Sanctuarii Fundator amplissimus, Supremam & maximam voluptatem, ex imminenti gloriosissimo triumpho percipiebat; In hoc enim felicissimam sortem, sibi oblatam existimabat, quòd adversa valetudo, (quam ipsa provecta ætas, in summis quibusvis, pro Ecclesia & Republica susceptis laboribus, attrita pariebat,) eum non impediret, in portanda suis humeris tam Pretiosa Virginis Imagine. Postquam itaque prodiit in publicum, in pretiosis apparamentis, longo & pulchro Ordine, Sanctioris Cleri, Prælatorumque frequentia; postquam amplissimorum Senatorum & Ministrorum Regni, ac Nobilissimi Ordnis Equestris, affulsit Majestas; postquam multarum Religionum, & signanterSancti Pauli Primi Eremitœ, illuxit sacrata, candida & numerosissima cohors; postquam variarum Confraternitatum præivere insignia, radiantibus lucernis & facibûs, candelabris aureis, acerris fumantibus, pretiosis odoramentis exornata; & tandem postquam ad Altare Majus, (unde pompa duci debuerat,) advenissent, non potuit se diutiùs continere Mathias, quin priùs ad Imaginem Sponsæ suæ accurrerit, & eandem ex arte, multis pretiosissimis clenodiis, torquibûsque aureis & gemmeis onustam, reverenter assurgens, manibus cupientissimis, firmissimè ex una parte, ex altera parte, Petrus Gembicki Episcopus Cracoviensis Dux Severiæ, apprehenderit, & tanquam olim duo Cherubini, circa Arcam, ad latus Miraculosissimæ Imaginis adhæserint.

Vidisses procul dubio, quisquis hæc mente amica perlegis, (quod plerique fide digni adverterunt, quod & Joannes Dionysius Łobżyński, in Triumpho Divæ Czestochoviensis adnotavit,) quàm grata Virgo Beatissima, liberalitatis & ardentissimæ devotionis, Mathiæ Nostri fuerit! quomodo illo ipso momento temporis, quo sacra Imago, à Nostro Mathia apprehensa, facies Sacræ Imaginis, præter solitum, acsi viva fuisset, svaviter arridens refulserit, & ad summam amænitatem vernaverit! quàm tota erecta, tota heroica, tota Divina visa! Præter Consvetudinem, pulchritudo vultûs svavior collucebat, ut etiamsi quis, œgros pro eo momento oculos attulisset,

ſet, protinus Beatiſsimœ Mariœ, illa in Imagine genœ, oculique ſmaragdorum more, quos quaſi in ambitum, ſerene circumducere videbatur, mirum in modum, ipſos reficere, atque omni perturbationum motu, liberum pectus recreare ſuffeciſſent. Guſtum credo ac voluptatem, quam ex ea, nimirum ad Primatiale Mathiœ Noſtri Sanctuarium, deſiderata deductione capiebat, illa ſubitanea vultûs ſui mutatione, ſignificabat, & quos gereret Spiritus, erga devotum Fundatorem & Introductorem ſuum, facie prœferebat.

Interim dum Imago Sacra, ab illis Sacris Portatoribus, in ſuum illud Sacrarium, per publicas atrii & Cœnobii portas inferebatur, jucundum illud videre fuit: quod licèt armati pedites, confertam plebem ſubmovere conarentur, populus tamen pro ea, qua ardebat erga Virginem Beatiſsimam devotione, lachrymis ora perfuſus, calcandos ſe per planum, ultro citroque paſsim ponebat, Mathiam Noſtrum, Mariani ſacrarii Fundatorem benedicendo, & in has & ſimiles voces prorumpendo: *O DEUS! O Chriſte! tuearis hunc tuum tam pium deſponſatum, qui Matri Tuæ, ſacrum hoc ſtruxit Domicilium! Tuus ſit ille, tuus o Maria! Cælo æternùm pro hoc Sanctuario redonandus!*

Poſtquam verò intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum ſuum, in Oraculum Templi, in Sanctum Sanctorum, Imaginem videlicet Virginis Sanctiſsimœ, protinus hœc ſacra Imago, in Altari, à Mathia Noſtro repoſita & collocata, quantos tunc exprimebat affectus! quomodo ſe illa tunc ſpectantium, ingerebat oculis? innatœ ſuœ Clementiœ, quaſi Cœlo relicto, omnem Majeſtatem ſubmittens. Spectarunt eam talem, amorem nimirum toto pectore ſpirantem, quotquot eam è proximo conſpexerunt. Spectavit eam prœ cœteris dulciùs, ArchiPræſul noſter, & felicia lucra, profuſarum ſuarum impenſarum, tacito quodam & ſenſibili proventu, ſecum recogitabat. Interim poſt hunc ſolennem actum, ne tantillum relevato corpore Mathias, Pontificaliter in Ara Virginali Miſſam fecit, atque ſic tandem re Divina, ritu ſolenni facta, ac benedictione Pontificali, in Populum promulgata, templo exceſsit, docuitque quàm glorioſiſsimè Diviniſsima Virgo, hœreditaria Regni Noſtri Domina & Regina, ſimulque Patrona, in Miraculoſiſsima ſua Imagine, pompam ſuam egit, lœtabunda triumphavit, quàm profundiſsimè à ſe & à Chriſti fidelibus, culta & honorata fuit.

Hoc glorioſiſsimè peracto Mariano triumpho, cum iterum, Annô Domini, milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo, Georgius Oſſolińſki, Supremus Cancellarius Regni, novum in eodem Primatiali ſacrario, Virgini Thaumaturgœ, non exiguo ſumptu erexiſſet Altare, ideoque Imago Sacratiſsima, ex antiquo Altari & ſtatione ſua, moveri debuit, tantiſper alibi collocanda, & poſtea ad novum

Altare,

Altare, potiùs Thronum transferenda; iterum devotissimus Sacræ Virgini Primas, Mathias Noster, eodem Anno, in Claro Monte, cum eo quo in Dei Matrem arsit affectu, comparuit, iterum Sacræ Imagini, quam animitus in pectore gestabat, unà cum Episcopo Cracoviensi & Duce Severiæ, ArchiPræsuleos armos, devotissimè submisit, & inter Sacerdotum choros, penes innumerabilem, variæ conditionis hominum multitudinem, & magnificentissimum triumphum, manibûs & humeris suis, Atlas Cæli Reginam, ad Regiam & Thronum novum transportavit. His necdum contentus, necdum satis amori ejus, in Czestochoviensem Mariam, sed dum vixit, non parcendo etiam senili ætati, & laboribûs in Ecclesia continuis attritæ senectuti, quotannis eandem Sacratissimam Imaginem, devotè visitavit, promissa implevit, vota solvit; nullus effluebat Annus, quo non ad illum locum, devotionem, cultumque testaturus excurreret, ad ejus honorem omnia dirigeret, & ad eam in necessitatibus, non confugeret.

Quem Virgini Sanctissimæ, in Claro Monte Czestochoviensi triumphanti, affectum præstitit, eundem, & in aliis Sacris Imaginibus, Virgini Beatissimæ, variis modis perhibebat, miracula ipsius approbando, gratias intercessione ejus obtentas publicando, & devotionem Christi fidelium, ad eandem Divinam Matrem, variis in locis augendo. Sic in Włoszczow Oppido, quatuordecem milliaribus à Cracovia distante, in tractu Petricoviensi, tunc dum idem Oppidum, abominabili hæresi, à Dominis suis hæreditariis, Szafraneis dictis, ædificato Fano, infectum erat; in quadam Domo desolata, per merita Sanctissimæ Virginis Mariæ, magna & multa miracula & gratias, patrabat Deus. Mathias protunc Archiepiscopus Gnesnensis, dum de illis rescivisset, in Anno, millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, illicò Commissarios, ad prædictum Oppidum destinavit & ablegavit, qui re per juramenta & per inquisitiones probata, Domunculam illam, Auctoritate ab Archiepiscopo habita, benedixerunt, sacrosanctum Missæ sacrificium, penes ingentem populi concursum, ibidem celebrarunt, & hymnum Ambrosianum, præ magno gaudio fletum elicientem, decantaverunt. Brevì postea, in isto loco ædificata Ecclesia, ubi devotio, gratiæ & miracula Virginis Beatissimæ, hucusque florent.

Pariter in Curia Domini Widawski, cùm Imago Virginis Beatissimæ, miraculis & gratiis clarescere cœpisset, Mathias tunc Archiepiscopus, re cognita, statim super iisdem miraculis, inquisitionem decrevit, simulque facultatem dedit, ad Ecclesiam Mstoviensem Canonicorum Regularium Lateranensium, duobus miliaribus à Czestochovia distantem Sacram Imaginem introducendi. Quare cum solenni pompa & triumpho, omnium Christi fidelium applausu, Annò Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo, Sacra Imago introducta, brevì ipsa Imago, lapidibûs pretiosis, Altare autem totum, numerosis

& ponderosis votis, adornatum fuit. Cum verò Episcopatûs Posnaniensis gereret fasces, & Diœcesim illam visitasset, in Ecclesia Zdzieszeviensi, ad Oppidum Borek, in Majori Polonia sita, ad Imaginem Virginis Sanctissimæ miraculosam, absoluto solenni Missæ Sacrificiô, constituit, ut beneficia, quæ Christi fideles ad eum locum confugientes, intercedente Beata Virgine Maria recipiunt, libro ad eum usum destinato, insererentur, & super eô seriò Parochum admonuit. Idem in Ecclesia Parochiali Stefszeviensi fecit, atque Capellam, in qua Imago Beatæ Mariæ Virginis, celebri fidelium devotione visitabatur, & miraculis clarescere incipiebat, diligenti curæ Præpositi illius loci commendavit, & ut ad propagandum Deiparæ Virginis cultum, Christi fidelibus omni pietatis Officiô præiret, obligavit. Crescente verò Sacræ Imaginis, Virginis Beatissimæ, in Ecclesia Zdzieszeviensi supra nominata ad Oppidum Borek, miraculorum fama, ab eaque, liberatione à periculo contagiosissimæ pestis, sui suorumq; familiarium impetrata, eandem Sacram Imaginem, Episcopus & Senator Regni existens, pedestri itinere visitavit, & Anathema Argenteum, in vim perpetuæ gratitudinis, pro eadem liberatione appendit, in illoque sequentem inscriptionem exaravit: *D. O. M. Divæquè Matri Virgini, Ecclesiæ Borcensis Tutelari, sui suorumque familiarium, in maximis & præsentissimis contagiosæ mortalitatis, variisque ejus Anni casibus & periculis, Liberatrici, Illustrissimus & Reverendissimus Dominus, D, Mathias Lubieński, Dei gratiâ Episcopus Posnaniensis, Vladislaviensi & Pomeraniæ Nominatus, conservatæ salutis & singularis patrocinii, beneficium acceptum fert, votumque perpetuæ gratitudinis coram rependit. Annô Domini, millesimo sexcentesimo trigesimo. Sexto Calendas Januarii.*

Quantùm autem Immaculata Conceptio, Augustissimæ Dei Matris, devotissimo cordi ejus adhæsit? exinde disce: quòd secutus exempla & vestigia Sanctorum suorum Patrum, sui Ordinis & Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcoporum & Patronorum, qui à Jacobo Minore Apostolo, Primo Episcopo Hierosolymitano, continua serie succedentes, ingenti zelo & labore, Spiritu Jacobi Apostoli, expresso toties in ejus Liturgia, Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ, defendebant, librosque hoc fine, defendendo ejus integritatem, conscribebant; ipse itaque Mathias, Festum hoc Immaculatæ Conceptionis, Virginis Sanctissimæ, statutis observandum decrevit, approbationibus firmavit. Cum enim esset Vladislaviensis Episcopus, erga Sanctissimam Matrem, & ejus Immaculatam Conceptionem, piè in Domino æmulans, pro studiorum suorum, erga eandem Patronam suam Clementissimam, contestatione, Festum Immaculatæ Conceptionis, ampliùs honorandum, cum octava videlicet censuit, idque observari per utramque Diœcesim Vladislavientem

&

& Pomeraniæ, Authoritate Synodi demandavit. Pariter dum ad Archiepiscopatum Gnesnensem ascendit, in Synodo Provinciali Regni, Annô Domini, millesimo sexcentesimo Quadragesimo tertio, convocata Varsaviæ, universos Episcopos, totumque Regni Clerum, commovit & constituit, ut Festum Immaculatæ Conceptionis, Beatissimæ Virginis, per totam Poloniam celebraretur cum octava.

Nunc ad privatas, easque ardentissimas Mathiœ Nostri devotiones, salutationes Angelicas, Rosaria, Coronas Marianas, aliaque exquisitissima cultûs Deiparæ Virginis, descendamus officia: Invaluerat simul cum Evangelio, in partes nostras; cultûs erga Deiparam & pia devotionis consvetudo, Angelicas salutationes, ad numerum Annorum, quibûs in terris morata est, replicandi, eamque sexagesies & ter salutandi, singulis salutationum decadibus, Dominica Oratione adjuncta, qui mos orandi, à Sancto quodam Eremita, ipsa Deipara eundem edocente, (ut fideli majorum traditione accepimus,) profluxit. Hunc supplicandi ritum, Advocatæ nostræ, nunquam intermisit Mathias, cujus devotionis evidens argumentum est, tum lapideus globus grandior, (quales Eremitæ, ac Nostri Peregrini, plerumque gestare solent,) in Eremitorio Sancti Bogumili, inter quatuor quercus, tempore Archiepiscopatûs, Mathiæ Nostri inventus, ab eodem Mathia, inter alios Rosarii, & Coronæ Marianæ globulos, magni muneris loco, ob cultum Deiparæ eximium deportatus, tum libellus Sacratissimi Rosarii, à suo Authore compositus, & à Mathia gratissimè receptus & acceptatus.

Scapulare Divinæ Matris, præcipuum fuit ornamentum Mathiæ, quod neque in vita, neque post mortem deponere, imò & sepeliri in illo corpus suum voluit, spem ponens post Deum in Maria, quòd hac veste nuptiali indutus, ad cælestes epulas invitabitur. Quam grata hæc fuit cœlo, ad Mariam Mathiæ Nostri Devotio, constat ex eo: cum prædictum Scapulare sacrum, è collo Corporis Mathiæ, in urna pendens, uno jam sæculo, absque ulla sui corruptione in Sepulchro, (quod ego vidi & observavi,) conservetur illæsum. Hactenus devotio Mathiæ ad Mariam: reliqua ejus vota, & erga Christum, tum Dei Matrem pietatis opera, cultum profundissimum, quo Mariam firmo animo colebat; amorem Mariæ, quo eam diligebat plus quam se ipsum, animumque suum ab aliquibus defectibus, quæ Mariæ displicent, prorsus avertebat; deprecationes assiduas, tantæ Patronæ profusis lacrymis, præsentiam Mariæ, quam omni studio in corde custodiebat, ut nunquam ab ejus cogitatu excederet; aliaque erga Divinam Matrem devotionis monumenta, nobis licèt occulta, ipsa Divina Mater, in æternitate notavit, sacrumque Heroem suum, beata immortalitate, per suam intercessionem donavit & præmiavit.

 CAPUT

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

De Devotione Mathiæ, erga Sanctos Patronos.

SCiens Mathias Noster, Sanctos cum Christo regnantes, tanquam DEI amicos, Cœli Principes, jamque in æterna illa collocatos gloria, à Sanctis Angelis, ipsaque Sanctissima Trinitate, cujus beatissima visione perfruuntur, honorari, sciens item eosdem Sanctos, maxima sibi & innumera beneficia, à Deo impetrare posse; perpendens pariter Sanctorum labores, quos in hoc mundo pro Christo Domino, assiduè pertulerunt, ipsorum fidem, spem, charitatem, aliasque innumerabiles virtutes, denique & mortem ipsam; quœ quidem omnia, admirabilis consecuta est beatitudo & gloria, nullis Annorum Myriadibûs terminanda, ideo intra seipsum erubescebat & confundebatur, comparando ipsorum vitam cum sua; excitabat se ad amorem Dei, qui Auctor fuit & principium, omnis Sanctorum virtutis & Sanctitatis, ac per consequens gloriœ cœlestis, quœ eam Sanctitatem excepit; Excitabat se denique, ad eorum Religiosum cultum, ad intercessionem impetrandam, sœpissimè cum Paulo, Apostolo ad eosdem ingeminabat, eorum protectionem & intercessionem, apud Deum poscebat: *Obsecro vos, ut adjuvetis me in orationibus, pro me apud Deum*, reliquias eorum, religiosissima veneratione colendo, & singulari in œstimatione habendo.

Ac imprimis Beato Bogumilo Polono, summè addictus fuit, considerans enim: quòd Beatus Bogumilus, susceptum Archiepiscopatum Gnesnensem, amore solitudinis & studio vitœ contemplativœ, resignâsset, ad eremumque Dobrovensi Pago vicinam, in ditione Bonorum Archiepiscopatûs Gnesnensis, Tractus Uniejoviensis, ad Vartam fluvium sitam, perrexisset, ac in Insulam Opacam, inter densas quercus, flumine Varta circumfluas, secedere consvevisset, ut eo faciliùs, Cœlestibus exercitiis vacare potuisset, ibidemque per Annos duodecim, in summa vitœ austeritate, laboribus, inedia, orationibus, aliisque pietatis operibus, incumberet,& tandem circa Annum Domini, millesimum centesimum octogesimum secundum, Sanctè defunctus esset, in assistentia Deiparœ Virginis Jesum puerum gestantis, Sactorum Angelorum, necnon Divorum Regni Tutelarium, prœsertim Sancti Adalberti, & quinque Fratrum Eremitarum Polonorum; hœc inquam omnia, considerans Mathias, protunc Archiepiscopus Gnesnensis, à Beato Bogumilo quadragesimus sextus successor, ad ejus virtutes imitandas, cultumque ipsius promovendum, fortissimè exarsit. Conquisito itaque diligenter locô, in quo idem Beatus Bogumilus, sua exercitia spiritualia, perficere solebat, eundem

eundem Imagine Christi Patientis, signare mandavit; postea videns, parietes Ecclesiæ Parochialis Dobrovensis, (ubi Beatus Bogumilus, habitu Pontificali, cum annulo & lamina inscripta conditus,) Cereis affigi, in honorem Beati Bogumili solitis, ambustos; audiens insuper, multa de miraculis Beati Bogumili testimonia, ejusdem sacrata ossa & Reliquias, de pulveribus levavit, urnâ stanneâ, Annô Domini, millesimo sexcentesimo Quadragesimo quarto, Archiepiscopatûs sui Annô secundo, inclusit & publicæ venerationi, solenniter, in maximo populi concursu & frequentia, exposuit. Processum, super observantia Decretorum, Sacræ Congregationis Sancti Officii, in materia cultûs & venerationis, & denique super virtute, Sanctitate & miraculis, prœfati Beati Bogumili, confecit, & ad eum effectum, super articulis, testes admisit, illosque prævio juramento examinavit, inscribique nomen ejus, Cathalogo Sanctorum, Ecclesiæ decretô & Sedis Apostolicæ oraculô, diligentissimè laboravit, Sacro Collegio protunc Sedis Metropolitanæ, pios conatus ipsius adjuvante. Quia verò ob imminentem Mathiæ Nostri mortem, processus hic, effectum non accepit, ideo Sanctæ memoriæ Christophorus Antonius in Slupow Szembek, Archiepiscopus Gnesnesis, eundem continuare voluit, sed pariter morte præventus, alium promotorem expectabit liberalem.

Porro Mathias, cum ex gravissimis illustrium Virorum relationibus, Officiosè juramentô confirmatis, intellexisset, quòd Vincentius Cotus, Archiepiscopus Gnesnensis, Annô Domini, millesimo quadringentesimo tertio, demandaret, ut Albertus Parochus in Turek, diligenter & fideliter, signa & miracula, quæ per merita Sancti Bogumili fiebant, conscriberet, liber autem hic, in quo fuerant conscripta interiret, igitur præfatus ArchiPræsul, dictum librum summâ diligentiâ conquisivit, (magna enim & plurima, ibi fuisse descripta inaudierat,) volens eundem typis imprimere, ad notitiam totius Orbis Christiani.

Quem Cultum & Venerationem, exhibuerat Beato Bogumilo Mathias Noster, eundem & Divæ Victoriæ Virgini & Martyri præstitit, cui & marmoreum Altare, in Ecclesia Collegiata Loviciensi, in Capella Uchanska, ab Archiepiscopo Uchański sic dicta, construxit, & Reliquias ejusdem, in Argentea Urna condidit. Exstat Lovicii, in ea dem Ecclesia, hujus pietatis Mathiæ Nostri, in Divam Martyrem, à parte Altaris, aureis literis, in marmore exarata memoria, his verbis: *Mathias Lubieński, Archiepiscopus Gnesnensis, hoc Sepulchro à se erecto, Reliquias Sanctæ Victoriæ, Virginis & Martyris, argenteæ tumbæ inclusas, condidit, Die Vigesima sexta mensis Novembris, Annô Domini, millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo.* Ante omnia autem, curæ erat Mathiæ, ut in Ecclesia Metropolitata Gnesnensi, quœ Sacris Reliquiis, Incliti sui Patroni, Divinissimi Adalberti, Archiepiscopi Gnesnensis

& Martyris clarescit, Sepulchrum ejus protunc informe, tristis & rudis antiquitatis opus, demoliretur, & egregium aliud opus, formam monumenti præsentans, erigeretur, elegantiusque Mausoleum, ad sæculi illius splendorem, strueretur, adornaretur, ad eum nempe finem, ut & devotio Polonorum, erga suum Archiepiscopum, & nunc in Cælis Patronum pateret, & Sepulchrum ejus, præter miraculorum gloriam, etiam opere eximio ac nobilissimo, gloriosissimum appareret, sed successores sui Prædecessoris Joannis Lipski, ad mentem tabularum ultimæ ejusdem voluntatis, intercesserunt, ne illis præriperetur palma, sed fuerunt verbis magnifici, rerum vacui. Cupiens adhuc ArchiPræsul Noster, Sanctorum Dei honori, quorum memoria, cultus & Veneratio, in partibus hæretica pravitate corruptis, abolita est, consulere, ideo in Synodo Vladislaviensi, Annô millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, Die nona mensis Junii, celebrata, Officia Patronorum Regni Sveciœ, pro Ordinariis Officiis admisit, eorundemque Sanctorum memorias, rubricis protunc Diœcesis suœ Vladislaviensis, inseri ordinavit.

Sciens item, quòd Sanctus Jacobus Minor Apostolus, primus Episcopus Hierosolymitanus, Clericos Regulariter viventes, in Hierosolymitana Ecclesia, qui nunc Canonici Regulares Ecclesiœ Hiorosolymitanœ, seu Sanctissimi Sepulchri vocantur, instituisset, locâsset & ordinâsset, prout multi Auctores & communis omnium doctrina testatur, ideo ejus Festum in Ordine suo promovit, Officium Festi ejus & Cathedrœ ejus, in Officia Sanctorum Patronorum Ordinis, ingrossari mandavit, indulgentias plenarias, quœ non tantùm Miechoviensi Ecclesiœ, verùm etiam aliis non nullis insignioribus, ad Miechoviensem pertinentibus inserviebant, procuravit, & insuper jejunium ad Festum ejus, in Constitutionibus Ordinis, à Sancta Sede Apostolica approbatis, in Ordine suo constituit, quod ipse strictissimè unà cum Canonicis Nostris observavit. Sanctorum item Mathiœ Apostoli, cujus Nomen à Sacro fonte portaverat; Augustini, Magni Ecclesiœ Doctoris, cujus Institutum in Ordine Nostro, professus fuerat; Adalberti Archiepiscopi & Martyris, cujus Sedis, in Cathedra Metropolitana Gnesnensi, Successor erat; Stanislai Episcopi Cracoviensis & Martyris, & aliorum Sanctorum honori, devotissimus vixerat, ita, ut eorum Festa solennissimè obiret, Vigilias & consveta jejunia etiam in decrepita œtate strictissimè observaret, sub eorum Patrocinio & vivere & mori Sanctè desideraret, & eorum preces & intercessionem in ultimo testamento à se condito ardenter exposceret.

Neque frustratus est eorum protectione & patrocinio, nam cum Annô millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, Regiminis Prœpositurœ Generalis Ordinis, Annô octavô, adversa valetudine, videlicet febri maligna, maximè laborâsset: indeque Cononicis nostris,

ſtris, grandem triſtitiam attuliſſet; Sanctorum Patronorum ſuorum Patrocinio, ad quos tunc temporis refugium fecerat, votis id aſſiduis Canonicorum Noſtrorum, à Deo, die ac nocte depoſcentibus, brevì priſtinæ ſanitati reſtituitur; ſed præcipuè ſupra Mathiam Noſtrum, Divinæ Providentiæ & Sanctorum Patronorum, effulſit Patrocinium, tum tempore peſtis graſſantis Miechoviæ; tum dum Diœceſim Poſnanienſem, media in flamma ejuſdem contagioſiſſimæ peſtis, viſitaret; tum poſt primum ad Cathedram Vladislavienſem ingreſſum, ubi in ipſo initio, jam jam eadem peſtilentiſſima lues, familiam ejus invaſerat; tum dum in Archiepiſcopatu exiſtens, Uniejovienſem Arcem, accito artifice reformaret; Artifex enim cum in aliis rebus poſuiſſet operam, in reformanda Aula ſatis ampla, non æque accuratus fuit; Archiepiſcopus reformata Arce ad Archidiæceſanam Synodum, Clerum evocavit, quæ cum plures trecentis Sacerdotes numeràſſet, in illa Aula, unà cum Archiepiſcopo, conſultationibus factis abſceſſerunt. His abeuntibus, Architectus nimia delectatione repletus, quòd Aula ipſius labore refecta, tot Sacerdotes cæpiſſet, Aulam ingreſſus cum inambulat, ſub illo uno, pavimentum Aulæ, in inferius ædificium defluens, corruit, & Artifici utrumque pedem graviter læſit, ipſo Mathia Archiepiſcopo & tot aliis ſuſtentatis. Hanc Aulam ipſe Mathias, adventantibus hoſpitibus monſtrabat, remque explicabat, & ſingulari Providentiæ Divinæ, Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, tum Sanctorum ſuorum Patronorum protectioni, firmiter adſcribebat. Porro hi Sancti, qui olim Patroni erant apud Deum Mathiæ, nunc Cohæredes cum Mathia Chriſti; qui ſupplices Advocati Mathiæ apud Deum, nunc cum Mathia commenſales Myſteriorum Dei; qui Interceſſores erant pro illo, qui laborum olim ſocii, nunc præmiorum ſodales, nunc cum Mathia Noſtro Beata fruuntur æternitate.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM

De devotione Mathiæ erga Sanctam Sedem Apoſtolicam, & ſubjectione ejuſdem.

SAncta Romana Eccleſia & Catholica, Columna & firmamentum veritatis, ſuperædificata ſuper fundamentum Apoſtolorum, Sedes Principis Apoſtolorum Petri, continua poſt Petrum Succeſſione, Romanis Pontificibus, usque ad modernum Benedictum XIV. feliciter regnantem, pulchro Ordine refloreſcens, adeò cordi Mathiæ Noſtri inhæſit, ut ejus Romanos Pontifices & univerſales Paſtores, viſibilia Eccleſiæ Capita, ſummè veneraretur, iiſdemque, tanquam verus & genuinus Sanctæ Matris Eccleſiæ Filius, ſuam ſubjectionem,

nem, variis modis testaretur. Postquam enim Episcopatûs munus, in se suscepit, illico ad Gregorium XV. literas dedit, in quibus promptitudinem suam, ad parendum mandatis Sanctitatis suæ declaravit, & seipsum in omne obsequium Sanctæ Sedis devovit & consecravit. Successu autem temporis, præterquam quòd in multis Comitiis Generalibus Regni, (quæ tunc sæpè fiebant,) Jura Sanctæ Romanæ Ecclesiæ salva, per omnia defenderet, Constitutiones, Confœderationes omnium Ordinum Regni, Electiones Regum, Pacta conventa, cum solita salva, jurium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subscriberet, verùm etiam, quadrienniô in suo Episcopatu Chelmensi exactô, ut suam submissionem, Sanctæ Sedi magis & magis declararet, statumque Diæcesis suæ explicaret, ipse in persona sua, ad oscula pedum, protunc Urbani VIII. accedere in votis habuit, & firmiter proposuit, sed cùm eundem, ab hoc proposito, plurimæ difficultates idque gravissimœ retraxissent, ad hunc effectum implendum, submissionemque Sanctœ Sedi & obedientiam prœstandam Alexandrum Zbikowski Corabitam, Ordinis Nostri Canonicum, protunc Custodem Generalem Ordinis, Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, Die vigesima nona Augusti, in Urbem ablegavit, viales & alias expensas submministravit, sufficienterque instruxit, & ad prœdictum Pontificem Urbanum VIII subsequentes Literas, suœ fidelitatis & submissionis testes, debita cum reverentia, per dictum Nostrum Canonicum transmisit.

Sanctissime ac Beatissime Pater. Integrô jam fere quadrienniô, in Episcopatu meo, per Dei gratiam transactô, mearum esse partium existimavi, statum Diæcesis meæ, Sanctitati Vestræ exponere, rationemquè administrati hactenus à me muneris Pastoralis, reddere. Et quidem libens ipse, in persona mea id præstitissem, & ad oscula pedum Sanctitatis Vestræ, debita cum reverentia præsens accessissem, nisi me ab hoc proposito, tum Ecclesiarum mearum, & Reipublicæ gravissima negotia, tum longissimi itineris, (hoc præsertim turbulentissimo tempore,) plurimæ difficultates retraxissent. Quamobrem, cum ipsemet id exequi non possem, Nuntium potiùs meum Reverendum Alexandrum Zbikowski, Artium & Philosophiæ Magistrum, ac Conventûs mei Miechoviensis, (quem in subsidium tenuioris Episcopatûs, ex dispensatione olim Sanctissimi Domini, Gregorii XV. Pontificis Maximi, obtineo,) Presbyterum Professum, ad Sanctitatem Vestram mittendum, quàm hoc adeò urgens negotium, diutiùs differendum censui. Confisus Sanctitatem Vestram, hanc meam in reddenda obedientia promptitudinem, gratô animô accepturam, prædictumque Nuntium meum, ad oscula pedum admissum, mandata mea exponentem, benignè audituram, ac meis postulatis clementer assensum suum præbituram. Quo Nomine ego, Sanctitati suæ humillimè supplico, illiusque favori & Patrocinio, me measque Ecclesias,

cum

cum debita mea servitute, quàm diligentissime commendo. Inexplicabile dictu, quàm Paterna Charitate, tum prædictas literas, tum nostrum prædictum Canonicum à Mathia missum, Pontifex, qui jam plene, de integritate vitæ Nostri Mathiæ, ex variis commendationibus instructus fuit, acceptavit, negotium status Diœcesis Chelmensis, ad Sacram Congregationem Concilii remisit, unde Mathias Noster, maximas laudes, zeli & pietatis suæ exportavit. Sed præstat ab ipso Pontifice, & à Sacra Congregatione Concilii, adducere ad Nostrum Mathiam, exemplar literarum.

URBANUS Papa VIII. Venerabilis Frater, Salutem & Apostolicam benedictionem. Quod nobis adventu suo solatium, Fraternitas Tua attulisset, id percipimus ex iis artibus, quibus non minùs quàm infulis, Chelmense Sacerdotium hoc tempore exornatur. Intelligimus enim, te in ista statione, vigilanter excubare, contra latrones animarum, & Fidelibus populis, Ecclesiasticam mensam instruere, mannâ Cælesti & pane Angelorum. Tam præclaro Nomine, censeri par est orationes, jejunia & cætera pietatis exempla, quibus Episcopi, tanquam adipe & pinguedine, nutrire potestis esurientem gregem. Sequere Venerabilis Frater, ac memento: Ecclesiasticas dignitates, esse debere, non propriæ oblectamenta superbiæ, sed publicæ honestatis propugnacula. Id tibi consilium esse, cum testetur Nuntius, quem huc ablegâsti, non mediocre nobis gaudium præbuit. Ex eo cognosces, quanta Paternæ Charitatis solicitudine, consulturi semper simus, rationibus Fraternitatis Tuæ & istius Ecclesiæ, cui Apostolicam benedictionem impartimur, & Pontificium patrocinium pollicemur. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris. Die decima quinta Novembris, millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, Pontificatus nostri Annô tertio.

JOANNES CIAMPOLIUS.

Aliud Exemplar literarum, Sacræ Congregationis Concilii, ad Mathiam Episcopum Chelmensem.

Perillustris & Reverendissime Domine, uti Frater. Amplitudinis Tuæ Procurator, ad invisenda Beatorum Apostolorum Limina ablegatus, injuncto sibi muneri, de iisdem liminibus visitandis, deque statu istius Ecclesiæ referendo, proximis Superioribus diebus, adeò cumulatè satisfecit, exacteque omnia præstitit, ut Illustrissimi Patres, Tridentini Concilii Decretis interpretandis, ac Præsulum id muneris obeuntium, relationibus excipiendis Præpositi, consvetam Amplitudinis Tuæ Solertiam, zelum ac pietatem, maximis laudibus comprobarint, nihilque præterea addendum existimantes, ad solicitudinem satagentis Præsulis, intendendam magis aut excitandam, tantùm illi diuturnam Incolumitatem, à Domino precantur. Romæ octava Novembris, millesimo sexcentesimo vigesimo quinto.

CARDINALIS Sanctæ Justinæ.

Cùm autem in literis translationis Mathiæ, ex Episcopatu Vladislavi-

dislaviensi, ad Archiepiscopatum Gnesnensem, voluisset Urbanus VIII. Summus Pontifex, ut Mathias, montem pietatis Gnesnæ instrueret, hac voluntate Summi Pontificis intellecta, quatenus eandem ad effectum deduceret; & voluntatem suam, voluntati summi in terris Vicarii Christi, subjiceret, seriò cogitare cæpit, sed cum modum ejus rei efficiendæ, Legibûs Regni vetantibûs, invenire nequiret, in animo, Confraternitatem misericordiæ, Gnesnæ & Lovicii instituere, sive institutam promovere, summamquè viginti millium florenorum, ejus rei causâ, in censum locare proposuit, & si vivus id præstare non posset, Dominos suos Executores, ut id faciant, initô cum Capitulis Gnesnensi & Loviciensi consilio, & relicto peculio, testamentô obligavit.

Quantùm autem Deo placuerit, hæc religiosa Mathiæ Nostri, erga Sanctam Sedem Apostolicam, obedientiæ promptitudo & subjectio? constat ex eo, quòd eam, etiam in hac vita, multis benedictionibûs, ac præcipuè longæva supra octogesimum Annum ætate, recompensaverit; ut advertit Polonorum Præsulum Historiographus, Stephanus Damalewicz, toties à me laudatus, dum de Nostro Mathia scripsit. *Ad quos,* (id est Annos,) *illum vivida tot Annorum Senectus, Sanctæ Matris Ecclesiæ, placitis & Sancitis obsequens, & integritas vitæ sobrietate munita, perduxit.* Non est dubium, quin eum beata æternitate præmiavit.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

De Conversatione Mathiæ, cum Viris pietáte conspicuis sui ævi.

UNiversum qua latè patet, Poloniarum Regnum, tanquam fructuosus ager Ecclesiæ, quolibet sæculo, plurimos Cælo Heroes gignit, multos cæli ornamento, Sanctorum augmento producit viros, qui Patriam Incolasque ipsius, Sanctissimis moribûs, tanquam stellis irradiant, exemplaritate, integritate ac innocentia vitæ, tanquam radiis illustrant. Fulgebat tunc dum Noster Mathias vixit, Regnum Poloniarum, dignitate in Ecclesia & Patria, sed potissimùm virtute, Illustrissimis Viris, videlicet Joanne Wężyk, eximiæ pietatis viro, cum quo Mathias Noster, [adhuc Juvenes ambo,) in scholis Societatis Jesu Calissiensibus, tum Academicis Cracoviensibus, sub uno Professore, intimam familiaritatem contraxit, qui qualis futurus esset in ulterioribus annis, in juventute monstravit, quam ad summa pro Deo & Ecclesia gloriosissima negotia, florentem applicavit. Postquam autem Duce pietate, in Patria & Ecclesia crevisset, tunc Eximia Ejus pietas & religio apparuit; Cum enim ad Archiepiscopatûs Gnesnensis Cathedram, promotus fuisset, & Respublica

Polona, mortuo Sigismundô III. in Thronum Polonum, Vladislaum Principem, Sigismundi III Primogenitum Filium elegisset, & cum se Rex novus jurejurando obstringeret, Reipublicæ & Ordinibus, in templo Varsaviensi Divo Joanni Consecrato, formamque concepti per Ordines juramenti, à Mareschalco oblatam enuntiaret, in qua Rex, servaturum se pacem, inter dissidentes de Religione sponderet, Joannes Wężyk, zelô pissimo religionis flagrans, protestatus est in Reipublicæ totius conspectu, hanc adjectam clausulam, nullius momenti esse, utpote cui à Majoribus jam ante suis, & plurimis tam Episcopis, quàm Proceribus Regni, fuisset reclamatum. Postquam autem idem Rex novus, post peracta Comitia Electionis & Coronationis suæ, ad Nuptiarum cogitationem, animum adjiceret, quas celebrandas, cum Hæretica, Filia Friderici Palatini Rheni, firma deliberatione statuerat, egit tunc Joannes Wężyk Archiepiscopus, magno sententiarum è Divinis literis conquisitarum pondere, ut animum Regis, ab ea Viragine, quæ nollet hæresi renuntiare, deflexum, in Catholicissimam, Austriacam Cæsaris Ferdinandi secundi Domum, inflecteret, itaque Cæciliam Renatam, Regi Matrimoniô junxit, & solenni ritu, Reginam unxit. Gravis tempestas, sollicitum de bono Patriæ, ArchiPræsulis pulsavit animum, ob militum frequenter, in expeditionem Prussicam commeantium, Bonorum Archiepiscopatûs divexationem, in qua, dum subvenire cogitaret, afflictis subditorum rebus, nova illum clades, nimirum Civitatis Lovicienſis, fortuitò conflagrantis excepit, quam calamitatem, obrutis primùm vi lacrymarum oculis, in æstuantibus mærore Civium animis, restingvere affectu orsus paterno, deinde liberalitate & censu, ad reficiendas & instaurandas ædes, non mediocri sublevavit. Ingens fames, afflixerat Poloniam, Illius Archiepiscopatûs tempore, quam solari è penu suo, & inediâ langventes, recreari liberaliter jussit; imò sublevandis necessitatibus subditorum, si quando eos similis pestis vel fames urgeret, pecuniæ summam sex millium, Collegio Lovicienſi consignavit, à qua provenientem censum, in subsidia Calamitosorum, perpetuis temporibus, distribuere mandavit. Querelas subditorum, paterno affectu audivit, eosque blande compellans, dulce remedium, bonus Pastor mæstis ovibus apposuit; Et quamvis naturâ in iram esset pronior, tamen illius motus, ita generosæ mentis constantiâ edomabat, ut si quando voluntatem lingva fervens præcurrisset, ut verbo asperiore, tractaret aliquem de domesticis, præsertim in consessu publico, habuit in more, ut auditoribus ejusdem injuriæ adhibitis, lenioris & placati animi, argumenta promeret, atque illud sibi non seria expensum cogitatione, excidisse verbum contestaretur. Sacri Altaris tremendo Sacrificio, ita devotus exstitit, ut dum per bonam valetudinem licebat, Sacris opera-

 retur

retur quotidie, arthritide verò aut podagra laborans, in Capellam ſe deferri juberet, Sacræ Miſſæ Officium auditurus, intra quod frequentiſſimè Communione Sacra refici ſolebat. Biblia impreſſa Dantiſci, opera Hæreticorum, lingvâ Vernacula, & Sereniſſimo Vladislao IV. Regi Poloniæ dedicata, ſeverioribûs edictis, ne legi usquam, aut vendi poſſent intra Regnum Poloniæ, vetuit. Qui zelus ejus, quàm gratus Summo Pontifici Urbano VIII. fuerit, ex ſequenti Brevi Apoſtolico accipe.

URBANUS Papa VIII. Venerabilis Frater, Salutem & Benedictionem Apoſtolicam. Quòd Fraternitas Tua, Biblia Sacra, in Polonicam lingvam ab Hæreticis converſa, & Annô milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo tertio, in Andreæ Hunefeldi officina Gedani impreſſa, edictô vetuit, rem præſtitit, ſedulo & conſtanti animarum Paſtore digniſſimam, & Noſtræ ac Bonorum opinioni, quæ jam pridem apud omnes percrebuit, egregiè ſatisfecit. Gaudemus eam ob rem, pluribûs nominibûs, inter quæ illud poſtremum non eſt: quòd cæteri Epiſcopi, quibus aſſidua cum Catholicæ fidei hoſtibus eſt concertatio, tam præclarô Fraternitatis Tuæ exemplô excitati atque erecti, quæ muneris ſui erunt, fidentiùs ac fortiùs adverſus illos obire, non pertimeſcent. Ita Divina Clementia Tuos, atque eorum conatus, ad felicem exitum perducat, & hoc promeritum, uberi ſuorum donorum collatione, remuneretur. Fraternitati Tuæ peramanter benedicimus. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, Die vigeſima nona Julii, milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quarto Annô, Pontificatûs Noſtri undecimo. Franciſcus Herrera. A tergo verò ejusdem Brevis: *Venerabili Fratri Joanni Archiepiſcopo Gneſnenſi.*

Tandem idem Joannes Wężyk agitationi cauſæ Arrianis intentatæ, ob contumeliosè tractatam Imaginem Chriſti Crucifixi, licèt jam morbis familiaribûs tenebatur, adfuit, ubi Decretô Procerum, Schola Racovienſis & illius Typographia abolita eſt, ac blaſphemæ in Filium Dei ſectæ promulgatio, edictô Comitiorum Regni coërcita. Ingraveſcentibûs præter chiragræ & podagræ doloribûs, cum ſibi reſolutionem imminere cognoviſſet, ad componendum in æternam quietem animum, cogitationes adjecit, accitisque Societatis JESU Patribûs è Ravenſi Collegio, illorum conſiliis & monitis, diſponendum ſe commiſit, quorum operâ, Sacramentis omnibûs ritè munitus, vitam cum morte commutavit, magna fiduciâ in Deum, in fidei Catholicæ conſtantia, & in Deiparam cultu & Veneratione, cum inſigni adſtantium ædificatione, quorum præcipuos, veniam offenſarum petens, deprecatus eſt, & Supremum vale amicis & Civibus Lovicienſibus, qui ex Magiſtratu aderant, agonem ſpectantes apertis januis dixit. Sepultus in Eccleſia Collegiata Lovicienſi, ubi in Capella, in qua Corpus Ejus requieſcit, odor ſvaviſſimus ſentitur, quem non absque magno animi ſui ſolatio,

plurimi

plurimi senserunt, Deumque mirabilem in servis suis, collaudârunt. Ad passionem Christi mire devotus fuisse narratur, ex qua factum ut in antiquis ejus Imaginibus, ante oculos ejus, vel Crucifixi Imago, vel depositio Christi de Cruce ad Sepulchrum versatur, & ardor ejus, ad Christum passum depingitur ac exprimitur. Dicitur ad centum millia florenorum, in pios usus, testamentô destinâsse, & multas Ecclesias, argentea suppellectili instruxisse; Princeps & pius & in Deum munificus.

Cum hoc itaque religiosissimo Viro, continuam Societatem duxit Mathias Noster, nam præter hoc, quòd ambo oræ *Siradiensis* essent, unaque in terra orti & in pietate educati, verùm tum in scholis tum apud Mathiam Pstrokoński, Episcopum pro tunc Premisliensem, tum apud Joannem Tarnovium, protunc Vice Cancellarium Regni, virum sua ætate, paucis Heroibus comparandum, ambo pietate ac virtutibus imbuti; Joannes enim Wężyk, statim Italiâ rediens, opes doctrinæ in exteris nationibus quæsitas in ornamentum Patriæ prompturus, ad Tarnovium se contulit; Mathias pariter apud Eundem Tarnovium, à Pstrokonio recommendatus, obsequiis Ecclesiasticis & Reipublicæ dans operam, morabatur.

Non satis erat Mathiæ Nostro, unius Religiosissimi Viri, conspectu frui, moresquè tum vitam gloriose actam imitari, verùm & cum altero, similis per omnia pietatis Viro, Jacobo Zadzik, qui postea Episcopus Cracoviensis fuit, Societatem tenuit. Porro quantæ & qualis Sanctitatis, Jacobus Zadzik fuerit, ex eo intellige, quòd Ejus Mater gravida, sibi visa fuerit in somnio, peperisse solem, quo somnio significabatur; quòd nasciturus infans, splendore sanctitatis ac doctrinæ, Orbem Polonum illustraret; Veritatem exitus comprobavit: Nam in statu Episcopali & Senatorio collocatus, Ecclesiam *Sancti* Michaelis, in Arce Cracoviensi sitam, non exiguo sumptu restauravit; pro Canonizatione procuranda & Capella adornanda Beati Joannis Cantii, triginta millia florenorum, enumeravit; Capellam pariter Sancti Joannis Baptistæ, penes Cathedram Cracoviensem, ultimo testamentô, tum postes ad utrasque Valvas, ejusdem Cathedræ, marmore investiri mandavit; organa nova, in Ecclesia Ordinis Nostri Miechoviæ, ex intimo erga Ordinem Nostrum affectu, comparavit, eandem Ecclesiam Nostram, pretioso apparatu ditavit; Pænitentiarium in Cathedra Cracoviensi fundavit, & annuo proventu dotavit; pro Hospitali in Urbe, ad Ecclesiam Polonam Sancti Stanislai, duo millia aureorum Hungaricalium expendit; Ecclesiam in Druzbino, suâ in Patria, à fundamentis erexit, & Clerum penes eandem numerosiorem constituit; Capitulo Cathedræ Chelmensis, Canonicum Doctoralem adjunxit; Presbyteris quotidie celebraturis, in eadem Cathedra, villam donavit; Ecclesiam pariter & Monasterium, sub Titulo Sancti Josephi, Cra-

Iii coviæ,

coviæ fundavit, & ad eandem Deo dicatas Virgines, ſub Regula Sancti Franciſci, introduxit. Præſul in propaganda fide Catholica, in exſtirpanda hæreſi, Zeloſiſſimus, gymnaſia Arrianorum Racoviæ, demoliri; Eccleſiam ibidem Catholicam, plantari, Clerò impleri, iisdemque provideri, curavit. Ut autem hæreticorum Anteſignani Prædicautii, faciliùs converterentur ad fidem Catholicam, de ſuis hæreditariis bonis, centum millia florenorum inſcripſit, pro Neoconverſis ad fidem Catholicam Prœdicautiis, convertenda. Vilnenſes Calviniſtas, de Civitate proſcribi, Regiò decretò curavit; Thorunii, fidem Catholicam ampliavit; in pauperes egenos, ac miſerabiles perſonas, incomparabilis charitatis ac munificentiæ fuit. Monaſteria mendicantium, Hoſpitalia pauperum, ditavit & dotavit; in Ordines Regularium, plurimùm affectus fuit, & præcipuè Ordinem Noſtrum ſummè dilexit eumque etiam tunc, dum jam Epiſcopus Cracovienſis & Dux Severiæ factus fuiſſet, ſuum appellare non dedignabatur. Famem ſubditorum, diſtributis inter eoſdem, plus quàm viginti millibûs, varii generis frumentorum coretis, ſublevavit, & inſuper moriens, iisdem omnia debita donavit. In Academia Cracovienſi, in triginta egentiores ſtudioſos, ſcientiis & pietate educandos fundationem auxit. Pauperum Nobilium Filiis, ob profectum in ſcientiis & polituram ingenii, ad exteras nationes, ſumptum prompta ſuppeditabat manu. Juſtitiæ fuerat Amantiſſimus Præſul, quare nec aurò corruptus, nec reſpectu flexibilis, ipſe per ſe cognoſcebat cauſas: à quibus cognoſcendis, nec morbi vì, nec negotiis urgentiſſimis, ſe avelli patiebatur. In morbo & in adverſis caſibus patientiſſimus; inimicorum ſuorum amantiſſimus; in Eccleſias & egentiorem Clerum pro quibus ultimo teſtamentò, plusquam centum millia florenorum, pro monte autem pietatis, centum quinquaginta millia legaverat, Præſul munificentiſſimus.

Cum hoc pariter Præſule religioſiſſimo Jacobo Zadzik, à juventute ſtatim, Mathias Noſter Sanctam familiaritatem contraxit, cum illo à juventute crevit, cum illo in ſcholis, cum illo in uno contubernio, cum illo ſub diſciplina Pſtrokonii adolevit, cum illo meritis ac dignitatibus in Eccleſia & Patria maturuit; Mathias Jacobi Zadzik, in vita Comes, in morte teſtamenti & ultimæ voluntatis Executor, poſt mortem civis in Patria.

Poſtquam verò juveniles Mathias Noſter peregiſſet annos, ad Laurentium Gembicki, eximiæ pietatis virum, ſe contulit, ut ubi ulteriorem ſuam ætatem, in majori perfectione excoleret, & ad majora pro Deo & Eccleſia facinora, exemplò ejus inflammaret; & inflammari debuerat ab eo: cùm tam denſos, Laurentius Gembicki, Sanctitatis ſpargeret radios, ut viſione Beatiſſimæ Virginis Mariæ, in ſumma pro Patria anxietate exiſtens, donatus eſſet. Cùm enim Annô

Domini

Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo, Stanislaus Zolkievius Exercituum Generalis Dux, militari gloria celeberrimus, in Moldavia ad flumen Cecora, castra metatus, infelici eventu, cum Turcis Tartarisque dimicaret, ubi vitam simul & Exercitum amisit, induit tunc luctum universa Polonia; Victoriâ verò elatus Osmannus, Turcarum Imperator, cum Tartarorum Duce, maximas conjunxit copias, annô sequenti, & extremam perniciem, meditabatur Poloniæ. Præmisit in Moldaviam, cum stipendiario milite, Vladislaum Filium, Sigismundus Rex, ipse cum universô Nobilitatis robore, ad tuendos fines subsecuturus, Vladislaus itaque Princeps, ad Chocimum Turcicæ ditionis, castra metatus, exiguam manum, innumerabilibus copiis, ex Asia, Europa, Syria collectis, fortiter opposuit, hostem sæpius aggrediendo, felici successu. Interim Laurentius Gembicki, Vicerex & Gubernator, Archiepiscopus protunc Gnesnensis, commendatam à Rege Patriæ sollicitudinem, gerit anxius, & ad omnem è castris volantem famam intentus, supplicationes per universam Poloniam indicit, quas Sacerdotes cum populo, tantò ferventiùs cum profusione lachrymarum obierant, quantò ferventiùs increbrescebat, Turcam etiam ex remotissimis Arabiæ & Ægypti Regnis, trecenta millia Exercitûs in excidium Nationis Polonæ adduxisse. Non semel uberes lachrymas excivêre Nuntii, pio Archiprœsuli, parvam nostrorum manum, posse facilè à tanta multitudine opprimi cogitanti, & ad Matrem misericordiœ, Virginem Deiparam, ut afflictis rebus Polonorum succurreret, preces ingeminanti. Dum itaque confectus mœrore, futura Patriœ busta deploraret, accidit ut die quadam, ab angoribus abductum animum, ad ferventer implorandam opem, Virginis Mariœ converteret, & post conjunctas lachrymis preces, in Sacello Squiernievicensi, nocte intempesta, à suo cubiculo, quieti se daturus prospiceret, ecce insperatè videt Virginem Deiparam, lunœ decrescentis cornibus insistentem, & se compellantem his verbis audit: *Bono sis animo Laurenti, curæ mihi est, devota nomini meo Polonia, Filius meus, ea quæ metuis, amoliturus est à vobis mala, ne tuo eveniant sæculô.* Hoc visum intimis, amicis communicavit, & Imaginem sibi Deiparœ reprœsentatœ, quantocyus depingi fecit, quam in Sacello Palatii Squiernievicensis collocavit. Exinde Gembicius, lœtiorem prœstolabatur eventum belli, & non frustra; nam non multò post diversum à priore Nuntium audit, Turcam ad conditiones pacis, non iniquas Nostris descendisse, atque campo Exercitum submovisse. Prœter hanc Divinœ Matris apparitionem, aliis signis Sanctitatem Laurentii monstravit Deus, dum eundem Spiritu Prophetiœ ornavit; consecraturus enim in Episcopum, Joannem Wężyk, eidem Archiepiscopatum Gnesnensem prœdixit, tertium post se Archiepiscopum nominavit, & re ipsa probavit. Nam post Lau-

rentium Gembicki, successit Henricus Firley, post Henricum Firley Joannes Wężyk, Archiepiscopatum gloriosissimè gubernavit.

Ad hunc itaque Virum pientissimum, visione Sanctissimœ Deiparœ, tum Spiritu Prophetiœ Celeberrimum, dum esset Vladislaviensis, Episcopus, se contulit Mathias Noster, unâ cum Fratre suo Stanislao, Jacobo Zadzik supra à me laudato, memor admonitionis sibi datæ à Pstrokonio, Episcopo protunc Premisliensi, suo Avunculo, qui inter alias salutares, de Mathia Nostro & Stanislao Fratribus dispositiones, illos monuit his verbis: *Me vitâ functo, vobis sub tutelæ præsidio, Laurentii Gembicki, vivendum erit.* Quos Vir religiosissimus, in familiaritatem adscivit, ubi Mathias, unâ cum eximiæ virtutis Sodalibus, ejus consvetudine fruebatur, ejus colloquio, exemplo, virtute, Divinæ dilectionis calore, inardescebat.

Præter hos supra recensitos Venerabiles Viros, floruit illa ætate, in Urbe Regni Metropoli Cracoviæ, Thomas Oborski, Episcopus Laodicensis, Suffraganeus Cracoviensis, qui præter excellentem erga Christum & Deiparam pietatem, effusam erga pauperes munificentiam, eorumdemque etiam in humilibus casis visitationem, sui ipsius abjectionem, honorum & dignitatum contemptum, admirabilem in adversis patientiam, hæresum extirpationem, injuriatorum defensionem, corporis sui cilició, displicinis, urticis, aliisque exquisitissimis artibûs, martyrium & mortificationem, ad loca sacra continuam, ad Urbem verò Romam, duabus vicibûs, longam & pedester factam peregrinationem, in nudo scamno aut in terra, totis noctibûs quietem, in ordinando Clero, consecratione Ecclesiarum & Altarium, Diœcesis cum magno fructu animarum visitatione, Sacramentorum administratione, etiam in senecta ætate, continuum & indefessum laborem, zelum Apostolicum salutis animarum, corporum etiam peste infectorum sepulturam, prærer hæc inquam tanta & talia virtutum exercitia, hic Vir religiosissimus Thomas Oborski, etiam opinione Sanctitatis, in vita & post mortem clarissimus, miraculorum gloriâ celeberrimus, aliquot mortuorum suscitator mirificus, apparitione Virginis Deiparæ, donis extraordinariis divinis, gratia curationum, sublevatione in aerem corporis sui, tempore orationis gloriosissimus fuit. O Bone DEUS, quanti hoc sæculo fuerunt Sancti in Polonia? o sœculum! ubi te nunc quœram? o tempora aurô cedrôque, in œternitate notanda! ubi vos nunc inveniam?

Dum autem prœdictos radios Sanctitatis suœ, Cracoviœ & in tota Diœcesi Ctacoviensi, prœdictus vir Sanctissimus spargeret, manebat tunc Miechoviœ, in sede Ordinis sui, quatuor milliaribus à Cracovia distante, Mathias Noster. Igitur sœpe Thomam adibat, sœpe illum visitabat Cracoviœ, frequenter Ipsius

vultu

vultu, colloquio, familiaritate fruebatur. Vicissim Thomas, qui summus Amator Ordinis Nostri erat, libenter properabat Miechoviam, ibidem tum pro actu Professionis Mathiæ, tum pro festis solennioribus Ordinis invitatus, sæpè apud Mathiam hospes & Civis. Ille, Mathiam Miechoviæ, in Præpositum Ordinis Nostri Generalem, more Abbatum benedixit; Ille, in Episcopum consecravit; Vicissim Mathias, laborum Thomæ in Diæcesi Cracoviensi Adjutor, curarum socius, operis ac solicitudinis Episcopalis, minister. Laboravit in Diœcesi Cracoviensi Thomas, ordinando Clerum, consecrando Ecclesias & Altaria, ferebat opem in hac ipsa Diœcesi, Thomæ, dum esset Præpositus Generalis, & simul Episcopus Chełmensis Mathias, acceptâ licentiâ apud Martinum Szyszkowski, Episcopum Cracoviensem, ex sua in Deum pietate, & communi Ecclesiarum Diæcesis Cracoviensis utilitate, munia Episcopalia exercebat, & partem operis ac solicitudinis Thomæ, exequebatur.

Florebant tunc, dum Noster Mathias, Ordinem Canonicorum Sancti Sepulchri regeret, in eodem Ordine, plurimi Viri, insigni pietate & morum Sanctimonia eximii, quis enim sub religiosissimo Duce, non pius, non Sanctus esset? Nempe Tiburtius Jaśkiowski, ex familia, quæ Radvanorum stemmate utitur, ortus. Samuel Nakielski & alii. Quorum primus, cùm in Præpositum Conventûs Prevorscensis, post mortem Sigismundi Winiarski, piæ vitæ meritis, optimi, consummatissimique Sacerdotis, suffectus esset, ibidem, miros progresus in Spiritualibus faciebat, & præcipuam in Ministeriis & officiis Divinis obeundis, Sacramentisquè administrandis, sedulitatem adhibebat. Hæc Tiburtii pietas & animarum Zelus, ita grata fuit Joanni Kostka de Stangemberk, Palatino Sandomiriensi, Terrarum Prussiæ Thesaurario, & Sophiæ de Sprowa, Bonorum Jarosław, Zynkow, Szatanow, Kańczuga, Sendziszow, Przeworsko ac aliorum ad id pertinentium, Dominis & Hæredibus, ut Ordini Nostro summè addicti essent, & Ecclesiam Parochialem in villa Gniewczyna, non longè à civitate Przevorscensi distante, Ordinis Nostri curæ, subjecissent. Ad quam cum munere Parochi, de Ordine Nostro Canonicum, idem ipse Tiburtius, Præpositus Przevorscensis, habita super hoc commissione à Loci Ordinario, instituit, & in possessionem realem introduxit. Neque soli Ecclesiæ & Conventui Przevorscensi, Tiburtius Noster prodesse voluit, verùm totius Ordinis integritatem, & amplitudinem promovit, dum Simonem Ługowski, Præpositum Miechoviensem rogavit, monuit & solicitavit, habita ad id ex Capitulo Miechoviensi facultate, etiam ad illos Superiores, ad quos fuit de jure eundem deferendi, quatenus ex parte fabricæ, Ecclesiæ & Conventûs Miechoviensis, intra spatium unius anni, satisfaceret, & Ecclesiam Miechoviensem, Matricem Ordinis Nostri, simulque Conventum

protunc reparatione indigentem, ſublevaret. Quia verò idem ipſe Conventus Miechovienſis, ac univerſus Ordo Noſter, illo ipſo tempore, in Juribus, ex parte liberæ electionis Præpoſitorum Generalium, non modicum damnum pateretur, & videns Miechovienſe Capitulum, præcipuum zelum, in tutandis Juribus Noſtri Tiburtii, eundem elegit, ad rogandum, monendum & ſolicitandum *S*imonem Ługowſki, Præpoſitum Miechovienſem, ut ille daret omnem operam, pro expedienda confirmatione literarum, liberæ electionis, apud Regiam Majeſtatem. Tiburtius autem, ſimul cum Simone Ługowſki, ad Comitia tunc Generalia Regni, ad Regiam Majeſtatem proficiſcebatur, liberæ electionis negotium tractaturus.

Poſtquam verò poſt Joannem Michnicium, Præpoſitura & Conventus Sancti Joannis, extra mænia Civitatis Gneſnenſis ſitus, vacaſſet, ad eandem *P*ræpoſituram, Tiburtius noſter, quod à teneris annis, quibus Ordinem Noſtrum profeſſus, vitæ puritatem & inſtituta vetera, perpetuò & illibatè coluiſſet, omnium virtutum claritate, per omnem ætatem, Canonicis Noſtris præluxiſſet, ſucceſſit. In qua omnibus omnia factus fuit, in vindicandis juribus ſuæ Eccleſiæ & Conventûs, vindex acerrimus; in limitum deductione villarum Conventus & Eccleſiæ, ſtudioſiſſimus; in promovendo cultu Divino, diligentiſſimus. Hinc ne tantæ virtutes, absque corona incederent, à Capitulo Miechovienſi, primò Ordinis Cuſtos, ac tandem Provincialis per Majorem Poloniam factus, officium hoc dexterrimè, & juxta innatam ſibi prudentiam, Eccleſias Ordinis ſui, in Majori Polonia ſitas, viſitando, Capitula Provinciæ Gneſnam convocando, iiſdem præſidendo, & quæ corrigenda erant reformando, adminiſtravit, & omnia quæ boni ſuperioris ſunt, obivit & adimplevit. Has virtutes & merita à Tiburtio noſtro præmiſſa, magni in Polonia Viri æſtimabant. Hanc diligentiam, prudentiam, vitæ integritatem, virtutum tam in ſe quàm in Canonicis Noſtris plantationem, animi in Divinum cultum ardorem, Andreas Cardinalis Bathoreus, Sereniſſimi Stephani, Poloniarum Regis, ex Fratre Nepos, in pretio habebat, ad Noſtrum Tiburtium, tum ſæpiſſimè, etiam ex Urbe literas dando, tum ipſius vultum, conſortium, in quibusvis difficilioribus & arduis negotiis, conſilium exoptando.

Cùm autem ſic in virtute proficeret, meritis matureſceret, annis ſeneſceret, Deus ſervi ſui petitionem, fatalis idque ingentis incendii tempore, pro ſua Eccleſia Gneſnenſi factam, dignatus eſt exaudire, & donô Prophetiæ illuſtrare; cum enim Annô Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo tertio, Die Sabbathi, vigeſima quarta Aprilis, Civitas Regalis Gneſnenſis tota, cum omnibus ex omni parte ſuburbiis, Eccleſiis, funeſto igne arderet, igne per omnia ædificia graſſante, & Eccleſiam Noſtram Sancti Joannis, ſimulque Conventum, undequaque ingen

ti flamma circumdante, Tiburtius Jaskłowski, Præpositus dicti Conventûs, ob imminens periculum, à Canonicis Nostris, domò decedere jussus, in egressu ipso, ad genua procubuit, gemensquè dixit: *Commendo Domine in manus tuas, Ecclesiam hanc cum tota Domo, si tamen justè alios corripis, fac & mecum, juxta beneplacitum voluntatis tuæ, nec enim reliquis melior sum.* Exaudivit Deus petitionem servi sui, & cum tota Civitas Regalis Gnesnensis, cum omnibus undequaque suburbiis, Ecclesiis, etiam ipsa Metropolitana Gnesnensi igne absumpta esset, nostra tantùm Ecclesia, Sancti Joannis, illæsa ab igne remansit, & tum Tiburtii oratione, ut piè credebatur, liberata fuit, tum Patrocinio Sancti Floriani Martyris, Regni Poloniæ & hujus Ecclesiæ, ab igne & in aliis necessitatibus principalissimi Patroni, Cujus in festo, erectio hujus Ecclesiæ,& ejusdem à pientissimis Fundatoribus, Nostro Ordini & Sanctissimo Sepulchro Christi, ob ardentissimam eorundem Fundatorum, ad idem Sanctissimum Sepulchrum devotionem, incorporatio facta est. Finito autem incendiò, crebrò Tiburtius, Canonicis Nostris dicebat, & sibi ipsi Propheta erat. *Mementote Fratres, quia Dominus, faciet nos in brevi, participes hujus Calamitatis, expedit namque hoc nobis.* Post aliquot dies, tristis nuntius affertur, prædium Zdiechoviense, ad Ecclesiam nostram Sancti Joannis spectans, cum Hollodiis & frugibus triennalibus, cum caulis pecudum & ipsis pecudibus, cum omnibus pene ædificiis, igne corruisse, incendiò è proxima domo, ubi crematum, à quodam transmigrato Incola Gnesnensi conficiebatur, exortò, parumque abfuit, quin tota villa Zdiechowa, ex tam valido incendio conflagraretur. Patientissimè hæc pius Senex tulit, illudque cum Jobo, profunda mente dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit Nomen Domini benedictum.*

His virtutibûs, donis à Deo & gratiis ornatus, cum Præposituram & Conventum Sancti Joannis, Sanctè & piè, annis quadraginta quatuor rexisset, multaque bona in vindicandis juribus, eidem loco fecisset, fundatis in Ecclesia Metropolitana Gnesnensi, cum consensu Præpositi Generalis, pro anima sua anniversariis, imminentem mortem, imperterritus expectabat, quare Sacrosanctò salutis Nostræ Viaticò, & reliquis Ecclesiæ Sacramentis, devotissimè susceptis, ut in tota vita, omni modestia mansvetissimus, ita & in mortis pugna, summa cum tranquillitate decessit, religiosissimeque, Deo Spiritum reddidit, & ex hac terrena vita, jam jam centenarius, in illam cœlestem transmigravit, Annô Domini millesimo sexcentesimo vigesimo octavo. Die vigesima septima Decembris, Divo Joanni Apostolo & Evangelistæ Sacra. De eo in manuscripto antiquo, Ecclesiæ Sancti Joannis, in Cathalogo Præpositorum Sancti Joannis, leguntur sequentia: *Vigesimus primus Præpositus, Tiburtius Joskłowski, Vir nobilis*

de armis Radvan, sed nobilior virtute & pietate. Obiit Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo octavo; regiminis sui Annô quadragesimo quarto; cujus ossa dicuntur spirare svavem odorem, jacet ante Altare Beatæ Mariæ Virginis, à parte leva, sub strato viridi, in Ecclesia Sancti Joannis.

Cum hoc ita perfectissimo, & eximiis virtutibûs ornato viro, Mathias dum Ordinem Nostrum regeret, familiarissimè vixit, sæpè ad illum Gnesnam literas dando, consilia & sensum, in conscribendis constitutionibus Ordinis, exoptando, eundem pro Congregationibus, Capitulis, Miechoviam convocando, & aliquando ad eum Gnesnam, licèt ultra quadraginta milliaribus à Miechovia distantem, adveniendo, ibidemque cum eo circa statum Præpositura, & Conventûs Sancti Joannis, consultando, ex quo factum, ut ambo pro fide Catholica zelosissimi, Privilegia Oppido, nunc Grzybowo antea Villa Sancti Sepulchri dicto, ad Conventum & Præposituram Sancti Joannis Gnesnensem spectanti, conscribentes, ante alias conditiones, hanc primam, ut nullus Hæreticus, in hac villa Sancti Sepulchri, seu ut nunc Oppidum Grzybowo dicitur, ullam aliquando mansionem, & quod magis Incolatum habeat, exararunt, prohibuerunt & cum hac conditione primaria, ambo privilegium Oppidanis subscripserunt.

Alter paris virtutis & instituti Vir, Ordinis Nostri Canonicus, conversatione Mathiæ Nostri clarissimus, erat Samuel Nakielski, qui natale solum, Oppidum Lelow, in Palatinatu Cracoviensi, & Parentes Catholicos, pios, Nobiles de armis Sreniawa habuit. Cujus Parentes, & si Incolatum suum transtulissent ad hoc municipium, ita tamen commendabiles, generositate morum ac vitæ probitate erant, ut nihil ignobile, vulgare ac plebejum, moribus affixerint, nihil de statu nobilitatis, hac sua commigratione, derogatum sibi fuisse, palam omnibus ostenderint; Verùm quemadmodum videmus, quòd ludat in humanis, Divina Potentia rebus, cujus est Supremum Imperium, Ille transfert Principatus & Regna, fortunas & Honores, de una, in aliam Domum, Reges detrudit in ergastula, servos evehit ad Regna; idem accidit Samuelis Nostri Parentibus, à Domino factum est illud. Nec tamen paupertas, obfuscavit illorum Nobilitatem, nec Nobilitas, abominabilem reddidit ipsis paupertatem. Verùm æquô animô, tolerabant fortunæ vicissitudinem, conformantes se, tum Capiti suo pauperrimo Christo, qui cum esset dives, ex Regia Davidica Domo, voluntariè voluit fieri pauper, tum proximo in charitate, de laboribus manuum suarum, tribuendo Eleemosynam. Ex his itaque Parentibus, natus est Noster Samuel, Annô Domini, millesimo quingentesimo octogesimo sexto, infra octavas Corporis Christi, ac ibidem sacro fonte lavatus. A teneris Annis, enituit in

illo

Illo ardor devotionis, erga hoc Divinissimum Eucharistiæ Sacramentum, in profundissima adoratione, in frequentissimo usu, in enarrandis ejus magnaliis, in describendis Summorum Pontificum indultis, ut scripta ejus testantur, quibûs frequentissimè legentes accendit ad devotionem, ad cultum, ad usum Ejusdem Sanctissimi Sacramenti.

Prima rudimenta Nostri Samuelis, pietatis ac doctrinæ, fuêre Domi, illam cum Matris lacte suxisse, hanc cum natura, ab Inclinatione & sangvine Patris, hausisse jure videtur, nam Pater ipsius, excultus Literis ingenuis, & Mater, devotione erga Beatissimam, præstantissima fuisse traduntur. Post hæc domestica à Patre tradita literarum Tyrocinia, altiora deposuit in schola Leloviensi, ac tandem Annô millesimo quingentesimo nonagesimo nono, à piissimis parentibus, ablegatus fuit Cracoviam, studiorum causâ, Urbem literarum, ac Literatorum Altricem. Traditus fuit curæ & fidei, Præceptoris sui, doctissimi Viri, Joannis Kłobucki, Collegæ minoris, Eloquentiæ Professoris, quo Magistro, gravioris literaturæ fundamenta gecit. Quidquid acquisiverit profectûs in scientiis, quidquid culturæ ingenii, id totum, soli ipsi post Deum debere Magistro, in scriptis suis fatetur. Cujus etiam dulcem memoriam ponit in iisdem, vovendo eidem: ut non sua solum tenui commemoratione, sed eloquentissimorum Virorum monumentis, uti dignus, ad immortalem memoriam, transmitteretur. Primam lauream Philosophiæ, promeruit sub Martino Płocensi, Decano Aristotelicæ facultatis, Annô Domini, millesimo sexcentesimo secundo, prô quartuali Sanctæ Crucis, Examinatoribus Joanne Godecio & Joanne Kłobucensi. Clarissimorum Virorum & doctissimorum floruit consvetudine & usu, nempe Jacobi Vitelii, Martini Vadovii, Petri Gorczynii, Jacobi Naymann, cæterorumque Virorum Illustrium, quorum etsi per Dei gratiam semper, tunc temporis Academia Cracoviensis, cultissimorum ingeniorum fuit feracissima, illorum operâ ac magisteriô, prout fuerat capacissimi & per omnia prompti ingenii, in Theologia ac Jurisprudentia profecit.

Par cum doctrina fuit pietas in Samuele, nihil vile, nihil leve, in moribus, à teneris annis ostendit, nam & in specie ejus, semper apparebat majestuosum & magnanimum aliquid, & in ætate adhuc juvenili, quæ proclives facit ad vitia, duarum virtutum præsidio, sobrietatis & temperantiæ, corruptelam adolescentiæ evitavit, & lubricæ vitæ scopulos elusit. Vitavit etiam societatem perditorum hominum, & proborum ac piorum exempla secutus, quæ laude digna in aliis notavit, in se ipsô exprimere assiduè studuit. Assiduus fuit in visitatione locorum sacrorum, præcipuè Beatissimæ Virginis Mariæ in arenis Cracoviæ, quam mirificè coluit, ergâ quam incredibilem devotionem habuit, Illius opem quotidie implorando, Illius patrocinio

ſe commendando, quo à periculis variis, (ut piè ille ipſe, in ſuis ſcriptis aſſerit,) meruit liberari. Noſocomia pauperum libentiſſimè adiit, & ibidem pauperes, pro modulo facultatum ſuarum, blandè conſolari, verbô & exemplô charitatis ſolitus fuit. His igitur inſtructus virtutibûs, doctrinâ, & laureis etiam Magiſterii Philoſophiæ ac Baccalaurei Theologiæ, in Univerſitate Cracovienſi exornatus, terrenarum rerum vanitatem deſpicere, ac æterna cogitare cæpit. In ſæculo laudabiliter vitâ transactâ, cum plauſu & recommendatione dignorum Virorum, probatæ etiam virtutis ſuœ, teſtimoniô ſufficientiſſimo monſtrato, Ordo Noſter Miechoviæ, adoleſcentem ad Sacrum ſtatum aſpirantem, ipſo die Exaltationis Sanctæ Crucis, Annô Domini, milleſimo ſexcenteſimo undecimo, excepit; eo die ipſo, quo Reverendiſſimus Simon Thurſki, Præpoſitus Noſter Generalis Profeſſus, animam agebat extremam. Bono omine utique, qui erat purpuream noſtram Crucem, exornaturus, facturus & dicturus ea, quæ fecit & dixit Apoſtolus: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſioni Chriſti in membris meis*, ac in ſe vivam animam, Inſignis Viri illius, cum rectefactis expreſſurus, nempe Smonis Thurſki, quod brevì factoipſo probavit. Nam ſucceſſor ipſius, in Præpoſituram Conventûs Cracovienſis, Sanctæ Hedvigis, datus, æquali ſtudio, exornavit Eccleſiam, planè ad æmulationem, Sacra ſupellectili Eccleſiaſtica, vindicatione Jurium, reſtauratione ædificiorum, laboribus, meritis, vigilia par, niſi honoribus ipſum exceſſiſſet & titulis. Nam Cuſtos Theſauri Regni, Præpoſitus Generalis & Infulatus Miechovienſis ille, quamquam & hic ſumma moderatione animi, contemptu honorum, & ſui ipſius, exceſſit omnes titulos, & maximis ipſis titulis eminuit major. Virtutis, doctrinæ, pari ſuffragio fultus, dignus viſus eſt honoribûs etiam maximis. Poſt funus igitur curatum, Reverendiſſimi Simonis Thurſki, ad annualem probationem, per Cuſtodem Conventûs, tunc temporis Stanislaum Zaleſki, ſuſceptus eſt. Adſcriptus Cameræ Noviciorum, ex nunc veteranis præivit, contemplatione cæleſtium, perfectione virtutum, ac exacta impletione officiorum. Nam cùm ſecundùm ordinem, munus ſeptimanæ illi obtigiſſet, ultimus ivit dormitum, primus ſurrexit, nec debuit excitari ut excitaret alios, pauciſſimo enim ſomnô, idque vigilantiſſimo utebatur, quod eſt magnum cogitantium mentium, & ſapientum virorum, naturæ Privilegium. Et quamvis primus, etiam extra ordinem ſeptimanæ, ad chorum ivit, in oratione tamen perſeverantiſſimus & ultimus, intenſa & elevatiſſima mente, ſemper ferebatur in Deum. Non abripiebatur à Divinis, vano & inutili cogitatu, impatientiâ, tædiô, non diſtrahebatur ſomnô, pulvinaribûs, obvio ſæpè uſus ſcamnô vel ſaxô, ad ſomnum capiendum. Hæc Samuel Novitius, ſimilia cum aliis officia, ſed diſſimilem rationem officiorum geſſit. In curri-

Curritorio, non gestus illi fractior, non gressus dissolutior erat, nec sæcularisabat, agitatione manuum, aut motu Capitis, aut oculorum, nunc hanc, nunc in illam partem, aut Corporis totius fractione & rotatione. Incessu lentus, modestus, rectus corpore & oculis, arguebatur compositæ mentis, in id unum intendens, quod totum erat Spirituale, nihil de sæculo habens admixtum.

Postquam verò Annus Domini, millesimus sexcentesimus duodecimus venisset, & noster Nakielscius, annum probationis, ex præscripto sacrorum Canonum exegisset; Professionem in manibus *S*tanislai Zaleski, Viri præstantis animi, rebusque agendis maximè idonei, pro tunc Custodis Miechoviensis, in festo Immaculatæ Conceptionis, Dei Genitricis Mariæ, singularis suæ Patronæ fecit. Posteà cùm esset doctrinis benè instructus, ad Conventum Nostrum Gnesnensem, cum obedientia missus, ibidem sub illo magno, & eximia pietate ac Sanctitate Illustri Viro, Tiburtio Jaskłowski, loci Præposito, Sacris Ordinibûs, usque ad Presbyteratûs gradum initiatus, ac tandem in Conventum Miechoviensem, ad ferias Divi Joannis Baptistæ, Annô Domini, millésimo sexcentesimo decimo tertio, remissus fuit. Neque hìc latere potuit, tanti Viri, conjuncta pietati eruditio, verùm ut supra candelabrum luceat, ad Conventum Przevorscensem in Russiam, cum munere Concionatoris ablegatus, mirum in modum ibidem, in populô vitia exstirpabat, corda ad amorem divinum accendebat, reliquôs in bonis operibus, exemplô & verbis confirmabat. Ne verò in uno loco, virtus Samuelis Nostri eximia, clauderetur, altiori non tam honore, quàm onere cumulatus, & ad regimen Custodiæ Miechoviensis admotus, ac successivè, Provincialis, Visitator aliquoties Ecclesiarum sui Ordinis, tum Administrator Præpositūræ Generalis, vacante illa factus, ubivis laudabiliter, strenuè, ac cum magno Ordinis sui profectu, officium suum implevit.

Cùm officium Custodiæ Miechoviensis gereret, Annô Domini, millesimo sexcentesimo decimô sextô, Albertus Kołzkowski, Vir moribûs & annis maturus, in Præpositura *S*anctæ Hedvigis Cracoviæ, in fata concessit, in ejus locum, Noster Samuel, tunc Custos Conventûs Miechoviensis, communibus suffragiis, Nostrum Canonicorum, exeunte Anno Domini, millesimo sexcentesimo decimo sexto, suffectus, ejusdem Prœposituræ jura, acerrimè multis in subselliis vindicavit; in unum volumen magnum, omnia ejus loci privilegia, inscriptiones, transactiones, magno labore collegit; Ecclesiam sacris vestibûs, picturis, altaribûs condecoravit, eadem altaria consecrari curavit, Conventum ipsum multis in locis, sumptui & expensis non parcendo, reformavit ac restauravit. Interim Annus Domini, millesimus sexcentesimus vigesimus quintus venit, quo sacrum Jubilœum celebrabatur Romæ, ad quod fructuosè consequendum, Noster Samuel, iter Romanum jam pridem ex voto

destinatum, cum Dei auxilio suscepit. Superatis itaque viæ difficultatibus, sub finem anni ejusdem, Urbem desideratam salutavit. Jam tunc ad finem, annus Jubilæi propendebat, cùm Samuel ex immensa misericordia Dei, deque Thesauro Ecclesiæ, plenariâ omnium peccatorum suorum veniâ perceptâ, tantisper Romæ immorari decreverat, donec porta Sancta clauderetur. Ceremoniis proinde, quæ circa conclusionem Anni Sancti, in Urbe solenni cum pompa peragi solent, jucundè admodum, non absque interno animi sui solatio conspectis, locisque sacris, hinc inde per Urbem celebrioribus, devotè lustratis, ac pia devotione cultis, in Patriam remeare decrevit.

Nactis proinde viæ Comitibus, ad diem vigesimam Januarii, Anni Domini, millesimi sexcentesimi vigesimi sexti, Urbi valedixit, & ob summam devotionem, qua erga Virginem Beatissimam ferebatur, pedestri itinere Loretum, inclytum toto Christianorum orbe locum, & per tot sæcula miraculis celeberrimum, quem & ego, qui hæc scribo indignissimus, cum peregrinatus fuissem, in negotiis Ordinis mei Romam, gratiam visitandi, & in Sancta Domo, Missæ Sacrificium celebrandi, in Anno Domini, millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, habui, accessit, ubi peractâ solennitate festi Purificationis, Beatæ Mariœ Virginis, & ibidem persolutis votis, Sanctissimœ Dei Genitrici Mariœ, pro immensis ab ea receptis beneficiis, rectò passu in Poloniam, in medio mensis Aprilis, pervenit. Nequè frustratus fuit, ope & beneficiis Mariœ, Samuel Noster, nam cùm Annô millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, atrox pestilentia, in Oppido Miechoviensi grassaretur, ac ipsam etiam Canonicam, ac Canonicos Nostros pervasisset, eo tempore Samuel Noster, hospes in Canonicam venit, neque enim quidquam, de illo periculo pertimescebat, nisi res evidenter patuisset. Dum igitur celeriter, Cracoviam reverti properat, quidam Noster Canonicus, pestis contagione (licèt hoc ipse verbis tegebat) infectus, rhedam ascendens, lateri Samuelis assedit, & sic langvidum, nón absq; evidenti vitæ suæ periculo, Cracoviam reduxit, qui scabiosis ulceribûs, toto corpore dimanans, tertia die, quæ fuit decima Augusti, præmissa Sacramentali Confessione coram Samuele, protinus cessit è vita. Cùm fæda igitur hœc, impendentis mortis facies, oculis Samuelis versaretur, omnem spem salutis suæ, in sola Divina clementia, & Patrocinio Beatissimæ Mariæ Virginis, reponit, nec inanis certè spes ejus ista fuit, nam in tanto vitæ suæ discrimine positus, ita sanus & sospes parmansit, ut cuncti, qui ejus periculi conscii erant, ingenti admiratione ac stupore defixi, extiterint. Iterum Annô proximè futuro, ex Russia Cracoviam rediens, grandi casu, ad pagum Pstroszyce, uno milliari à Miechovia distante, in profundam fossam, cum rheda & quadrigis, imprudentia vectoris elisus fuit, iterum patrocinio & ope, Virginis Be-

atissi-

atissimæ, ab evidenti mortis periculo servatus, utrumque hoc, singulare Dei, ejusque Sanctissimæ Matris, omni tempore, supplex agnoscebat & deprædicabat beneficium.

Dum autem Romæ moraretur, à quodam Canonico Nostro Romæ degente, ad assequendum supremum Theologicæ facultatis gradum, adductus, cum Dei adjutorio, disponere se primùm cœpit, proinde descendit in arenam, atque iis, quæ ad hunc actum ex vi statutorum pertinent, debitè completis, Doctorali tandem Laurea, in publico Romano Gymnasio, quod vulgus Sapientiam appellat, feriâ quinta, infra octavas Epiphaniarum, à Professoribus Supremæ facultatis Theologicæ, in consessu diversæ nationis, eruditissimorum hominum, insignitus ac decoratus fuit.

Eruditioni ac pietati, non postremam adhuc virtutem adjecit, nempe indefessum laborem, in illustrando & elucidando Sacro Ordine. Quare Officia primò Sanctorum *P*atronorum, in ordinem redegit, & eadem in Quarto, Cracoviæ typo impressit. Deinde ut ostenderet Orbi, antiquitatem sui Ordinis, præ cæteris ab Apostolis, præcipuè à Sancto Jacobo Apostolo Minore, primo Episcopo Hierosolymitano, promanâsse, omni studio incubuit, ut eam suis lucubrationibus, ex ruderibus ipsius oblivionis, quasi erutam, illustraret cumulatiùs, & librum pariter in Quarto, hac in materia, typo impressit. In cujus libri præfatione, Ordinem hunc, Canonicorum Sancti Sepulchri, usque ad finem mundi, vaticinatur peculiari Divina gratia conservari, motivô acceptô, ex vaticinio Divini Prophetæ dicentis, quòd erit Sepulchrum ejus gloriosum, & omni tempore, & perpetuò clarissimum. Tandem librum sub titulo Miechovia, seu Promptuarium, antiquitatum Monasterii Miechoviensis, in tres Classes divisum, ingenti labore, à Samuele Nostro conscriptum, nemo est, qui non laudet; omnia in prima & secunda classe, Præpositorum Miechoviensium, ubi agit de origine Sacri Ordinis, de Fundatoribus, Benefactoribus, præcipuè nobilissimæ Gryphorum Domûs, de Privilegiis, atque Prærogativis Ordinis, digna prælô fuisse & esse. Cætera, in tertia classe, non eadem pari coronanda judicii laude, non quia, quòd non fuerint laudabilia, limati ac maturi judicii, verùm laudabiliora fuissent, si aliqua publicam non aspexissent lucem, sed mansissent privata, propter ipsam solummodò, informationem posterorum. Et certè aliquando non expedit, ea, quæ sunt privatim acta in Ordine, ut in publicum prodeant. Sanctiores flamines in abditis, Religiosi, non nisi in occultis cellarum suarum venerabiles, imò Phæbi sunt. Cùm enim communi hominum nævo, adurantur etiam sacrata Deo pectora, quia homines sunt, exempla eorum lecta vel audita, frequentiùs corrumpunt animos, quàm corrigunt.

 rigunt.

rigunt. Antequam verò talia & tanta, amore ſacri Inſtituti conſcriberet, & in lucem ederet, multos libros, illosque prœſtantiſſimos coemit, de longinquo advexit, quibûs Bibliothecam Miechovienſem auxit, implevit. Multa prœterea legit, multa notavit, ut in Bibliotheca Miechovienſi ſatis magna, celebri & ampla, multis millibus librorum, tum & manuſcriptorum antiquiſſimorum plena, nullus exſtaret liber, quem ille non legerit, quem à principio ſive ad calcem, manu ſua non notaverit.

Cœterum qui intendebat ſplendorem Sacri Ordinis, promeruit ut ſimilem honorem, & ipſe reciperet ab Ordine, dicit ſapientia: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Utinam adhuc exurgat Propheta Domini, & excitet iterum conſopitam, ad ſimilia exempla domeſtica plebem: *Surge illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria ejus in te videbitur.* Ex his autem nobiliſſimis ſuis ſcriptis in lucem editis, tum ex extraordinaria in Deum, & Virginem Beatiſſimam pietate, facilè intelligi poteſt, quis, qualis, & quantus vir fuerit Noſter Samuel? quem magni Viri in vita œſtimârunt; quem Henricus Firley, Epiſcopus Luceorienſis, deinde Plocenſis, munificentia, liberalitate ac plurima amoris ſignificatione complectebatur; quem Achatius Grochowſki, Epiſcopus pariter Luceorienſis, arctioribus Charitatis ac Benevolentiæ vinculis, conſtrictum tenuit, resque Eccleſiæ ipſius, peculiari Patrocinio confovit. Quem ad extremum omnes Viri dicti, ſcientiâ ac fortunis ampliſſimi, amabant, æſtimabant, & aliquid divinum in eo adorabant.

His & aliis plurimis, in Ordine Sacro fractus laboribûs, cum finem vitæ ſuæ inſtare prævidiſſet, reſignata priùs Præpoſiturâ Cracovienſi Sanctæ Hedvigis, reliquum dierum ſuorum, in Conventu Generali Miechovienſi, in ſola diſpoſitione animæ ſuæ, & ſalutari præparatione ad mortem peregit. Quare à curis alienus, à ſtrepitu hominum ſolitarius, quotidie meditabatur mortem, & illam diem ſupremam, illud momentum à quo pendet æternitas, cum profluvio lachrymarum, timore infernorum, deſiderio cæleſtium, expectabat. Venit tandem Annus, milleſimus ſexcenteſimus quinquageſimus ſecundus, vitæ ejus ſexageſimus ſextus, cujus initio, præter ſolitum magis debilitari cœpit; hinc omnibus Sacramentis religioſiſſimè munitus, eadem die qua natus, nempe die ſabbathi, quæ erat duodecima Januarii, animam Creatori ſuo reddidit, & in Capella Sancti Joannis, nunc Sacrarum Reliquiarum, ſeu Sancti Jacobi Minoris dicta, honorificè tumulatus eſt.

Huic pariter Religioſiſſimo Viro, & erga Virginem Beatiſſimam, devotione celeberrimo, Mathias Noſter, dum Sacrum Ordinem gubernaret, familiaris vixit, ei quæque ſecretiora Ordinis pan-

pandebat, ei de integritate, conservatione, amplitudine Ordinis & quovis ejus decore, intentiones suas aperiebat. Nullus erat locus, in quo Samuel cum Mathia non adesset; nulla via, cujus non esset comes Samuel; nulla litera sive petitoria sive responsoria, quam Mathias Samueli non crederet, non aperiret. Samuel Mathiæ in Ordine Nostro instructor, Samuel Mathiæ os & Calamus; Ille responsa nomine Mathiæ dabat, ille in arduis consulebat, ille difficultates solvebat, ille præcipua & gloriosa facta Ordinis, gubernationem tangentia, nomine Mathiæ cum laude peragebat, & eidem referebat.

Cùm autem ad Supremum in Regno, Primi Principis & Primatis Regni, Mathias Noster evectus esset gradum, familiares suos, tantos & tales ad latus suum adscivit, qui exemplaritate & integritate vitæ, Sanctimonia morum, non modò Aulam ejus ornarent, non modò Sanctè & piè, cum Mathia conversarentur, verùm ne cujusdam aures sive oculos, etiam aliqua levi culpa offenderent. Talia fuerunt Regni, & Curiæ Primatialis Mathiæ decora, Andreas Trzebicki, Andreas Olszewski & alii; Quorum primus, prœter juveniles annos, in omni virtute & perfectione, in Cancellariatu Archiepiscopatûs, apud Mathiam Nostrum transactos, dum Episcopatu Premishensi, & Abbatia Czervenensi auctus fuisset, mirâ in eadem Abbatia, erga Imaginem Virginis Beatissimæ ibidem miraculosam, devotione exarsit. Cùm enim sibi ampliorem Vladislaviensem Infulam oblatam habuisset, eam unicè ob eandem devotionem Virginis Sanctissimœ, acceptare noluit, siquidem eandem Abbatiam, ob incompatibilitatem, cum ampliori Episcopatu, resignare debuisset. Prœter hanc erga Virginem Beatissimam pietatem, aliis virtutibûs enituit, quòd enim Arriani, de Regno Poloniœ, per Constitutiones Regni expulsi; quòd milites Poloni, ne Bona Ecclesiarum devastarent, seriò inhibiti; nemo plùs laboravit quàm Ille. Cathedram Cracoviensem, Episcopus Cracoviensis factus, plurimùm condecoravit, tum turri, quam magnificè elevando in altum, quadraginta millia florenorum expendit; tum fenestris, quas ampliando Ecclesiœ lumen dedit; tum urnâ argenteâ justœ magnitudinis & pretii, quam sacro Corpori & Reliquiis Divinissimi Stanislai Episcopi Cracoviensis & Martyris, comparavit. Seminaria Clericorum, Monasteria Regularium, Hospitalia pauperum providebat, sustentabat, erigebat. Pestillentia grassante Cracoviœ, peste infectorum, quorum tunc maxima multitudo erat, Pater, Patronus & medicus; nulli parcebat labori, ut eos consolaretur; nulli sumptui, ut eos saturaret & ad optatam salutem deduceret. In visitanda Diœcesi studiosissimus, in prœdicatione verbi Divini zelosissimus, in Ordinatione Cleri, Consecratione Ecclesiarum loboriosissimus, in eri-

 gen-

gendis & dotandis Ecclesiis, liberalissimus, pro quibus pientissimis causis trecenta millia florenorum, ultimo testamentò legavit & assignavit.

Hic itaque Præsul, tali virtute & perfectione conspicuus, primitias perfectionis suæ, in Curia Primatiali Mathiæ Nostri accepit, à Mathia enutritus, ad summam perfectionem educatus, ad Celsissimam in in Ecclesia dignitatem altus; virtutum ejus imitator, Sanctitatis & omnis perfectionis æmulator, ad extremum ultimæ voluntatis Mathiæ executor fuit, ita ut neque in vita, neque in morte, à pia Mathiæ conversatione avelleretur.

Quantùm autem hic præclarissimus Præsul, tantùm & alter, pari Nobilitate, Virtute & æstimatione cum priore certans, Andreas Olszowski, Curiæ Primatialis Mathiæ, post Trzebicium Cancellarius, Mathiæ Nostro præstitit; & qualiter ille, totius vitæ suæ cursum, majori Divinæ consecravit gloriæ, taliter & hic Andreas dico Olszowski, florem ætatis Deo svavissimum, quàm dum & maturuit, bonum odorem virtutum, ac ipsius Christi spirabat. Postquam autem Episcopus Culmensis factus, Ecclesias quæ erant in Prussia, de manibus hœreticorum vindicabat, prœcipuè Ecclesiam Sancti Jacobi Thorunii, & Conventum Sanctimonialium; Neoconversos ab hœresi, paternè & liberaliter providebat; Catholicos ab oppressione Dissidentium defendebat. Ecclesias in Chełmza, in Kiiow, in Starogrod reparavit, novas in Uiazd, in Olszow, ubi sacro fonte ablutus, à fundamentis erexit, in Ecclesia Metropolitana Gnesnensi, marmoreum pavimentum stravit, Regularium Ordinibus, plura beneficia prœstitit, novas eorundem fundationes auxit, antiquas, multis millibûs florenorum enumeratis, reformavit. In pauperes & inopiâ laborantes, liberalissimus Præsul; Leopoli urgente fame, in pauperes, quingentos aureos hungaricales expendit; Lovicii & Squiernieviciis, dum Archiepiscopus Gnesnensis esset, grassante pestilentia, peste infectis, quorum numerus non exiguus erat, omnem sufficientiam providit. In Prussia Missionariis Societatis Jesu, qui pabulo Verbi Divini, & doctrinœ Spiritualis, populum à suis Parochis derelictum nutrirent, sumptum de condigno suppeditavit. In Bolemow, tres Ecclesias, per continuas tres dies, una post aliam, infatigabilis Pastor consecravit. Prœsul pro Deo munificus, pro fide zelosus, in judiciis nullo respectu, nullis donis corruptus, in laboribus nunquam defatigatus. De illo Kochowski, Clima: III. *Tam candore inter Præsules, & integritate vitæ præcellens, quàm in ministerio aulæ prudentiæ, & in Patriam affectu, jure merito lilium inter spinas nominandus.*

Cum hoc pariter religiosissimo Viro, dum negotiis Ecclesiasticis, & politicis obeundis, operam in Curia Mathiœ Nostri prœstabat,

ſtabat, & ſumma cum laude, gravi ætate confecti Primatis, adoleſcens curas ſuſtinebat, idem Mathias dulce conſortium ducebat, ipſum tantopere amando, ut laudibus eum offerendo & benedicendo, ſæpius illachrymaretur, ſibique in ſenili ætate, Divina Providentia tantum fulcrum, contigiſſe prædicaret. Et hos quidem tum & alios, pietate & Sanctitate præſtantes viros, tanti Mathias Noſter fecit, ut ſe tacita mentis cogitatione, ſumme beatum fore judicaret, ſi vel minimam partem, illorum virtutis & pietatis conſequi poſſet, in conſortium æternœ beatitudinis admitti, cum Beatis tam multis, iisdemque præſtantiſſimis agere, loqui cum Apoſtolis, cum Prophetis converſari, cum Martyribus cæteriſque electis communicationem habere; ad extremum conſortio & præſentia illius frui, quem laudant ſtellæ matutinæ, cujus pulchritudinem, ſol & luna mirantur, ante cujus conſpectum & Majeſtatem, Angeli, omneſque illi ſuperni Spiritus, genua flectunt, & in quo omnia bona, reperiuntur & continentur.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

De reliquis variis Virtutibus Mathiæ.

QUod olim Apoſtolus præceperat, & Pontificis perfectiones deſcripſerat: *talis nobis decet ut ſit Pontifex, Sanctus, innocens, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus*; hoc Noſter Mathias, non ſolum dum eſſet Pontifex & in ſtatu perfecto exiſteret, verum etiam tunc, dum ad perfectionem tenderet, eandemque curaret, exacte impleverat; cum Sanctitatem tantam curaverat, quantam exigit Pontificalis dignitas; & quo eminentior Pontificali dignitate apparebat, eo altius ad ſupremum virtutis faſtigium, aſcendebat. Hanc Sanctitatem & præcelſam religionem ſuam, eximiis virtutibus ornare, cælis ipſis celſiorem reddere, & eandem præclariſſimarum virtutum operibus, perficere ſatagebat.

Sicut autem virtutes Theologicæ, ſunt, altiores, principaliores & æſtimabiliores cæteris, ita ArchiPræſul Mathias, in his ſe primario exercuit. Cum autem tres ſint virtutes Theologicæ, atteſtante Apoſtolo: *Nunc autem manet fides, ſpes, & charitas, tria hæc.* Hanc Divinam virtutum Triadem, ab ineunte ætate, ita amplexus Mathias Noſter, ut in tota vita, in iiſdem virtutibus antecelleret, & tanquam ſol, reliqua ſidera ſplendore excederet. Credidit firmiſſime vir Sanctus, quod ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, igitur in fide, ita conſtans fuit, ut populum ſibi concreditum, in fidei Articulis, diligenter erudiret, illam ipſam contra hæreticos,

ardenter defenderet, actibûs heroicissimis, videlicet voluntate & desiderio moriendi pro illa, condecoraret, sangvinemque suum pro fide Catholica effundere profiteretur, & hoc suum desiderium & voluntatem, calamô & atramentô, cùm non daretur sangvinis fundendi occasio, in testamento à se condito, exararet & exprimeret his verbis: *uti alumnus Sacræ Romanæ orthodoxæ Ecclesiæ, Sanctæ fidei, cujus lumine nullis meis meritis, sed sola bonitate & misericordia Dei, sum illustratus, professionem facio, & quemadmodum pro ea mori semper paratus fui, ita me mori velle, etiam atque etiam protestor.*

Post fidem, nihil charius habuit Mathias, quàm sperare in Deum, qui solus est spes nostra, qui solus est, summum illud bonum quod speramus, innixus promissioni Christi, in Evangelio positæ: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis, super mensam meam, in regno meo*; ideò sæpè sibi Apostolicum illud, repetebat effatum: *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum, servare in illum diem justus Judex*; Sæpè cum Psalte Regio, loquebatur ad Deum: *quoniam tu es Domine, spes mea*; sæpissimè hoc fine actum doloris, & detestationis peccatorum, cum profluvio lachrymarum eliciebat, sperans in misericordia Divina, quòd illa ipsi remittet. Illius sunt verba, actum doloris exprimentia, in testamento expressa: *Doleo ex corde, quòd infinitam bonitatem, sæpiùs in vita offendi, gravissimis peccatis meis, quæ ex animo detestor, & confidens, in infinita Dei misericordia, quòd ea mihi remittet.*

Cùm autem fides, spes, aliæque virtutes omnes, teste Apostolo, sine charitate & amore Divino, nihil prosint, tum quòd Dei infinita bonitas, creatæ voluntatis, adæquatum objectum sit, ipsa est omnis plenitudo dulcedinis, ipsa omnium bonorum aggregatum; igitur in Mathia Nostro, oriebatur innata illa propensio videndi Deum, innata inclinatio ipsum amandi; consequenter voluntatem suam, à tanti objecti amore non retrahebat, sed diligebat Deum, quantùm potuit, ardebat amore Divino, quantùm debuit. Excitabat se ad divinum amorem Mathias, ex quotidiana lectione, & nulla die intermissa, Spiritualis libri: *Deus meus ad hoc creasti me, ut amem te, da mihi ut possim facere, ad quod creasti me: nimis audax sum ego Creatura tam abjecta, quæ petam amorem tam sublimem, vel lem petere aliud humilius, quod meæ vilitati par esset. Sed quid faciam? quando tu jubes ut amem te, quando minaris, si non amem te? quando mortuus es in Cruce, ut amem te? Jubes ut nihil magis petam à te, quàm ut amem te, & quidem usque eo desiderasti, ut amarem te, ut cùm me videres frigidiùs amare, instituêris Sacramenta miræ virtutis, ut cor meum transformares, in amorem tui. Deus meus, quid sum ego apud te, ut imperes mihi ut amem te? quid inquam sum ego apud te? nisi calamitas, tormenta, Crux!*

& quid tu mihi es? nisi salus, requies & omne bonum. Quòd si tu me talem amas, quomodo ego te, talem erga me non amabo? Indignus sum qui amem te Domine! sed tu dignus es qui ameris à me. Deus meus amor, ex quo omnes amores fluunt, cur non absumor hoc igne amoris tui? Deus meus Pulchritudo, à qua omnis Pulchritudo, quare non amo te? si non amo te, propter hoc quod es in te? cur saltem non amo te, propter hoc quod es in me? Ergo Deus meus amabo te, tibi tradam totum cor meum, semper ardebo cælesti tuo igne, ô Deus amor! Talibus erga Deum, ferebatur Mathias Noster amoris affectibûs, quos ex libro Spirituali, ab illo qualibet die, manibus trito & lecto excerptos, publici juris feci, ut frigida voluntas humana habeat, quo ad amorem divinum accenderetur, & Mathiam Nostrum, in Deo amando imitaretur.

Post virtutes Theologicas, virtutes religiosæ, seu vota, sunt actus religionis, seu virtutis, inter omnes morales virtutes nobilissimæ, & Religiosi inter omnes Dei servos, sunt pars nobilissima, utpotè ad perfectionem vitæ Sanctæ, semper contendentes, juxta illud monitum Christi: *Estote perfecti, sicut & Pater Vester cælestis, perfectus est*; & illud: *si quis vult venire post me, abneget semetipsum*; Ideò Mathias Noster, relicto sæculò, se totum Divino servitio, in Ordine Canonicorum Sancti Sepulchri, mancipavit, & ad perpetuam paupertatem, castitatem & obedientiam, in eadem Religione sese obligavit. Ad istam trium votorum emissionem, inductus motivis sequentibus: Primum: quòd his tribus votis, removeantur omnia impedimenta, perveniendi ad vitæ Christianæ perfectionem; quòd Viri Religiosi, Ducem suum & Imperatorem Christum, habeant & imitentur; quid enim pauperius, castius, obedientius Christo? Secundum: quòd Paupertas Evangelica, (per quam Vir religiosus, divitias omnes, ipsosque auri montes, quasi stercora, propter Dei amorem & spem vitæ æternæ, abominatur,) omnibus aliis virtutibus emineat, sitque tanta virtus, cui Christus, inter octo Beatitudines, principem locum dedit, eidemquè summum præmium decrevit, juxta illud: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Tertium motivum: Excellentia paupertatis, elevata & recommendata ab exemplo Filii Dei, qui cum dives esset, factus est pro nobis ita pauper, ut dixerit: *vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Et licèt in manu habuerit, omnes fines terræ, cæterum elegit aliorum eleemosynis vivere, pauperes Matrem, Patrem putatitium & discipulos habere, in paupertate demum & nuditate, vitam claudere. Quartum motivum: quòd hunc statum, ipsa Divina Sapientia elegerit, & nisi hunc dignum cognovisset, eum non elegisset. His omnibûs spectatis Mathias Noster, per suam professionem in Ordine Canonicorum Sancti Sepulchri, opus heroicis-

ſimum adimplevit, omnibus ſe facultatibûs exuit, & in eo gradu ſtetit, ut nihil proprii habere potuerit, & nudus nudum, pauper pauperem, ſecutus Ducem Chriſtum. Et licèt in ſua Religione, haberet proventus tantos, qui congruam ſuſtentationem ſuam, ſuperare poterant, cæterum memor erat paupertatis ſuæ, Deo in profeſſione appromiſſæ, relicta ſibi minutiſſima, ad ſuam ſuſtentationem parte, reliquum in reſtaurationem Eccleſiæ, Conventûs fabricæ, decorem domûs Dei, & in reliquos pios uſus convertebat, ſeque eorundem Bonorum & proventuum, non Dominum ſed diſpenſatorem dicebat, & ſi id neceſſitas poſtularet, ex iiſdem proventibus, rationem reddere Capitulo, quovis tompore paratus erat, ad quod ſe & ſuos ſucceſſores, per Conſtitutiones Ordinis obligaverat. Memor inſuper fuit hujus votivæ paupertatis in Religione Noſtra, quòd licèt ad Epiſcopalis dignitatis culmen, & Supremum in Regno Viceregis aſcendiſſet faſtigium, nihilominus & hic, proventus Eccleſiarum Cathedralium, ita diſtribuebat, ut totum in decorem Eccleſiæ Sponſæ ſuæ, & in rem ſuæ Diœceſis (ut alibi diximus,) expenderet, reliquum in pauperes & ſuſtentationem eorum erogaret. Affines, conſangvineos, amicos & ſibi ſangvine junctos, ex redditibus Eccleſiarum, opibus invidioſis, non ſolùm non ditabat, verùm iiſdem, nec minutiſſimam partem conceſſerat, memor quòd ſe abdicârit dominio proprietatis, & illud quod perciperet, non eſſet ſuum.

Hanc ipſius paupertatem, ob quam etiam ſangvinem non reſpexit, tantùm æſtimavit ſequens ætas, ut eam literis conſignârit, & coram Regibus locuta fuerit; Unde Andreas Olſzowſki, Epiſcopus protunc Culmenſis, ſermone ad Regem Caſimirum, apud Załuſki: *Dignus perenni memoria Lubienſki, cujus Cancellarius ego & Executor fui, qui poſthabitis ſuis conſangvineis, dedit, donavit omnia Sponſæ ſuæ Gneſnenſi Cathedræ, & Eccleſiæ Lovicienſi.* Tum Kochowſki, librò quinto, Annò milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundò *Mathias Lubienſki, Vir boni & æqui amans, opum ut tales ſunt non avidus, & qui Clerum intra orbitam pietatis ac modeſtiæ, exemplo vitæ continuerit, Domum Lubieniam, neque dignitatibûs, neque opibûs invidioſis auxit, etſi probitas ſua, apud Regem in pretio eſſet, viam qua creſcerent contentus per merita monſtraſſe, cætera fato meritorum committens.* Ob hanc paupertatem, licet in dignitate Primatiali exiſteret, veſtitu non ſplendido, nec nimium ſumptuoſo utebatur, eo tamen & tali, qui tantum decebat Antiſtitem. Non nemo ex Epiſcopis, Cruces aureas gemmis & lapidibûs magni pretii adornatas, & ſumptuoſam oſtentabat Dactylothecam, tum ille, annulò è digito detractò adeò attritò adesòque, ut filò ſericeo neceſſe fuerit eum circumvolvi, ne digitò elaberetur, en inquit hic

annu-

annulus est, quem à primo meæ consecrationis anno, in hunc gesto diem. Licèt autem moriens testamentum Servus Dei condidit, & id quod ex proventibus Ecclesiarum remanserat, in easdem Ecclesias tantùm, & in alias piissimas causas legavit, hoc minimè obesse poterat, Votivæ paupertati ejus, tum quòd jam in Archiepiscopali dignitate, & in statu perfecto existeret & moreretur; Tum quòd accepisset & habuisset licentiam, ad pias causas testandi, à Suprema Ecclesiæ Auctoritate, Urbano VIII. Pontifice maximo, prout ipsemet in hocce testamento, statim in principio fatetur, his verbis: *Ego Mathias Lubieński, de armis Pomian, indignus Archiepiscopus Gnesnensis, Religionem Sancti Augustini, in Conventu Miechoviensi, ante promotionem ad Episcopatûs gradum Professus, facultate mihi testandi, ad pias causas, à Summo Pontifice, felicis recordationis Urbano VIII. concessa, hoc condo testamentum.* Quod ipsum & in medio & in fine, ejusdem testamenti fatetur, ubi quòd Serenissimo Joannni Casimiro, Poloniarum Regi, Domino suo Clementissimo, aliquam grati animi testificationem non fecerit, & aliquid dignum tanto Principe, per testamentum non legaverit, se votò paupertatis obstrictum, & id se facere, ob idem votum Religionis, non posse dicit, simulque se, ad solas pias causas, à summo Pontifice, facultatem testandi habere declarat, in hunc modum: *Inprimis autem Sacræ Regiæ Majestati, Domino meo Clementissimo, singulari aliqua animi mei testificatione, debitam gratitudinem, pro explorata ejus erga me benevolentia, declarare vellem, cæterum (ut non commemorem; facultatem testandi uti Religionis votô obstrictus, à Summo Pontifice ad pias tantùm causas mihi concessam,) rationes Thesauri mei, continuis sumptibus, per hæc præcipuè calamitosa Reipublicæ tempora, nimis attenuatæ, id non permittunt.*

Sicut autem in paupertate profecerat, non minùs & in alia Religiosa virtute, castitate nimirum, crevit Mathias Noster, illam summopere amando, custodiendo, & nec minimum pulvisculum, qui ejus integritatem læderet, admittendo. Ita hanc virtutem, Virginitatem inquam servavit intactam, ut nedum verbis aut factis, sed ne ulli turpi cogitationi locum daret. Suspexerunt Reges, tantam integritatem vitæ Antistitis, & eam summis laudibus non modò extulerunt, sed Orbis Capiti commendârunt. Præstat unius Sigismundi III. Poloniarum Regis, ad Paulum V. Pontificem Maximum, allegare testimonium: qui in literis ad eundem Pontificem conscriptis, suprà sub Capite decimo tertio relatis, nostrum Mathiam Pontifici commendat, & eundem, Virum ab omni labe immunem, quovis honore dignum deprædicat. Suspexerunt & alii maximè domestici, quanti hanc virtutem faceret, & eandem, longævæ ejus ætatis causam, agnoscebant & fatebantur,

quòd ideò ſcilicet, ad tam vividam tot annorum ſenectutem pervenisset, quòd integritatem vitæ, virginitatem intactam ſervâſſet.

Quantùm autem in paupertate & caſtitate, tantùm & in obedientia profecerat Mathias, hæc enim judiciô & exemplô Chriſti eſt præſtantiſſima, ipſe etenim teſtatur, ſe de cœlo deſcendiſſe, non ut ſuam, ſed ut Patris faceret voluntatem. Apoſtolus quoque, vitam Chriſti totam, mortem & mortis genus, ad unam obedientiam refert: *factus* (inquit) *obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Sciens item in obedientiam, omnes ferè virtutes concurrere, quaſi ad aliquod pulcherrimum opus, ex plurimis gemmis concinnatum. Nemo enim ſe alteri homini, in omnibus ſubjicit, niſi magno amore Dei ardeat, niſi profunda humilitate, patientia, fortitudine, conſtantia, aliisque virtutibus ſit præſtans; Et ideo Mathias converſationem, cum mundo mundanisque hominibus fugiebat, per obedientiam, voluntatem ſuam ſenſusque omnes, cum Deo arctiſſimè conjungebat. Et cùm non haberet exiſtendo in Præpoſitura Generali, altiorem ſe, cui vi voti obediret, ideo opera illa, quæ per ſe nullius ſunt meriti, vi obedientiæ faciebat, & ſic ex obedientia comedebat, cubitum ibat, animi gratiâ ambulabat; pulſabatur Campana pro prandio, pro cæna, Mathias eliciebat actum obedientiæ, ibatque ad refectorium, ad lectum. Venit tempus recreandi animum, à laboribus Religionis, vi obedientiæ animum recreabat, & prædictos actus per ſe nullius meriti, Deo gratos & ſibi meritorios faciebat.

Poſt Theologicas & Religioſas virtutes, principem locum tenet humilitas, hanc ex eo, quòd Chriſti exemplo ſanctificata eſſet, & ejuſdem encomiô commendata, tanquam firmiſſimum virtutum omnium fundamentum, in quo Spirituale Sanctitatis ædificium, extrui debet, & ad cæleſtia ſublimari, plurrimùm adamavit Mathias Noſter, hanc animo ſuo medullitus infixam, & in tabulis cordis inſculptam eſſe, ſummopere exoptabat, ſecum aſſiduò recogitans, ſoli Divinæ Majeſtati excellentiam, ſublimitatem, celſitudinem propriam & hæreditariam eſſe; Homini verò nihil intimius vilitate, abjectione, cùm ſit figmentum de limo viliſſimo, & poſt receſſum ex hac vita, putredo & vermes hæreditabunt illum; ſibi itaque ipſi, veriſſima cognitione vileſcebat, ſe in veritate dignum omni contemptu ac dedecore judicabat. Nam omnes quoscunque vidit, ſibi anteponebat, eosque tanquam ſe meliores, honore præveniebat. Non inflabat illum Nobilitas generis, multis meritis in Regno comparata, non majorum præclara geſta & gentilitia ſtemmata, non extollebant eum, honores Epiſcopales & Senatorii, virtutibus ejus ac meritis, in Republica Polona debiti, non denique Suprema Viceregis in Regno dignitas, elatiorem fecit, ſed in recondito

animi ſui receſſu, vilior in oculis ſuis apparebat, & haberi ab omnibus, variis modis exoptabat. Ac inprimis, cum aliqua ſibi daretur occaſio, vel de ſe ipſo dicendi, vel literas in ſuo negotio ſcribendi, ſive aliquod inſtrumentum ſuo ſub Nomine conficiendi, ſemper cum ſumma & admirabili humilitate, ſe ſubſcribebat. Ad Cardinalem Burgeſium, licèt Epiſcopus & Regni Senator eſſet, in literis de Data Cracoviæ, vigeſima ſepptima Februarii, Annô milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, ſe privatum & unum ex Clero minimum intitulaverat. Ad Cardinalem Montealtum, Protectorem Regni Poloniæ, in eadem dignitate exiſtens, ſe humô ſublatum inſcripſerat. In erectione Eccleſiæ Wągczovienſis, à ſe & Fratre ſuo conſcripta, licèt Ampliſſimi Poſnanienſis Epiſcopatûs & Senatoriæ in Regno dignitatis honore, ornatus eſſet, ſe nomine Epiſcopali indignum cenſuerat. Tum quòd alios aliquandò pudet, Religioſos eſſe & Regularia vota emiſiſſe, Mathias Noſter, in variis literis, diſcurſibus, ſe libenter ſcribebat & fatebatur Religioſum, ut in literis ad ſupraſcriptum Cardinalem Burgeſium directis, jam Epiſcopus factus, ita de ſe loquitur: *Cùm Epiſcopatus Chelmenſis, inter reliquos Ruſſiæ, maximè acciſas & anguſtas facultates, quibus pro dignitate loci, in obeundo munere uti poſſit habeat; patiatur ſua Sanctitas, me unà cùm eo Epiſcopatu, Præpoſituram Miechovienſem, Regularium Canonicorum Divi Auguſtini, Cuſtodum Sepulchri Dominici, quam eam Religionem Profeſſus, à tribus annis poſſideo, retinere, &c.*

Cùm autem ad ſupremum in Regno, nempe Primatialem & Primi Principis aſcendiſſet gradum, eo hic perfectiùs, in profundum humilitatis deſcendit, neque ſe cuipiam nominare Principem patiebatur, neque hoc titulo honorare, contentus erat demiſſiori titulo, aliis Præſulibus in Regno dari ſolito & uſitato. Dum verò aliquem ex ſuis domeſticis, verbo aliquo aſperiore, licèt ex aliqua inadvertentia læderet, hinc ſtatim humilitatis exemplariſſimus Princeps, eundem abſque ſuo pudore deprecabatur, & illud ſibi indeliberatè excidiſſe verbum, conteſtabatur. Unde cunctis exemplo, omnibus in admiratione fuit, atteſtante ejus in Capellà Metropolitana epitaphio, ab Executoribus, virtutum Ejus oculatis Teſtibus, in marmore exarato his verbis: *Summa in Deum pietate & admiranda humilitate, cunctis exemplaris, raroquè animi candore, amabilis.* Licèt autem honorem in Regno Supremum, pro dignitate geſtare, famulos, aliosque aulæ Miniſtros numeroſiores fovere, Majeſtatem Primi in Regno Principis & Viceregis & Auctoritatem repræſentare debuerat, hanc tamen ita cum profunda humilitate conjunxit, ut omnibus admirationi eſſet, & venerationi. Pulchre & ad rem noſtram, Simon Okolſki in ſuo volumine: Orbis

bis Polonus intitulato, prout vidit conscripsit: *Videbant Mathiam cum jam esset Archiepiscopus, in Comitiis Generalibus Regni, tot Senatorum & Equestrium Nobilium catervâ circumseptum, & ille sedatum animum & gravitate generosum, vultu religioso deferebat. Considerabant tanta insignia Principis, numeroso servorum & amicorum concursu venerata, sed quem illa præibant & designabant, ipso spiritûs fervore & conscientiæ puritate, lætabatur & gaudebat. Laudabant alii Eundem videntes, fastum sæculi splendidum & copiosum ante & retro subservientem, at ille in sinceritate cordis, Creatorem ipsum venerabatur & Dominum.*

Sic ad ima profundæ abjectionis, animô per veram humilitatem deductô, morum quædam temperantia, mira simplicitate adornata, in Mathia Nostro effulsit, nam in vitæ suæ actionibus, candorem animi absque omni versutia coluit, Sapientiam hujus sæculi, quæ per ostentationem multa fingit, per fucum gloriam aucupatur, ignoravit. Hanc admirabilem simplicitatem, edoctus fuit Mathias apud Pstrokonium, apud quem unâ cum Fratre suo Stanislao, in disciplina Ecclesiastica morabatur; quo tempore Pstrokonius habuit in usu, quotidie horam meditationibus ante cænam dare, semel dum in secretius cubiculum, propter meditationem recesserat, sentit sulphureum fætorem, vocat ephebum & interrogat, unde tam insolitus odor proveniret? hic lustratis omnibûs Domûs angulis, refert, se nihil simile invenire posse. Præsul pacificatus paululum, ulteriùs suam meditationem continuat, ecce ex uno angulo illius cubiculi, egrediuntur personæ, omnes, sulphureo igne ardentes, Capita sua funibus ligata, foraminibus perforatis repleta, quæ ignem ejiciebant terribilem repræsentantes: Attonitus super hac apparitione Pstrokonius, multos cognovit, quondam Senatores & Ministros in Regno; Quemlibet igitur de cognomine salutat, & in quali sint statu interrogat; responderunt se esse in æternas damnatos pænas, & taliter esse punitos, quòd ingeniis suis in pseudopolitiam, interitum Patriæ perversè & perniciosè uterentur; quibus dictis disparuerunt. Hanc apparitionem, mirabundus Pstrokonius, omnibus protunc domesticis retulit, Mathiæ pro tunc in Curia ejus degenti communicavit, & ut damnatam in æternas pænas pseudopolitiam sæculi vitet, docuit & admonuit. Hac stupenda apparitione permotus Mathias, pseudopolitiam omnem sæculi, è corde suo ejecit & eliminavit, simplicitatem à Christo præceptam, *Estote simplices sicut columbæ*, induit, & eandem toto vitæ cursu amicam fecit. Hinc Pseudopoliticis, (quibûs Nostra Polonia etiam hac ætate abundat,) Capitalissimus erat hostis, illis tum conspectum suum negabat, tum ab illorum consortio, colloquio & conversatione fugiebat. Potiùs ergo cum simplicibus idest

villanis

villanis hominibus, magna ejus fuerat familiaritas, ex qua factum: quòd cùm aliqui villani homines, circa arcem Lovicienſem, quàm Mathias Archiepiſcopus inhabitabat, tempore veſpertino tranſirent, inclamare ſolebant, linguâ ſuâ vernaculâ, apprecando eidem bonam ac feliciſſimam noctem: *Xięże Macieiu dobra noc*; quòd cùm ſæpiùs repeterent, ille qui domeſticæ militiæ Præſes & Præfectus erat, illam familiaritatem ac confidentiam ad Archiepiſcopum præcludere volendo, ſuos commilites immiſit, & hanc audaciam, in illis villanis hominibus verberibûs compeſcuit; Bonus Archiepiſcopus, reſciens id factum fuiſſe, Præſidem ſuæ militiæ vocavit, verbis acerbioribûs hanc injuriam villanis illatam caſtigavit, & eundem à ſuo ſervitio dimiſit & abſolvit. De illo, quo ad hanc virtutem, Janczynſki in manuſcriptis, adnotavit ſequentia: *Homo erat morum ſimplicium, pſeudopoliticis capitaliter infenſus*; & in loco alio: *profectò vir fuit magis Eccleſiaſticus quàm Politicus*; Verè de Noſtro Mathia dici debet, quod de Job patientiſſimo, locuta eſt ſcriptura Sacra: *Erat vir ille ſimplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo;* Simplex: quia ſapientiam Dei & ſcientiam Sanctorum habuit, Sapientiam verò hujus mundi ignoravit; ſimplex: quia omnem malitiam & omnem dolum, & ſimulationem abjecit; ſimplex: quia ſicut modò genitus infans, quam animo innocentiam & puritatem accepit, hanc ſemper dictis & factis retinuit.

In operibus miſericordiæ præſtandis, & in egenorum neceſſitatibus ſublevandis, propterea ferventior erat Mathias Noſter, quòd Divinò mandatò præciperentur, & Supremi Judicis favorem promererentur. Emeritum itaque laboribûs Epiſcopalibûs proventum, illa præſertim ætate, & illis ab inſatiabili cupiditate habendi corruptis moribus, quovis anno cum egenis partiebatur, parte ſibi exigua ad vitam ſuſtentandam reſervata, reliquum in pias cauſas & varios uſus pauperum erogabat. Eo denique in miſericordia pauperibus exhibenda proceſſerat, ut ſe non ſolùm neceſſariis vitæ & corporis ſpoliaret, ſed vitam ipſam, qua poſt Deum nihil charius habuit, omnium commodis impenderet. Verè ex utero Matris, egreſſa eſt cum Mathia Noſtro miſeratio, eademque crevit cum illo ab infantia, adoleſcente autem illius ætate, etiam humanitas & ſtudium benefaciendi, incrementa capiebat. Uſitatum illi erat & in morem abierat, ut nunquam menſæ accumberet, ſi aliquos pauperes non paviſſet; ſæpè ſibi repetebat illa ſcripturæ verba, & in memoriam reducebat, in oreque ſæpiùs habebat: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem;* Hinc erga ſubditos ſummè benignus, in pauperes egenos, pupillos & id genus afflictæ ſortis, liberaliſſimus; erga Spirituales maximè in Religioſos propenſiſſimus, & omnibus omnia factus fuit. Pauperum nobilium Filii

ſatis liberaliſſimum experti ſunt Mathiam Noſtrum, quorum magnum numerum, tum Ravæ in ſcholis Societatis Jesu, tum Gnæſnæ & alibi nutriebat, veſtiebat, ad ſtudia applicabat, & ad bonum promovebat; ad extremum eoſdem, pro ſtudiis Romanis mittebat, ibidemque ſuſtentabat. Hoſpitalia pauperum, Noſocomia egenorum, munificentiſſimum deprædicant Benefactorem ſuum, quibus in Hoſpitali in Piaſeczna, Diœceſis Poſnanienſis, Decimam menſæ Epiſcopalis contulit, & ſuper hoc conſenſum Prælatorum & Canonicorum Cathedræ Poſnanienſis, in Capitulo Generali Sanctorum Petri & Pauli, Annô Domini, milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo, requiſivit. Illud quoque animi ejus impenſe in pauperes effuſi, fuit clariſſimum argumentum: Valedicebat alicui Cathedræ Vir Sanctus, promovente eum ad ampliorem Cathedram virtute & pietate, ſubditis omnibus, omnium Epiſcopatûs villarum, debita omnia, quæ illorum egeſtas contraxerat, & totum & omne id, quod ipſi à ſubditis debebatur, condonare & remittere ſolebat, quod eum feciſſe conſtat in Epiſcopatu Poſnanienſi, ubi poſt ſuam promotionem ad Epiſcopatum Vladislavienſem, ad Capitulum Poſnaniense, die undecima Junii, Annô milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo primo, literas dedit, in quibus declaravit, ſe nolle debita exigere, quæ ipſi debebantur à ſubditis. Hoc & in Epiſcopatu Vladislavienſi fecit; hoc ipſum etiam moriens ſubditis Archiepiſcopatûs Gneſnenſis præſtitit, omniaque ipſorum debita donavit; hancque ſuam donationem, nè à quopiam in dubium vocari poſſet, teſtamentô confirmavit. Inſuper Confraternitatem miſericordiæ, Gneſnæ & Lovicii inſtitutam promovit, ſummam viginti millium, ejus rei cauſâ, in cenſum locavit, & cenſum à prædicta ſumma quotannis recipiendum, ut iisdem pauperibus etiam poſt ſuam mortem, pietatem & liberalitatem teſtaretur, ob amorem Dei & proximi, inter, pauperes, non modò eos, qui emendicato pane vivunt & victum quærunt, ſed tantò magis inter eos, qui ſunt verè pauperes, ſive nobilis ſive civicæ conditionis, & mendicare erubeſcunt, diſtribuere mandavit. Hoc igitur eſt Epiſcopum eſſe: ex annuis reditibus Eccleſiæ, vix aliqua parte ſuis uſibus moderatis relicta, in ſinum ſuæ Sponſæ, & in egeſtatem pauperum ſuſtentandam effundere.

Præter opera miſericordiæ corporalia, etiam in Spiritualibus miſericordiæ operibus, proximo Mathias Noſter prodeſſe ſtuduit; excitabat ſe ipſum, ad zelum quemdam Divini honoris, certòque ſibi perſvadebat, Deo Optimo, Maximo, nihil ſe poſſe præſtare gratius, quàm ſi poſt curam ſuæ ipſius animæ, etiam proximi ſalutem diligeniſſimè curaverit. Quare Epiſcopus exiſtens & Diœceſes ſuas viſitans, rudiorem populum tam pueros quàm adul-

tos

tos, quos cognovit ignorare prima rudimenta fidei, signo se Crucis munire, orationem Dominicam recitare, Sacramentales Confessiones facere, Decalogi & Ecclesiæ præcepta, & præcipua fidei Mysteria, præsertim de Sanctissima Trinitate & Incarnatione Christi, tum per se maximè, tum per alios edocebat, erudiebat, & idem parochialium Ecclesiarum Rectoribus, aliisque insubsidium curæ animarum assumptis, Concionatorum munus obeuntibus, diebus Dominicis & aliis festivis, explicare, seriò & sub pænis demandabat, quod idem & in Diœcesi Vladislaviensi fecit, ubi nè cultus Divinus diminueretur, ac salus exinde periclitaretur animarum, & præcipuè in maxima Parochorum Pomeraniæ, (per Leoburgensem & Bitoniensem Decanatus,) paupertate, iisdem Parochis ex suo ærario subsidia suppeditabat, deinde Coloniam Bischofstalensem, Capitulo Ecclesiæ Vladislaviensis, eo fine perpetuò donavit, ut ex proventibus hujus Coloniæ mille floreni quotannis ad manus Archidiaconi Pomeraniæ traderentur, & per eum juxta exigentiam locorum, in his duobus Decanatibus, inter Parochos dividerentur. Quoniam verò proventus dictæ Coloniæ, tunc temporis nondum sufficere potuit eidem subsidio, ideo Mathias, de proventibus suis sobcoviensibus, eandem summam persolvebat, & laboranti in illis partibus Ecclesiæ succurrebat, ubi Divinâ gratiâ, Orthodoxorum numerus in dies augebatur. Crescente autem non tantùm in his suprascriptis Decanatibus, sed in tota Diœcesi Vladislaviensi, Orthodoxorum numero, nè sua Mathiæ Spiritualis consolatio deesset, seriò demandaverat, ut ad illum Parochi, eundem numerum Neoorthodoxorum deferrent, & quod sit animarum lucrum notificarent.

Sicut autem omnium aliarum virtutum, ita & justitiæ Mathias amantissimus fuit, sciebat enim quàm serio scriptura hanc virtutem commendet: *meliùs est parum cum justitia, quàm multi fructus cum iniquitate*, & ideo sæpè sibi illam scripturæ sententiam, ob oculos ponebet, *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Hinc subditorum suorum & egenorum non tam Dominus, quàm Pater dicebatur, misericors in omnes, nemini molestus, nulli injurius; & ideo nè per Arendatores, vel quosvis Capitanos sive administratores suos, iidem subditi opprimerentur, & nè quid ipsis injustitiæ fieret, singulis trienniis imò aliquando sæpiùs, dum necessitas postulabat, duos ex Capitulo Miechoviensi, dum esset Præpositus Generalis Noster, assignatos Consiliarios, ad villas suæ Præposituræ mittebat, per eos investigabat; ubi autem aliquam injuriæ umbram deprehendit, medelam adhibebat, recompensabat, & omne & totum id, quod per administratores suos subditis subtractum fuerat, repen-

debat. Hoc ipſum, eundem in omnibus Epiſcopatuum villis, ſæpiſſimè feciſſe conſtat, uti in Epiſcopatu Poſnanienſi, ubi die decima quarta Maji, Annô Domini, milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo primo, in Capitulo propoſuit, quatenus Capitulum è medio ſui, duos Reviſores deputaret, cum tertio de familia Epiſcopali, ad inquirendum per omnes ditiones Epiſcopales ex ſubditis, ſi aliquæ querimoniæ, in Oppidis, villis ac aliis quibusvis poſſeſſionibus, contra ſe orirentur? ſi incuriâ aut negligantiâ ſuorum Capitaneorum, aliquæ injuriæ vel damna eſſent ſubditis illata? promittens ſe omnia ad omnimodam ſatisfactionem compenſaturum. Hoc & in aliis Diœceſibus, imò & in Archiepiſcopatu Gneſnenſi fecit, ubi ipſe in perſona, villas ad Archiepiſcopatum ſpectantes, circa circum Civitatem Lovicienſem obibat, de injuriis inquirebat, & ſi quid ejus rei reperit, recompenſabat. Inſuper omnibus hominibus earundem villarum ad ſe convocatis aliquam conſolationem præſtabat, unicuique illorum tinfonem tribuendo, quem verò illorum ſuo nomine, ideſt Mathiæ, cognominatum ac vocitatum invenit, ob devotiſſimam erga ſanctum ſuum Patronum propenſionem, eidem in triplo largiebatur. Pariter moribundus, Executores ſuos, ſtrictiſſimè teſtamentô obligavit, & omnes per Factores ſuos illatas injurias, (ſi quæ fuerant,) compenſare mandavit. Verba ipſa Teſtamenti pono: *Debita ſi quæ legitimè quispiam probaverit, vel conſtiterit aliquid per Factores meos à ſubditis, (quod ego ſemper prohibebam, ab injuriis ſubditorum abhorrens,) iniquè fuiſſe exactum & acceptum, reſtituant Domini Executores.* Quali erga ſubditos, tali & erga ſervos juſtitia movebatur, illos ab injuriis defendendo, ex his unicuique emeritam mercedem ſolvendo, & ultra eandem uti liberaliſſimus Princeps, aliis beneficiis eoſdem cumulando. Memor erat & in teſtamento eorundem, quibus non tantùm deſervitam mercedem enumerare mandavit, ſed etiam ultra præſtita obſequia, annuum ſtipendium donavit. Lege ipſius teſtamenti exemplar: *Servitoribus meis, tam aulicis quàm cubiculariis & aliis cujuscunque Ordinis, penes me reſidentibus, illis quidem qui ſupra decem annos mihi ſerviunt, præter emeritam mercedem, ſi quæ eis debetur, unius anni ſtipendium, quale à me conceſſum habebant, includendo & annuum veſtitum, donetur.*

Hanc juſtitiam à ſe ipso incipiendo, ita in aliis occurrentibus cauſis adminiſtrabat, ut ſolus ſæpiſſimè cauſas etiam in decrepita ætate cognoſceret & judicaret, nullis inſtantiis, nullis recommendationibus, proximis etiam ſangvine, ſive quibusvis Magnatum reſpectibus flecteretur. Eodem Archiepiſcopo, funeſtus in Archidiœceſi Gneſnenſi caſus contigit, Capitaneus Voynicenſis, (parco

Nomini ob respectum Familiæ,) postquam octodecim homicidiis se se deformasset, tandem ad complendam mensuram peccatorum & malitiæ suæ, decimum nonum homicidium patravit, Patruum suum gladiô transfodiens: ob hoc nefandum crimen, per Tribunal Regni, tali sententia damnatus, ut in kudak triennio exularet. Non tam libenter quàm reverenter acceptavit Decretum scelestissimus homicida, sed illud non implevit; nam uno anno in exilio transacto rediit in Patriam. Ut autem à pœnis ulterioribus tuti or esset, mutato statu sæculari, elegit Spiritualem, indutusque habitu Clericali; tandem prævia dispensatione difficulter obtenta, creatus Presbyter. Sed quia habitum Clericalem, non verò mores induerat, ideò vitæ & professionis Sacerdotalis immemor, ad carnalia desideria animum suum convertit. In tam sacrilego scelere, egit monitorem Parochus ipsius, & aliquoties hortatus, ut ab incæpta malitia desisteret, & suæ vocationi satisfaceret. Ista monita Parochi, tetigerant cor, prolapsi in profundum carnis sacerdotis, & ideò peracto Quadragesimali jejunio, venit ad templum Parochiale, ipso die Sacratissimi Paschatis, & coram Rectore præfati templi, Sacramentalem confessionem peccatorum suorum adimplevit. Hac peracta, sacrosanctum missæ sacrificium celebrare constituit, ad quod ritè peragendum, Parochum assistentem habuit, & sacratissimâ Eucharistiâ, tum familiam suam, tum populum refecit. Post divina mysteria Domum rediturus, Parochum sibi ministrantem & assistentem ad altare, ad suam mensam invitavit; cui cùm adesset præfatus Parochus, tunc ille ex Capitaneo Voynicensi factus Presbyter, cœpit tempore mensæ, impudicè & laxè jocari cum sua amasia. Tam laxos & impudicos sermones, non potuit sustinere Parochus, petiitque eundem humiliter, ut in honorem solennitatis Paschalis, à turpibus lenociniis abstineret. Palliavit tacitam iram hilari vultu veneri deditus Presbyter, in aliud tempus vindictam differens. Cùm autem ad vesperas absolvendas properaret Parochus, petiit ab eo, ut se cum vesperis expectaret. Cæterum vergente ad occasum sole, dum populus urgeret Parochum ad expediendas vesperas, annuit ille votis & desideriis populi. Vix autem finitæ vesperæ, accurrit furiosus & lascivus ille, vidensque finitam devotionem Vespertinam, cum grandi impetu quærit, ubinam sit Parochus? & dum cognovit eum esse in sacrario, inde eum evocat, & gravissimè increpat, quòd se non expectaret cum vesperis, tandem pugnum ori illius impingit, suisque satellitibus mandat, ut productum extra cæmeterium in publica via fustigarent. Executi sunt satellites impii, quod Dominus præceperat, & interim rhedam ascendit, Parochumque suum crudelissimè fustigatum in ea collocat. Cùm autem ad certam sylvam deven-

tum esset, de rheda Parochum detrahi imperat, & nodosissimis fustibus, à plantis pedum usque ad cervicem affici jubet. Semivivum rursus in rhedam seu currum accipit, & exprobrans illi salutaria monita sua, capulo gladii, os & dentes excutit. Postquam verò ad prostibulum aulæ suæ venisset, Parochum in cellarium detrudit: & aliquâ interpositâ morâ, cum evaginato gladio, in præfatum cellarium descendit, ubi extremos Spiritus agentem videns Parochum, eundem transfodit, & viscera gladium immersum in intestinis rotando transfixit. His peractis splendidè admodum epulatum est, sequenti die, supra cadaver, sarcastici joci facti, sub vesperam in terram abjectum est. Refrixit furor postmodum, & à media nocte surgens ille Lanio, Lovicium contendit, à Superiore Ordinis Patrum Sancti Francisci, de nomine Minorum, absolutionem petit, sed hac non obtenta, fugæ se commisit. Bonus Archiepiscopus, ad insequendum misso famulitio, comprehendit, & Loviciensi carceri inclusit. Quod ut factum, plurrima impedimenta obstabant, ne judicaretur. Si verò judicabitur, haberetur respectus sangvinis, honorum & dignitatum Rei, abjectæ autem Occisi conditionis susurrabant; instabant magni Viri, precibus & minis extorquebant, crimen extenuabant, occasionem facti contra occisum retorquentes. Justus Præsul, non respexit sangvinem, nullo respectu, nullis precibus & instantiis fractus, judicavit, multisque impedimentis abjectis, pervicit, atque ad perpetuos carceres, in Monasterio Częstochoviensi damnavit, sacerdote illo, seu potiùs Martyre sepulto in templo Fratrum Hospitalariorum Sancti Joannis de Deo, qui infirmis famulantur. Sic excelluit virtute justitiæ Mathias.

Reliquas ejus nobilissimas virtutes, pietatem quâ se veluti certissimo quærendæ æternitatis viatico munivit; indefessum laborem, quo sacra curavit; priscum illum & in omnes Candorem, quo veteris & melioris ævi mores renovavit; gravitatem, quâ cunctis erat venerabilis; in vultu & in sensu modestiam, qualem aliquis Antistitum Sanctioris notæ retinuit; ardentem in proximum Charitatem, quâ in se omnium amorem mirificè accendit; bonitatem gratam omnibus, quâ omnis conditionis ac statûs homines ad se traxit, & hilares à suo conspectu dimisit; ac tandem propensionem in omnes admirabilem, svavem morum masvetudinem, sermonis affabilitatem, quam qui experti fuerant, satis verbis explicare non poterant, & cæteras ingentes Mathiæ Nostri virtutes, vix quisquam dignis exornare sufficiet præconiis. Mirabantur plerique, has eximias Mathiæ virtutes, & eundem summis laudibus extollebant. Sic Sigismundus III. Poloniarum & Sveciæ Rex gloriosissimus, in literis ad Capitulum Miechoviense, Nostrorum Canonicorum dire-

directis, de data Varsaviæ, Die decima tertia Julii, Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, eundem jam Episcopum Posnaniensem, *magnæ virtutis Prælatum declaravit.* Janczynski in manuscriptis: *Hominem multarum virtutum censuit* Kochowski in annalibus Poloniæ: *Virum boni* & *æqui amantem, cujus virtutes plerique (sicut omnes sphæræ cursum primi mobilis,) respiciebant & imitabantur,* asseruit; Hoc & alii plurimi, qui ejus virtutum exemplô, ad supremum virtutis & Sanctitatis pervenerunt gradum, uno ore deprædicant, unô calamo exarant; Non dubitandum quin acceptissima sint cælo, tam pia ac Sancta ipsius opera, ubi Beatorum Spirituum cætibus sunt aggregata.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

De præparatione ad mortem, & morte felicissima Mathiæ.

ETsi tota vita Mathiæ Nostri, continua ad mortem præparatio fuerit, etsi novissimorum memoria, menti ejus adeò inhæserit, ut continuò mortis recordaretur, in auribus ejus perpetuò, tuba extremi judicii resonaret, infernum semper pertimesceret & ad gloriam cælestis Patriæ anhelaret, tamen dictam præparationem, tunc ardentissimè exercuit, quando se conspexit debiliorem & morti proximum. Considerabat enim sæpe, quàm sit incerta hora illa, in qua ipsum mors aggredietur, quòd corpori nullam aliam posse accedere meliorem sortem, quàm septem pedum foveam, idque cum aliorum Cadaverum societate. Veniebat ipsi in mentem ratio mox post animæ exitum reddenda, veniebant angustiæ, anxietates, quibus tunc homo, qui malè vivit, torquetur. Considerabat quoque, postrema illa infirmitatis accidentia, quàm sint horribilia atque timoris plena, nempè elevatum & emortuum pectus, raucam vocem, congelata genua, impressos oculos, pallidum vultum, denique omnes sensus magnâ animæ discedentis pressurâ conturbatos. Hæc contemplabatur sæpissimè Mathias Noster, & ad horam rationis suæ, maturè se præparebat. Considerabat item, quàm terribilis sit futura dies illa, in qua aperientur causæ omnes filiorum Adam, nostræque vitæ cuncti processus concludentur, & ultima sententia de unoquoque decernetur irrevocabilis in æternum. Considerabat quoque incendium illud universale, quod Judicem præcedet, & horrendum illum tubæ sonitum, quem edet Archangelus, ad convocandas omnes mundi generationes; Sed super omnia expendebat tremendam illam, in qua Judex veniet Majestatem, terribilem illam sententiam, quam Judex contra malos sit

fulminaturus: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Hæc meditabatur sæpissime Mathias, & hac sua consideratione, duos illos præstantissimos affectus, timoris Dei & odii peccatorum, in anima sua excitabat. Imaginabatur sibi tandem, locum inferni, & in illo duas præcipuas damnatorum considerabat pænas, alteram quam vocant sensûs, quòd nullus esset intra & extra animam sensus, qui suum proprium cruciatum non sit habiturus. Alteram quam appellant damni, absque ulla comparatione majorem primâ, quæ in sempiternæ visionis Dei, ejusque gloriosi consortii privatione consistit. In has igitur pænas æternùm duraturas, considerationis oculos defigebat, & ea consideratione, timoris Dei, altiores in anima sua radices jaciebat. Ruminabat denique, & oculos in cælum elevabat, ibique contemplabatur, loci præstantiam, Nobilitatem habitantium, gloriam futuram corporum, dulcedinem visionis Dei & amoris, & hac contemplatione, cor suum ad mundi contemptum inflammabat, ad diem illam, in qua venturus in conspectum Dei se præparabat. Hæc paulò breviùs, in suo testamento Mathias expressit, hancce suam novissimorum memoriam & ad mortem præparationem assiduam, brevibûs his verbis testatus est: *Etsi humanæ Conditionis & fragilitatis conscius, novissimorum semper memini, nunc tamen magis me eorum recordari, illisque prospicere decet, cùm Dei beneficiô, ætate longè progressus, annum octogesimum primum utinam feliciter? jam inchoavi;* Et ideo ab annis juventutis suæ, quotidie librum Spiritualem legebat, ut non sòlùm se in via ascetica exerceret, perfectionique & virtuti studeret, verùm etiam ut se per spiritualia exercitia, continuò ad mortem præpararet. Ita per omnes annos vitæ suæ Mathias Noster vixit, ut religiosissimè moreretur, ita moriebatur, ut æternùm Deo viveret.

Hac perpetua recordatione mortis, & omnium novissimorum adductus, licentiam testamentum condendi (memor votorum suorum in Ordine Nostro,) ab Urbano VIII. tempestivè, ante plùrimos mortis suæ annos accepit, Sepulchrum sibi in Ecclesia Cathedrali Vladislaviensi, dum ibidem Episcopatum gereret, (licèt necdum in decrepita ætate esset,) anticipatè struxit, & suum eidem corpus, penes Pstrokonium Antecessorem suum & Avunculum, ponendum inferendumque ordinavit. Postquam verò ab eodem tumulo, quem sibi in Cathedra Vladislaviensi composuerat, & quem mente assidua conceperat, voluntate Divina, ad Principem locum: ad dignitatis primariæ in hoc Regno fastigium, nempe ad dignitatem Metropolitanam capessendam promotus fuerat, & hic seriò, supremum illum diem meditari, corde & animo cogitare non intermisit. Statim enim à capta possessio-

sio-

ſione, Sepulchrum ſibi in Eccleſia Metropolitana Gneſnenſi paravit, eo fine Capellas binas, Hebdarum Anteceſſorum ſuorum, & Andreæ Critii Archiepiſcopi Gneſnenſis quadrageſimi ſexti, conjunxit, dilatavit, easdem à fundamentis reſtauravit, dote copioſa ornavit, & Corpus ſuum ſi ita divinæ voluntati placuerit, tumulare mandavit. Hanc Capellam & locum ſuæ mortalitatis exuviis deſtinatum, quotiescunque Gneſnam adibat, ſæpiùs viſitabat, lachrymis copiosis rigebat, & agonem ſuum Domino ferventer commendabat.

His itaque actis, cùm ad annum vitæ ſuæ octogeſimum veniſſet, acſi de morte & extrema illa die certior factus, vehementiùs de illa cogitare cœpit. Hinc condito teſtamento, piis largitionibus pleno, de Data Uniejoviæ, Die ſecunda menſis Octobris, Anno Domini, milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo primo, ætatis ſuæ octogeſimo, & per Adamum Caſimirum Oporovium, Lovicienſem & Lancicienſem Canonicum, Curiæ ſuæ Archiepiſcopalis Actuarium, conſcripto, diſpoſitisque pro anima ſua anniverſariis, in Eccleſiis Cathedralibus, quibus Epiſcopus præfuit, abſolvendis, in Eccleſia Metropolitana Gneſnenſi, uno, die obitûs ſui, altero, poſtridie poſt feſtum Sancti Mathiæ Apoſtoli decantando; in Eccleſia Cathedrali Vladislavienſi, uno, die mortis ſuæ, altero, poſt feſtum Sancti Mathiæ celebrando; in Eccleſia Cathedrali Poſnanienſi, uno, die obitûs ſui, altero verò, poſtridie poſt feſtum Sancti Mathiæ Patroni ſui; in Eccleſia Cathedrali Chelmenſi Craſnoſtavum tranſlata, duobus pariter anniverſariis, uno, die obitûs ſui, altero, poſt feſtum Sancti Mathiæ abſolvendo. Ac tandem in aliis Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, in quibus minora beneficia & Prælaturas obtinuit, anniverſaria pro anima ſua fundavit. In Eccleſia Cathedrali Cracovienſi, ubi Canonicus fuit, unum anniverſarium die obitûs ſui quotannis abſolvendum; In Eccleſia Collegiata Lancicienſi, ubi Præpoſitus fuit, unum itidem anniverſarium, die obitûs ſui quotannis peragendum; In Eccleſia Collegiata Sandomirienſi, ubi Cuſtos fuit, anniverſarium die obitûs ſui; In Eccleſia Ordinis Noſtri Miechovienſi, ubi Præpoſitus Generalis fuit, unum pariter anniverſarium quotannis celebrandum ordinavit. Deinde in aliis inſignioribus Eccleſiis, ad quas ſpecialem affectum gerebat, & in quibus numeroſiorem Clerum, ad peragenda Divina officia reperiebat, eadem anniverſaria fundavit. Sic in Eccleſia Collegiata Lovicienſi, unum anniverſarium die obitûs ſui; In Eccleſia Collegiata Uniejovienſi, unum anniverſarium die mortis ſuæ; In Eccleſia Collegiata Curzelovienſi, unum Anniverſarium die obitûs ſui; In Eccleſia Collegiata Camenenſi, unum anniverſarium pro anima sua die mortis ſuæ abſolvendum fundavit, ordinavit, & hoc

ſine ſummas congruentes in cenſum collocandas numeravit, & per Teſtamentum legavit.

Neque Monaſteria aliasque Regularium Eccleſias, prætermiſit Mathias; Hinc Collegio Ravenſi Societatis Jeſu, Reſidentiæ Choynicenſi ejuſdem Societatis, Monaſterio Dantiſcano Ordinis Prædicatorum, tum omnibus & ſingulis Monaſteriis, Conventibus, per totam Archidiæceſim Gneſnenſem ſatis amplam, conſiſtentibus, millia centena florenorum, enumerari mandavit, & ut Deum pro anima ipſius prædicti Religioſi exorarent, anniverſaria tum triceſimas abſolverent, obligavit, & inſuper aliquot millia florenorum enumeravit, in ſecretiori ſcatulæ arcula depoſuit, & eandem ad notitiam domeſticorum & ipſius Theſaurarii ſui, ore tenus deduxit, ut ſtatim dum expiraverit, non expectata apertione Teſtamenti, ad ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificia, ad triceſimas pro anima ſua celebrandas, ad Eccleſias diverſas, tam ſæcularium quàm Regularium viciniores, ubi Sacerdotes frequentiores reperiuntur, ſive Archidiœceſis ſuæ, ſive alterius Diœceſis, quantocyùs enumerarentur & diſtribuerentur, ſeriò Executores ſuos & Theſaurarium ſuum obſtrinxit & obligavit. Poſtquam verò tam pias & ſanctas diſpoſitiones feciſſet, & orationes tum ſacroſancta miſſæ myſteria, pro anima ſua imploraſſet, totum & omne id, quidquid præter expenſas, in varias fundationes Eccleſiarum erogatas, remanſerat, Eccleſiœ Metropolitanœ Gneſnenſi, & Collegiatœ Lovicienſi dedit, donavit, eaſdemque Eccleſias, ſuarum rerum pretiò comparatarum, hœredem ſcripſit & ordinavit.

Poſt hœc laudabiliter transacta, Executores ſuœ poſtremœ voluntatis, extremis tabulis inſcripſit, nempe Sereniſſimum Joannem Caſimirum, Poloniarum Regem, non quòd relictœ opes, non poſſent habere diſpenſatorem niſi Principem, ſed prout Kochowſki, in ſuis annalibus Poloniœ fatetur, ut tanto prœſcripto nomine, innocuum ſe à corradendis illis, quas vix ullas reliquerat, teſtaretur. Inſcripto taliter ſui Teſtamenti Executore Sereniſſimo Rege, eundem benedixit, & ut eum Deus, poſt ſera fata & longœvos annos, ex hoc terreno Regno, ad illud cœleſte, cui non erit finis, transferret, apprecatus. Verba ipſa Mathiœ pono: *Majeſtati ejus gratiis humillimè actis, pro omnibus beneficiis, Eandem obnixè rogo, benignè mihi condonare velit, quòd non ita ut debui, ejus Majeſtati inſervierim & officium impleverim; Quòd reliquum eſt, Deum precor, ut ejus Majeſtatem, ad propagandam Nominis ſui gloriam, hoſtium terrorem, Patriæ & ſoli Chriſtiano Orbi ad commodum & tutelam, quàm diutiſſimè ſervet, ac demum poſt ſera fata & longævos annos, ex hoc terreno Regno, ad illud cæleſte, cui non erit finis transferat, & æternæ beatitudinis faciat participem.* Tandem reliquos Executores ſuos, nempe Adalbertum

bertum Łubieński Castellanum Siradiensem, suum ex Fratre Nepotem; Nicolaum Łayszczewski, Castellanum Sochaczoviensem, Mareschalcum Curiæ suæ; Martinum Starczewski Canonicum Gnesnensem, Supremum Referendarium Regni, suum ex sorore Nepotem; Simonem Kołudzki, Præpositum Gnesnensem Gentilem suum; Andream Trzebicki Scholasticum Płocensem, pariter suum Nepotem; Andream Olszowski Curiæ suæ Cancellarium; Alexandrum Magnuski, Gnesnenses, Vladislavienses Canonicos, inscripsit, constituit & ordinavit. Tabulis Supremæ voluntatis confectis, & assignatis Executoribus, toto illo tempore diem illam extremam cum tædio vitæ hujus, cum desiderio quantocyus videndi Deum expectabat. Nullus ipsi placebat sermo, nisi de rebus Divinis, nisi de cælesti Patria, nisi de Divina erga genus humanum clementia.

Venit tandem annus proxime sequens, millesimus sexcentesimus quinquagesimus secundus, vitæ ejus ultimus, quô inceptô, ardentius se ad mortem præparare cœpit, illamque per verba sequentia, omnibus pro tunc præsentibus prædixit: *Annô secundô supra millesimum quingentesimum septuagesimum sum natus; Annô secundo supra millesimum sexcentesimum Presbyter ordinatus & Divino Altari dedicatus; Annô secundô suprà millesimum sexcentesimum quadragesimum, Archiepiscopus Gnesnensis factus; Annô secundô suprà millesimum sexcentesimum quinquagesimum moriar.* Hinc ferventiores affectus eliciebat, majori studio ad Supremam illam diem se muniebat, diuturnam suam vitam, jam esse querulabatur, & de carnis ergastulo ut ocyus educeretur, frequenter ingeminabat. Accidit eodem Anno, millesimo sexcentesimo, quinquagesimo secundo, ut is annus sacerdotii ejus esset quinquagesimus, quare pro more & sua devotione, annum Jubilæi sacerdotii sui agens, & primitias secundas, in Ecclesia Abbatiali Czervenensi, Canonicorum Regularium Lateranensium, magno Populi gratulantis accursu, cum summo devotionis affectu celebrans, ad eandem mortem constanter & piè obeundam, se præparabat.

In eodem anno, in festo Assumptæ in cœlum Virginis, absolutô devotissimè Sacrificiô missæ in Arce Loviciensi, marasmo senili, & alvi fluxu ingravescente correptus, langvere cæpit, lenta erat vis morbi, cujus causa fuerat, senectus attrita laboribus, nec enim ille medicinis uti consveverat, constanti semper existens valetudine, & cùm se magis debilitari sensit, intellexit vir Dei, sibi hanc infirmitatem extremam fore, & festivitatem assumptæ in cœlum gloriosissimæ Virginis, prœnuntiam mortis suæ fuisse. Atque ita conveniebat, ut ille, qui in festo Virginis Mariæ, primam mundi accepit lucem, in festo Virginis Mariæ, initia accipiat ejus infirmitatis, qua mediante, huic valedicet mundo, cælestem Pa-

triam salutaturus; Maria, quœ lucem primam dedit, Maria lucem perpetuam Mathiœ Nostro donavit; quœ Nativitatis felicissimœ, Eadem & mortis Sanctissimœ Nuntia; Quœ in Nativitate, Eadem & in morte Mathiœ Nostri Patrona. Assumptœ in cœlum Virgini, insignem Ecclesiam Collegiatam Lovicien sem, appropinquans jam morti fundavit Mathias Noster, Assumptœ in cœlum Virginis Ecclesiis, Metropolitanœ & Loviciensi, totum quidquid habuit, per testamentum donavit, easdemque hœredes suarum rerum scripsit; Non poterat vinci Maria à Mathia, pro temporali domicilio, æternùm duraturam domum, per bonam mortem donavit, ad quam sanctiùs obeundam, per infirmitatem in suo festo Assumptionis cæptam, Mathiam deposuit.

Itaque se tutelæ Virgineæ, cujus in festivitate infirmari cœpit, ardentissima oratione insinuat, voluntatem suam cum Divina conformat, nihil in morbo de consveta vivendi norma detraxit, non preces imminuit, non aliquid corpori refocillando dedit, missas quolibet die, maxima cum devotione, cum jam destitutus viribus, ipse sacris operari non posset, cum immensa lachrymarum profusione audivit, preces Canonicas, coronas, salutationes angelicas recitavit, omnes qui eum adire vellent, facillimè admisit, excerptas ex Sacris Scripturis sententias, frequenter in ore habuit. *Paratum cor meum Deus; quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum; concupiscit & deficit anima mea in atria Domini; cupio dissolvi & esse cum Christo; Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus.* Et cum in omni vita, pietatis, religionis & cultûs Divini studiosissimus fuisset, non priùs ab his desistere voluit, quàm extremum Spiritum edidisset.

Hoc morbi interstitiô, interrogabat aliquoties adstantes, quàm citò ventura esset dies, Sanctô Augustino Sacra? cumque adstantes septimô, altera vice sextô, sive quinto ab hinc die, venturam eam respondissent, intulit ille: hac die Professionem in Ordine Canonicorum Sancti Sepulchri feci, & valedixi mundo; Audientes sibi inferebant aliqui: *sperat se in festo Sancti Augustini moriturum*; Aliqui autem & certò certiùs: *Scit se in festo Sancti Augustini moriturum.* Quotiescunque autem mentio facta, de festo Divinissimi Augustini, in extraordinarios affectus prorumpebat, Orationes Ejus ardenter exposcebat, quem sibi Patronum, in vita & in morte, etiam testamento impressum assignaverat.

Cùm morbus majora incrementa sumeret, etiam majora indicia Sanctitatis, in Mathia Nostro elucebant, nunc supplices manus in cœlum tendebat, nunc Imaginem Crucifixi, & Sanctissimæ Mariæ Virginis amplectebatur, lachrymis abluebat, nunc oscula eis figebat; actus fidei, spei, doloris, gratiarum actionis, Deo sæpiùs

magna

magna cum humilitate repetebat, quos etiam in testamento expresserat: *Agnosco Sanctissimam Trinitatem, principium & finem beatitudinis meæ, atque humillimè, indignissimus peccator, Deum Patrem, quòd me creaverit, Deum Filium, quòd me pretiosissimo sangvine suo redemerit, Deum Spiritum Sanctum, quòd me Sanctificaverit, adoro. Quòd si me (quod Deus avertat) vi morbi afflictum, fraude dæmonis aut perturbatione mentis, secus aliquid quàm Sancta Romana Orthodoxa Ecclesia docet, dicere vel cogitare contigerit, id non pro dicto vel cogitato haberi volo: Doleo præterea ex corde, quòd infinitam bonitatem sæpiùs in vita offenderim, gravissimîs peccatîs meîs, quæ ex animo detestor, & confido in infinita Dei misericordia, quòd precibûs Beatissimæ Virginis Mariæ, Sancti Mathiæ Apostoli, Sancti Augustini Episcopi & Confessoris, Sanctorum Adalberti & Stanislai, aliorumque Sanctorum Patronorum meorum, ea mihi remissurus sit. Insuper eidem Creatori & Domino, vilissimus homuncio ago gratias, quòd me non solùm sacris altaribus, ad laudem nominis sui adstare voluerit, sed etiam ad statum Episcopalem & dignitatem Primatialem, vocaverit, & pluribûs annîs in Ecclesia sua laborare fecerit, atque ad ætatem ita longævam, constanti ferè semper valetudine perduxerit.*

Adveniente autem Vigilia Festi Divinissimi Augustini, morbo in dies crescente, licèt sæpius sacra exemologesi se expiare consvevisset, vocat tamen Sacerdotem, pro tunc Societatis Jesu, ex Collegio Ravensi apud se commorantem, cui summo cum dolore, totius vitæ suæ rationem reddit, veniam delictorum poscit, & animo perpurgato, sacrum Oleum, Christiano ritu ungendus, adferri jubet. Aderant plurimi Prælati, Canonici, Presbyteri, Religiosi, orantibûs illis, & Sacras Litanias recitantibûs, Ille, cum alii, *Ora pro eo* dicerent; *Ora pro me* suspirabat. Cùm verò venisset dies, Divinissimo Augustino Sacra, summo manè, Sanctissimum Sacramentum adferri jubet; quo perlato, multas profudit lachrymas, partim ex humilitate, indignum se censens, tali Divina dignatione, partim ex animi ardore, viaticum peregrinationis suæ exoptans. Aderat jam instans, quo Sanctissimo Corporis Christi Viatico, refici deberet, Deum Omnipotentem, animo magis quàm corpore, cùm extremè debilitatus morbô fuisset, profundè adorat, orationem Centurionis identidem repetit: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum*; senile pectus tundit, & Sanctissimum Chricti Corpus, Viaticum pernecessrium, ad illud iter extremum, in cælestem Patriam conficiendum sumit. Diligenter & piè tunc illi omnes famulabantur, hic Crucem, alter Sanstissimæ Deiparæ Virginis imaginem, ante oculos ejus tenebat, alius Psalmos, orationesque cæteras, ei insinuebat.

Cùm hora septima venisset ejus diei, ante meridiem, qua reddere deberet Creatori suo animam, subitò se ad Deum Creatorem

convertit, & Crucifixô manu apprehensô, suos in Jesum Cruci affixum oculos defixit. Non hìc aliqua terribilia spectra, non infernales furiæ, non terrores aliqui, sed placidissimè, religiosissimè, sine aliquo Corporis motu, repetitis millies, per hanc suam infirmitatem, & in ipso agone, licèt vox deficeret, Sanctissimis Nominibûs: *JESUS, MARIA*; invocatô toties Divinissimô Augustinô, cujus in festo id factum fuerat: *Sancte Augustine Ora pro me*; pronuntiatis devotissimè illis Palmi versiculis: *In manus tuas Domine, commendo spiritum meum*; animam Creatori suo reddidit, Annô Domini, millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo, ætatis suæ octogesimo primo, Die Mercurii, quæ erat vigesima octava, mensis Augusti, Divinissimo Augustino suo Patriarchæ Sacra. Coluerat Mathias à tempore, quo in Ejus festo professionem religiosam, in Ordine Canonicorum Sancti Sepulchri fecit, peculiari ritu Divinissimum Augustinum, eundem sibi in Patronum singularem assumpsit, festa illius promovit, Ordinem ejus novis fundationibûs ampliavit, jura ejus Ordinis, zelosissimè promovit, nec dubito quin eum præsentem, in ipso mortis certamine habuerit, nec casu factum crediderim, ut in ejus festo, die professionis suæ exspiraverit.

Postquàm verò de morte ejus divulgata fuisset fama, protinus multi imò omnes, mærore intolerabili conficiebantur, ob ereptum sibi Patrem, Pastorem & miseriarum levamen. Personabant plateæ atque viæ publicæ, ejulatibûs miserorum: O nos ajebant Orphanos! o infaustam Poloniam! quis splendore doctrinæ, nostras mentes caligine obfusas collustrabit? quis juvabit nos apud communem omnium Parentem? quis pro nostris reatibus, misericordiam implorabit Divinam? O quis tandem nobis, nostrum novellum Moysen, pro nostris animabus zelantem, nosque cum irato Judice reconciliantem, è medio nostrûm sustulit? dignus erat propter summam prudentiam, humanitatem, candorem, vitæ integritatem, ingenii bonitatem, ut nunquam moreretur. Auxit lugubres epicinias, familiæ Lubieńsciorum plangor, qui magno & intolerabili dolore cruciabantur, quòd viderent suæ Familiæ decus, Orbis Poloni lumen exstinctum, terris ereptum, & cælis redditum. Proceres Sacri, amplissimi Patres Capituli, universus Clerus cum Populo, o quot fudit vota ad superos, ut viveret illis Mathias Noster immortalis! simulque præesset & prodesset perenniter! Sed quia id stante Decreto Divino, impetrari non potest, ô quot preces tulit, ut viveret ampliùs ut longè moreretur posteriùs! Universô Canonicorum Sancti Sepulchri Clero, multiplicatæ Cruces, dum qui binas in pectore pro Insigni & Decore portabant Cruces, amisso tam Pientissimo suo Patre, millenis in corde torquebantur. Lugebat Archidiœcesis Caput, plorabat Clerus Pontificem, deflebat

mœstissi-

mæstissimus grex & Conventus, suam miseriam & sine Pastore sortem: Auxerunt communem omnium dolorem, Prælati & Canonici Metropolitani Gnesnenses, dum de morte Religiosissimi Archipræsulis certiores facti, pro anima ejus in Metropolitana Ecclesia, & per universam Archidiœcesim, preces, suffragia, & pulsum campanarum faciendum decreverunt & mandaverunt. Pulsabantur campanæ, & corda pupuli feriebant; edebant Ecclesiæ feralem sonum, hæ Sponsum, aliæ Fundatorem gementes, & suo sonitu corda hominum perstringebant. Sed præstat tanti doloris & gratitudinis, à Capitulo Metropolitano Gnesnensi, erga pientissimum Archipræsulem suum, inserere documentum.

Anno Domini, millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo, Die Veneris, trigesima Augusti. Perillustres & Admodum Reverendi Domini, Albertus Wężyk Decanus, Alexander Glembocki Archidiaconus, Stanislaus Slawieński Cancellarius, Adamus Piątkiewicz Sacræ Theologiæ & Juris utriusque, Joannes Chrysostomus Bodzienta Sacræ Theologiæ & Juris utriusque Doctores, Prælati & Canonici, hujus Primatialis Ecclesiæ, Capitulariter fuerunt congregati. In medium Perillustrium & Admodum Reverendorum Dominorum, literæ allatæ sunt per Nuntium, ab Illustribus & Admodum Reverendis Dominis, Prælatis domesticis, Curiæ Archiepiscopalis, quibus denuntiatum, quòd Illustrissimus & Reverendissimus Dominus, Mathias Lubieński, Archiepiscopus Gnesnensis & Primas Regni, juxta beneplacitum Altissimi, vitæ necisque Domini, plenus dierum & meritorum, exuvias mortalitatis, die vigesima octava Augusti, hora circiter septima ante meridiem, cum ingenti non tantùm Prælatorum & universi Cleri dolore, verùm etiam singulari orbatæ Curiæ & populi luctu & mærore, in Arce Lovicensi deposuerit. Quocirca, in hoc communi dolore, cupientes Perillustres Domini, animæ tanti Præsulis, de Republica meritissimi, & tum aliarum, potissimùm verò hujus Metropolitanæ Ecclesiæ, liberalissimi Benefactoris, suffragium afferre, juxta antiquum morem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tum etiam non contravenientem istius Primatialis Ecclesiæ consuetudinem, ut videlicet defuncti Archi Præsulis anima, piis Fidelium supplicationibus juvetur, eodem ipso, & aliis sequentibus diebus, usque ad depositionis & sepulturæ diem, tum circa hanc Metropolitanam, tum in omnibus, intra & extra mænia Civitatis Gnesnensis Ecclesiis, atque adeò per totam Archidiœcesim, pulsum campanarum faciendum, decreverunt & mandaverunt. Nec non tremendum missæ Sacrificium, in refrigerium ejusdem animæ, ipso die accepti lugubris nuntii, cum vigiliis juxta statuta Ecclesiæ decantandum, censuerunt, prout per ipsosmet Perillustres & Admodum Reverendos Dominos, hæc sunt celebrata & absoluta. Ex actis Reverendissimi Capituli Gnesnensis extractum &c.

Poſtquàm verò omnis decentia, penes corpus Mathiæ procurata fuit, illico Executores & alii, quibus hæc cura commiſſa, de funere & ſepultura cogitare cæperunt. Igitur Corpus Lovició Gneſnam movetur, ingens multitudo populi, varii ſtatûs & conditionis congregatur, quorum aliqui inter profunda ſuſpiria, animæ piiſſimi Archipræſulis, requiem æternam apprecabantur, aliqui Ejus orationes & interceſſionem ad Deum, ſupplicibûs votis exoptabant. Cùm autem corpus propè fuiſſet Gneſnam, ingens multitudo populi, in occurſum corporis piiſſimi Archipræſulis ſui Paſtoris evoluta; Aderat copioſus ex tota planè Archidiœceſi Clerus, aderat multitudo Regularium, præcipuè Mendicantium, ex variis Diœceſium Conventibus (quorum ſinguli Conventus, quingentos florenos participarûnt,) congregata, qui longo & pulchro Ordine, ipſum feretrum, mitrâ & aliis inſigniis Archiepiſcopalibûs ſuperpoſitis opertum, ex loco, unde lugubris pompa proceſſit, antecedebant; Floriano Duce in Klevan Czartoryiſki, (quem non ita pridem Mathias, Annô videlicet, milleſimo ſexcenteſimo Quinquageſimo primo, die vigeſima nona Januarii, in frequenti utriusque ſtatus, Spiritualis & Equeſtris concurſu, ſolenni ritu, in Epiſcopum Poſnanienſem conſecravit Lovicii,) Epiſcopo protunc Poſnanienſi, unà cum aliis ſacris Proceribus, agmen claudente. Ingreditur itaque ad ſuam Cathedram Præſul, ad ovile Paſtor, ad Eccleſiam Sponſus, à ſuis ovibus non cenſum, non tributum, ſed pias lachrymas & ſuſpiria recepturus. Fuerunt multi ex Proceribus, qui Corpus ejus videre, faciem intueri, ſummô deſideriô anhelabant, ad quorum inſtantiam cùm aperta fuiſſet urna, facies Archipræſulis, quæ omnibus erat affabilis, veneranda apparuit, & acſi vivida, acſi ſomnum cæpiſſe potiùs, quàm mortua eſſe, exiſtimari potuit.

Adveniente autem die, pompæ lugubri & funebrali deſtinata, nempe die ultima Septembris, Anni ejuſdem, milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi ſecundi, funus in Eccleſia Metropolitana Gneſnenſi, decentiſſimè & honeſtiſſimè, ſumptu tamen minimè ſuperfluo, prout ipſemet in Teſtamento obligaverat, peractum. Frequentia Sacerdotum tam ſæcularium quàm Regularium, ex Archidiœceſi & aliis Diœceſibus fuit tanta, ut pro abſolvendis ſacroſanctis Miſſæ Sacrificiis, à Summo manè, usque poſt meridiem, altaria licèt in Metropolitana Eccleſia fuerint numeroſiſſima, vix ſufficerent. Florianus Dux in Klevan Czartoryiſki, Epiſcopus eo tempore Poſnanienſis, è ſuggeſtu Concionem habuit, & ſuo Conſecratori ſupremum honorem exhibuit, alteram Paulus Kaczyński Societatis Jeſu, Vir virtute & zelo honoris Divini ferventiſſimus, Concionator ſui œvi, in principaliſſimis Eccleſiarum in Regno Exedris, cum magno animarum fructu laudatiſſimus, qui pientiſſimi Archipræſulis virtutes

& Sanctitatem, merita in Ecclesia & Patria, ad imitationem præsentium, memoriam posterorum, maximis laudibus commendârunt.

His ita pro decentia peractis, corpus in Capella, à defuncto Archiepiscopo eo fine restaurata & dotata, nunc Lubieniana dicta, cum magno Familiæ & amicorum luctu, Cleri suspirio, Pauperum & egenorum, quorum tunc temporis innumerabilis multitudo fuit, planctu, & omnium communi dolore, in sepulchrum illatum, & honorificè tumulatum est. Licèt autem taliter Mathias Noster tumulatus, & ex oculis mortalium ereptus sit, virtus tamen ejus vivit, vivetque in æternitate temporum, famâ rerum, neque illam poterit ulla obliterare oblivio. Successorem in Cathedra Metropolitana Gnesnensi accepit, Andream Comitem Leszczyński, de stirpe Wieniavitarum, Regni Supremum Cancellarium. Ejus memoriæ, ab Executoribus, in ipsa Capella positum est Epitaphium marmore incisum.

D. O. M.

Mathias Lubieński, Sventoslai & Barbaræ de Zapolice Filius, Stanislai Episcopi Plocensis, Alberti Pultoviensis Præpositi, Canonici Cracoviensis, Sophiæ Abbatissæ Olobocensis, & Martini Societatis Jesu Theologi, germanus Frater; in Aula Sigismundi III. piè versatus, ex minoribus Sacerdotiis, & Regente Cancellariæ, Præpositus Miechoviensis, Custodum Sanctissimi Sepulchri Domini, eorum Professus Institutum, post à Gregorio X. Chelmensi Ecclesiæ, ab Urbano VIII. Posnaniensi, deinde Vladislaviensi præfectus, tandem nominatione Vladislai IV. ad Archiepiscopatum Gnesnensem, Primatum, Principatumque Regni, provectus fuit. Summa in Deum pietate, & admiranda humilitate, cunctis exemplaris, raroque animi candore amabilis, Ludovicam Mariam, illius Regis Consortem, diademate cinxit; Joannem Casimirum, Regem renuntiavit & Coronavit. Basilicam hanc ruinis proximam, stabilitati, nitorique restituit, & censibus ampliavit. Australem turrim à fundamentis eduxit, ac ære bracteato contexit, Ecclesiam Sponsam, cujus semper decorem dilexit, Supremis tabulis hæredem scripsit. Tandem Alberto Lubieński Castellano Siradiensi, Predecensi Capitaneo ex Fratre, Martino Starczewski Abbatiæ Trzemesznensis Administratore, Regni Referendario, ex Sorore, & Andrea Trzebicki Regni Procancellario, Præposito Plocensi Nepotibus, ac sui testamenti Executoribus complorantibus, dierum gloriæque plenus, Lovicii placidè obdormivit. Annô Domini, MDCLII. XV. Kalendas Septembris.

Aliud in Ecclesia ArchiCathedrali Gnesnensi, penes eandem Capellam, in lapide marmoreo, eidem Archiepiscopo, inscriptum extat Epitaphium.

D. O. M.

Mathias Lubieński, armis Pomianus, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, Primusque Princeps. Post multa refecta, expolita ære bracteato, circa hanc Basilicam Sacella, Critianum hoc vetustate collapsum, à fundamentis excitavit, augustiore amplitudine, altari, picturaquè, marmore decoravit, & censu Sacerdotum aucto, cantu missæ Beatæ Mariæ Virginis figurali quotidiano, illustravit, atque hicce mortalitatis exuviis deponendis, vivens, sibi suisque lapidem terminum fixit, sub quem piæ Matris Barbaræ de Zapolice cineres, intuli, Annô Domini, MDCLII. quo Jubilæum Sacerdotii, magno populi gratulantis accursu, quinquagenarius Presbyter, absolvit, ætatis suæ LXXXI.

Erat Vir statura mediocris, vultu albo, affabili, in gravitatem Auctoritatemquè composito, capillo raro & pendulo, oculo modesto, voce demissa, incessu tardus, ingenio prompto, eruditione non vulgari, judicio maturo, corde candido, pectore aperto, in mensa privata frugalis, in publica Magnificus, proclivis ad lachrymas, unde sæpiùs non ex aliqua tristitia aut perturbatione animi, sed potiùs ex interna aliqua cordis lætitia, illachrymabatur. Regibus Poloniæ, Sigismundo, III. Vladislao IV. Joanni Casimiro, Pontificibus Romanis, Urbano VIII. Innocentio X. Charus; in adversis nunquam concessit locum tristitiæ, aliquando in maximis adversitatibus, nonnihil movebatur, sed uno verbo leni audito, tranquillari solebat.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM

De Opinione Sanctitatis Mathiæ.

CUm veræ virtutis cultu, non falsis vulgi opinionibus, magnum ubique nomen acquisivisset Mathias, protinus sanctitas ejus appretiari, opinio bona de eadem haberi, & ubique honorari cæpit. Hinc cùm adhuc in hac vita mortali esset, tantæ existimationis fuit, ut Negotia Regni, in maximis adversitatibus consistentia, ejus orationibus commendarentur, & dum eadem feliciori eventu finita essent, ejus suspiriis, & efficacibus ad Deum lachrymis, adscriberentur. Eo Archiepiscopatum gerente, post mortem Vladislai IV. Annô millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo, periculosissimum subsecutum est Interregnum, nam Bogdanus Chmielnicki, Dux Cosacorum, cum numerosa multitudine suorum militum, accipiens sibi ab Hano, in adjutorium septem millia Tartaro-

tum,

rum, Polonis bellum intulit, & primo sub Zoltewody, victoriam de ipsis reportavit, postea sub Korsunie, utrumque Ducem Exercituum Regni, Potoccium & Kalinowscium, cum multis Proceribus Poloniæ comprehendit, exercitumque sub Konstantynow facilè profligavit, qui sinè Ducibus, tanquam absque Capitibus, proclivior fuit ad subeundam cladem, quàm ad dandam inimicis Patriæ resistentiam, His victoriis elatus, ubique Civitates, villas ac Domos Nobilium depopulabatur, Ecclesias spoliabat, profanabat, & nec Sepulchris parcebat, in eorum Cadavera sæviendo, & eadem, de illorum Sepulchris ejiciendo. Non hìc calamitatibus finis: Nam post obtentas has victorias, Annô futurô, millesimô sexcentesimô quadragesimo nono, sub Zborow, nostri à Cosacis obsidione cincti, coacti sunt sub certis gravioribus conditionibus, cum Chmielnicio, inire pacem, appromissa Tartaris grandi pecuniaria summa.

In his angustiis & calamitatibus, gemebat ad Mathiam populus, quorum lachrymas, Damalewicz in præfatione Libri, cui titulus: *Series Archiepiscoporum Gnesnensium*, expressit, & loco enarrationis gestorum nobilium, à Mathia Nostro factorum, laudum Familiæ & meritorum in Patria, nomine omnium, potentissimas preces, & supplicationes ad Deum, Mathiæ Nostri imploravit. Suspirabat ad Mathiam nomine omnium, hic præclarissimus Auctor: *Leva puras ad Deum manus, Cornuti Regis exemplo, ut te orante, fidelis exercitus, sit rebellibus catervis formidolosus, ut post depressam superbæ rebellium Cosacorum perduellionis arrogantiam, Joanni Casimiro potentissimo Regi, rediviva Gnesnensium Archiepiscoporum Corona cinctus, obviam procedens, triumphale illud epos, gratulabundus occinas, quod olim Abrahamo Victori, Primas Sacerdotum Melchisedech, occinuit: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cælum & terram, & Benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Hoc vovemus omnes, hoc ab Uri tui fortitudine, ut contra Deum sis fortis lachrymis, & supplicatione prævaleas, gemebundi præstolamur*. Neque frustrata sunt desideria Poloni populi, nam electo Joanne Casimiro, lætior nuntius venit: nostros aliquoties, tum sub Zborow, tum sub Machnowce, ac tandem sub Rosołowce, de Chmielnicio victoriam reportasse, ubi Dux Jeremias Wisniowiecki, Krzywonosum Tribunum Cosacorum, profligavit, & numerata sunt in variis congressibus, Cosacorum quinquaginta millia cæsa, nostrorum autem, tantùm octingenti periêre. Posthæc Annô Domini, millesimo sexcentesimo quinquagesimo primô, felicissima victoria Polonorum, sub Beresteczek canebatur, ubi singulariter Joannis Casimiri Regis, Jeremiæ Ducis Wisniowiecki, & totius exercitûs Poloni, invicta virtus patuit. Innumera ibidem multitudo Cosacorum & Tartarorum cæsa, occisus inter numerosa Cosacorum agmina, & Patriarcha Græcorum de Constantinopoli;

Hanus verò, qui cum toto exercitu Tartarorum, invadebat Polonos, tunc recedere debuit, Chmielnicki autem post turpissimam fugam, pacem à Rege per Emissarios suos expetiit. Hujus memorandæ victoriæ, prognoscis fuit, visa ab aliquibus ante prælium in äere, Mater Dei, suo paludamento Castra Polonorum cooperiens, cum Sancto Michaele, Hanum fugitivum insequente, & fulmina in ipsum vibrante, ut scribit Franciscus Pulaski, in sua brevi annotatione, Comitiorum Regni, Polonice impressa.

Hunc felicissimum eventum belli, Victoriæ & Triumphi, aliqui erant, qui precibus adscribebant Mathiæ, ejus efficacibus ad Deum & Matrem Sanctissimam, tribuebant suspiriis, ejus deferebant piis lachrymis. Sic Albertus Cieciszewski, Sacræ Theologiæ Doctor Societatis Jesu, in præfatione Concionis, Leopoli habitæ, Annô Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, aliquas victorias Poloni Exercitûs de Chmielnicio, ardentibus precibus ad Deum directis, Mathiæ Nostri adscripsit. Imò totum Poloniarum Regnum, sub illo post Vladislaum IV periculosissimo Interregno, quo omnes infelicitates, in Patriam nostram conspirarunt, jam jam ruiturum, & in alienas vicinarum Potentiarum manus, perventurum foret, si non Sanctissimis ad Deum precibus & supplicationibus, Mathiæ Nostri fulciretur, attestante Paulo Potocki, Castellano Camenecensi, in libro suo, cui Titulus: *Sæculum bellatorum & Togatorum, seu centuria Clarissimorum Virorum, Polonorum & Litvanorum:* ubi sub titulo: *Mathias Lubienski;* sic inquit: *Ea præcipua in Regno Poloniæ, Regum ritè inaugurandorum Auctoritas, ut post pleraque Sacerdotiorum, & Ministeriorum publicorum subsellia, Mathiæ Lubienscio, Siradiensis Patricio Dynastiæ, inter selectiores eminentiori Antistites, obtigit uni, ita turbulentissimo, illo post fata Vladislai Interregno, (quo felicissimi Regum, infregisset sceptrum, vix non pomum, id est Orbem nostrum, ad alienas id est serviles devolverat manus, noverca fortuna,) maximè congruere videbatur. Cùm etenim infensiores vicinorum nostrorum animi, aut potiùs timida vota, fluctuantem sive jam naufragantem Rempublicam nostram, prædamnassent veluti ad remum, postliminio emersimus, sive redimus ad Regnum, excubante pro periclitante Patria, & extendente manus, imò supplicante Lubienscio eidem Numini: quodsi ad nutum & arbitrium unius armati, in prosequenda victoria, sistere potuerat solem, quidni ad expugnatricem cæli, tanti Mitrati religionem, nostrarum calamitatum, aliò diverteret cursum.* Unde & Joannes Dionysius Lobżyński, Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ, visa gravi solicitudine Mathiæ Nostri circa Patriam, visis tot uberrimis Mathiæ pro communi salute Patriæ, fusis ad Deum lachrymis, considerata ipsius eximia Sanctitate, eaque admirata, eundem Mathiam, in sua Analecta, inscri-

ptione

ptione decima ſexta, futurum Regni Poloniæ Patronum, inter Sanctos in cælo numerandum ſcripſit, dum ſic ibidem inquit: *Mathias Lubienſki, ubi ſatis Eccleſiæ, Patriæ felicitati, cælo, ſuper omnia maturus vixerit, inter Polonorum futurus Indigetes, Pater & Patronus.* Sic & Paulus Gorſki, Academiæ Cracovienſis in Philoſophia Baccalaureus, in ſua lucubratione: *Primatus Regni Poloniæ honorificentiſſimus*, intitulata, in Mathiæ Noſtri ad Eccleſiam Metropolitanam Gneſnenſem ingreſſu, dedicata, non verbis adulatoriis, non ſententiis ſuperba hyperbole ornatis, ſed prout oculis ſuis vidit, prout ipſemet obſervavit, abjecto quovis orationis ornamento, Mathiam Noſtrum, & rari exempli, & pietate beatum & admirandum exclamat, dum ſic ibidem inquit: *O Virum inſigni pietate beatum! ô Paſtorem rari exempli ſummè admirandum! quis talem ac tantum Primatem repererit in vita! cujus vita perfectione ſua, plus ipſum exuperaret, & cui ſeſe parem, nè dicam ſuperiorem, exhibere ſatageret.* Et ulteriùs eundem Divinum Virum, Sanctiſſimis in lege antiqua Viris, Patriarchis videlicet & Prophetis comparat, dum ſic ibidem ſcribit: *Is*, id-eſt Mathias, *in ſacrificando Aaronem, in ſupplicando Moyſen, in deprecando Heliam, in reconciliando Davidem, in meditando Jeremiam, omninò & ſinè invidia aſſequi videtur.*

Poſtquam vero Mathias religioſiſſimè, ex hac vita mortali, ad immortalem tranſiit, protinus ejus ſanctitas, virtutum admirandarum multitudo & magnitudo, quibûs cæleſtis Vir vivus claruit, non modò unius ampliſſimæ Archidiœceſis finibûs concluſa, ſed univerſum Regnum Poloniæ implevit, & omnium mortalium, qui de illius factis audivêre, mentes, ſummam in admirationem rapuit. Ex hac opinione, ab aliquibus Sanctus, ab aliquibus Propheta, ab aliquibus eximiis titulis & nominibûs, celebrari & appellari cœpit. Sic ab Andrea Olſzowſki, Archiepiſcopo Gneſnenſi, Regni Poloniæ Primate, Primoque Principe, ſermone ad Capitulum Gneſnenſe, apud Andream Chryſoſtomum Załuſki, Epiſtola hiſtorica familiari, Annô Domini, milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quinto, Noſter Mathias, magnæ ſanctitatis Archiepiſcopus, appellatur, dum inquit. *Neque novum me hoſpitem, ampliſſima Archidiœceſis habet, illa mihi natale ſolum, fortunarumque avita ſedes, illa rudimentum & tyrocinium fuit, in qua magnæ Sanctitatis Archiepiſcopi Lubienii, Curiæ Cancellarium agens, nonnihil tantô Magiſtrô, regimini & curis Pontificiis inſvevi.* Ob quam Sanctitatem, oculata fide ab Olſzovio perceptam, idem Ipſe Olſzovius, Archiepiſcopus Gneſnenſis, licèt mortuus eſſet Gedani, Annô Domini, milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, in loco triginta milliaribûs polonicis diſtante à Gneſna, poſt mortem ſuam, ut ſcribit Petrus Dunin Societatis Jeſu, in Concione funebrali polonica, ejuſdem Andreæ Olſzowii Gneſnæ habita, & Gaſpar Nieſiecki

Societatis Jesu, tomo tertio, sub litera O, non alibi sepeliri voluit, præterquam Gnesnæ, penes Corpus Mathiæ Lubieński, ob quandam Sanctitatem de Sepulchro ejus spirantem, & singularem erga Virum beatum pietatem. Sic Remigius Suszycki, in Academia Cracoviensi Philosophiæ Doctor & Professor, in Panegiri, in ingressu Gnesnam Andreæ Olszowski, Archiepiscopi Gnesnensis, typo impressa, prædictum Nostrum Mathiam, Anno vigesimo tertio post mortem ejus, & Antistitem piissimum, & Virum Sanctissimum, cælestibûs donis ornatum deprædicavit, dum scripsit: *In qua lite mensuram, statusque honoris tui, venustè fatis exprimentibus, cessisti Mathiæ Lubienio, Archiepiscopo Gnesnensi, dignus tanto Imperatore tyro, morâ non opus erat, qua apud Antistitem piissimum valesceres, arcana inter insignes Viros sympatia, adeò tibi primo adspectu illum conciliaverat, ut Vir Sanctissimus, cui cælitus permissum erat, oculos in futuram rerum caliginem mittere, silentii magni impatiens, Primatem te priùs, quàm domesticum consalutaverit.* Sic Petrus Dunin Societatis Jesu, in Concione polonicè impressa, in funere ejusdem Andreæ Olszowski Primatis Regni, in Ecclesia Metropolitana habita, Nostrum Mathiam, & Sanctum, & Prophetam publicavit. Sic Joannes Ochocki, in Universitate Cracoviensi Philosophiæ Doctor & Professor, in Panegyri: *Pomianum* intitulata, eundem Mathiam, vivum post funera Sanctitatis, & innocentiæ simulacrum appellavit. Sic Joannes Franciscus à Sancto Josepho, Scholarum Piarum, in Concionibus suis polonicis, variis in locis publicè habitis, eundem Mathiam, & Sanctum vocari solitum, & extraordinariis in vita gratiis, & post mortem miraculis, à Deo illustratum testatur, dum Concione, Dominica secunda post Pascha, de eodem sic inquit: *Unum de millibus, liceat mihi commemorare Sanctum Polonum, & hic fuit Mathias Lubieński, Ordinis Sancti Sepulchri Canonicus, qui cùm esset professus in Conventu Miechoviensi, postea factus est Episcopus Chelmensis, Posnaniensis, Vladislaviensis & Pomeraniæ, ad extremum Archiepiscopus Gnesnensis, Regni Poloniæ & omnium virtutum Primas, & Primus Princeps, quem Deus sicut in vita, magnis gratiis, ita & post mortem non minoribus miraculis, clarificavit, & præsertim quòd corpus ejus per annos centum incorruptum servavit, in Archidiæcesi Gnesnensi, tanquam Sanctus Episcopus communiter nominatur.* Sic Alexander Lubieński, Castellanus Gnesnensis, visitato ejus corpore, prout sequenti Capite inferiùs patebit, ejus intercessionem ad Deum imploravit, dum in suis manuscriptis, prout egomet ipse legi, notavit: *Qui* (id est Mathias,) *pro nobis intercedendo, cùm Deo regnet, Amen.*

Claudo Caput de Opinione Sanctitatis Mathiæ, simulque probo eandem

eandem opinionem, precatiunculâ, ad eundem Mathiam compositâ, & in Panegyri: *Certamen Votorum* intitulata, ab Auctore ejus in Academia Cracoviensi Doctore & Professore, typo impressa, ac in ingressu ad Cathedram Cracoviensem, Casimiri Łubieński, Episcopi Cracoviensis, Annô Domini, millesimo septingentesimo undecimo, publicatâ & promulgatâ: *Magne Mathia, vota sincerâ sinè offuciis, quæ vides in Verbo Patriæ necessaria, & hoc tempore flagitioso, omnibus Ordinibus opportuna, quique eadem, juxta dictamen conscientiæ, & non depravatæ politiæ genium, veri honestique oraculum existens enuntiasti, eadem cordibus Concivium tuorum, reinducenda, à Principe Regum omnium, postulare non desistas.* Plura de eadem opinione scribant alii, nobis innuere tum Deum orare sat erit, ut Deus in decus Primatialis dignitatis, in solatium Regni & Familiæ, in ornamentum Ordinis Nostri, ejusdem Mathiæ, magis ac magis Sanctitatem clarificet.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

De admirandis in vita & post mortem Mathiæ.

Sanctitatem Mathiæ Nostri, admirandis quibusdam operibus, monstravit Deus, quæ in duplici classe accepta, aliqua quæ in vita, aliqua quæ post mortem patrata, eundem illustrarunt & Orbi commendarunt. Ac inprimis, quibus in vita servum suum, Deus dignatus est illustrare, hæc sunt: Cùm Andreas Olszowski, ex Urbe & ex aliis extraneis Academiis, ad Patriam reversus esset, & Nicolaus Koniecpolski avus ejus ex Matre, Gnesnensem Canonicatum eidem contulisset, brevi apud Nostrum Mathiam Archiepiscopum, Cancellarius factus, ejus negotiis Ecclesiasticis, & politicis obeundis operam præstabat, & curas præcipuè tempore Interregni, post Vladislaum Regem, summa cum laude sustinebat, in lingvaque gallica cùm esset peritissimus, Mathiam Nostrum ejus lingvæ minus peritum, gloriosè juvabat. Hic cum Uniejoviæ, Civitate Archiepiscopali, Ecclesia Collegiata celebri, in arce, unà cum Mathia Archiepiscopo moraretur, frequentiaque plurimorum hospitum adesset, eidem dignitatem in Regno Primatialem, penes plurimos fide dignos prædixit, & determinatè, quintum post se in ArchiCathedra Metropolitana Gnesnensi, Archiepiscopum nominavit. Res sè ita habet: Cùm in arce prædicta Archiepiscopus Mathias, per aulam, unà cum Andrea Olszovio deambularet, & imagines antiquorum Archiepiscoporum, in qua illi ordine depicti erant, eidem commonstraret, in præsentia plurium protunc Hospitum, Vir Dei gratia & dignitate Prophetiæ, à Domino hono-

ratus, converſus ad Olſzovium inquit: *Aliis hic etiam pingendis lo-cus ſupereſt, & te Andrea Olſzovi, quintum poſt me Archiepiſcopum nomino ac prædico.* Quod poſtea in toto impletum & verificatum: Nam poſt Mathiam Łubieńſki, fuerat primus Archiepiſcopus & Primas Regni, Andreas Leſzczyńſki; ſecundus Venceslaus Leſzczyńſki, tertius Nicolaus Prażmowſki; quartus Caſimirus Florianus Czartoryiſki; Quintus hic Andreas Olſzowſki. De qua prædictione ſcribunt, Joannes Kwiatkiewicz Societatis Jesu, in Oratore paripatetico, folio treceteſimo ſeptuageſimo quinto. Petrus Dunin Societatis Jesu, in Concione funebrali polonica, in funere Andreæ Olſzowſki Gneſnæ habita, Annô Domini, milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Gaſpar Niesiecki Societatis Jesu, in libro polonico *Corona Poloniæ* intitulato, tomo tertio ſub litera *O*, & alii plurimi.

Tandem à Majorum Patrumque Noſtrorum memoria ad nos devenit, quòd cum quadam die, tampore cujuſdam ſolennitatis, in Eccleſia Metropolitana Gneſnenſi, ex more, devotione, flagrantiſſimus Divinis myſteriis Mathias, ad Altare vacaret, & miſſam pontificaliter celebraret ante aram maximam, poſt conſecrationem Calicis, & ante ipſam ſumptionem Sangvinis Chriſti, delapſa eſt aranea venenô plena, in calicem conſecratum; Prælati & Canonici, aliique Miniſtri, pro Majeſtate aſſiſtentes Pontifici, ſvadent alium conſecrandum calicem, Mathias renuit; explicant pericula, lethales morbos, ſenilem ætatem, ipſamque certò ſubſecuturam mortem, ſed nihil proficiunt; Accipit Mathias plena fide Calicem, Sangvinem Chriſti ſimul cum aranea ſumit, omnem aſſiſtentiam in ſtuporem & admirationem rapit; Aſolutô ſacrô miſſæ ſacrificiô Præſul, finitis ſecundùm morem ſuum precibûs, ad palatium progreditur, poſt prandium aliquandiu in ſella ſomno quieſcit, brevì evigilat, ſternutat; Res ſtupenda! mirabiliter in ſternutamento, per naſum aranea egreditur; mirantur factum omnes, ſanctitatique Pontificis adſcribunt. Ex relatis Reverendiſſimi Proſzewſki Archidiaconi Lovicienſis annorum octoginta Viri.

Illud item dignum notatu venit, quod ex manuſcriptis Eccleſiæ Abbatialis Czervenenſis, Ordinis Canonicorum Regularium Lateranenſium, accepi. Colitur in hac Eccleſia, Imago Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, puerum Jeſum in manibus ſuis geſtantis, quæ & multis miraculis in eadem Eccleſia claret, & ad devotionem ſe viſitantes allicit. Igitur dum Annô milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo, die decima ſexta Martii, Civitas Archiepiſcopalis Squierniewice dicta, unà cum palatio Archiepiſcopali, fatali cæpit ardere incendio, jamque periculum maximum & proximum immineret, actumque de tota Civitate & palatio Archiepiſcopali eſſet, Mathias Archiepiſcopus, protunc Squiernieviciis, per tempus hyemale

manens

manens, protinus ad patrocinium Virginis Beatissimæ, & ad Jesum parvulum, in manibus ejusdem Virginis Sanctissimæ gestatum, se convertit, ardentissima suspiria, ad Virginem Beatissimam emisit, auxiliumque & defensionem, ab igne jam jam grassante supplicavit. Eo in instanti, Virgo Beatissima, in ea forma, prout in eadem Ecclesia Abbatiali Czervenensi cernitur, puerulum Jesum in manibus suis gestans, Mathiæ Nostro, visibiliter apparuit, flammam atrocem illicò sedavit, & ab omni non solùm ruina, verùm periculo, Civitatem Squiernievicensem & palatium Archiepiscopale defendit. Exstat ejus apparitionis & defensionis, Virginis Beatissimæ memoria, in manuscriptis ejusdem Ecclesiæ Abbatialis Czervenensis exarata, sub titulo: *Brevis de loco & Imagine Czervenensi, Virginis Mariæ descriptio, ab Anno Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto, die secunda Decembris, connotari cœpta.* In quo manuscripto seu libro, de eodem miraculo, polonico idiomate leguntur sequentia: *Annô Domini, millesimo sexcentesimo quinquagesimo, Celsissimus Princeps, Mathias Lubieński Archiepiscopus Gnesnensis, dum Civitas & residentia Archiepiscopalis, Squiernieviciis igne funesto arderet, suspiriis suis & orationibus, ad Jesum in manibus Mariæ gestatum directis, ignem sedavit. Pro quo beneficio, gratiarum actiones, Christo & Virgini Beatissimæ persoluturus, personaliter ad Imaginem Sanctissimæ Mariæ Virginis, in Czervinsko comparuit, & votum in perpetuum Anathema appendit. Hic Archipræsul, vidit in aere Mariam, Jesum parvulum tenentem, in ea specie, prout in Ecclesia nostra Conventuali monstratur.* Hucusque libri sive manuscripti verba.

Votum autem prædictum, quod Mathias, Virgini Sacratissimæ, in Ecclesia Czervenensi obtulit, est in toto argenteum, magnitudinis semicubito majus, in medio circulus deauratus, in quo est Imago Beatissimæ Virginis, cum parvulo Jesu in aere, prout Mathiæ Archiepiscopo apparuit, expressa, ante quam Imaginem, à parte dextra Mathias Archiepiscopus, flexis genibus est exsculptus, ex opposito verò Mathiæ, stemma ejus, cum literis circumcirca: M. L. A. G. exaratum. Postea in eodem voto, sequitur inscriptio talis: *Divæ Deiparæ Czervenensi, miraculis claræ, ob mitigatum incendium, quod Squiernievicios, locum residentiæ per hyemem Archiepiscopalis, decima sexta Martii, Annô millesimo sexcentesimo quinquagesimo, subita vi, ac periculo ingenti corripuerat, Mathias Lubieński Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas & Primus Princeps, piæ gratitudinis & devotionis ergò, Czervinscum veniens, septima Maji, Anno quo supra, ex voto appendit.*

Sicut autem his imò & aliis pluribus, quæ ad nostram non pervenerunt notitiam, Deus Mathiam Nostrum, in vita condecoravit

ravit gratiis, ita postquam Spiritus ejus, solutus vinculis corporis, & stolâ immortalitatis indutus, sacrum ejus corpus, majoribûs & omni admiratione dignis, tanquam voluntatis suæ appositis signaculis, & evidentissimis amoris pignoribûs, quibûs Sanctitatem ejus attestaretur, coruscare voluit. Quorum illud memoriâ dignum: Sub tempus incursionis Sveticæ in Poloniam, annô post mortem Nostri Mathiæ tertio, nempè millesimo sexcentesimô quinquagesimo quinto, regnante Joanne Casimiro, Milites Svetici, postquam totam penè Poloniam, nemine resistente occupassent, postea successivè, etiam Gnesnam, Civitatem Regalem, dignitate & Ecclesia Primatiali & Metropolitana celeberrimam, invaserunt, atque Præfectum Gnesnensis Territorii, quendam Engel, optimum Ecclesiasticorum Bonorum Prædonem, constituerunt. Hic cùm alios Prælatos & Canonicos, Ecclesiæ Metropolitanæ spoliasset, nec Præposito Conventûs Nostri Sancti Joannis, pro tunc Alexandro Zbikowski de armis Korab, pepercit, nam Ecclesiæ Sancti Joannis, supellex nobilior direpta, argentum quoque ejusdem Ecclesiæ plurimum, ipsa antiquitate æstimabile; Post hoc Zdziechowa villa, ejusdem Conventûs Sancti Joannis hæreditaria, ab iisdem Svecis incensa, mediaque pars nobilior, igne absumpta erat. His atrociter peractis, in Ecclesiam Metropolitanam Gnesnensem, irruptionem fecerunt, & à tot sæculis pia liberalitate Archiepiscoporum, coacervatum aurum, argentum, sacras vestes magni pretii, sacrilega rapacitate deprædati sunt. Præmonuerat Archiepiscopus, ut hic sanctior Thesaurus, in aliquem extra fines Regni deportaretur locum, Simon Kołudzki Gnesnensis Præpositus, qui fuerat Sacri Collegii Præses, consultiùs eum existimavit, in aliquo occulto recondere loco, & lateribûs obstruere; quod factum minùs consideratè, Nam idem Sveticus Colonellus Engel, potiùs aquilonaris Diabolus, aliquos Prælatorum, nempe Stanislaum Sławieński Cancellarium, Adamum Piątkiewicz Theologum, Canonicum Gnesnenses, in carcerem squallidum detrusit, & ubi lateret Thesaurus Ecclesiæ, graviora interminando requisivit. Sed cum hi negarent, Murarius qui obstruxerat thesaurum, nequam proditor, de loco & thesauro abscondito edocuit, direpta igitur vasa sacra aurea, argentea, vestitui sacro non parsum, & ex tam ingenti Ecclesiæ ornatu, vix Divi Tutelaris Adalberti Calvaria, Henrici Firley infula, calix aureus Sventoslai Strzałkowski Canonici, manus horum lavernionum effugit. Tumbam pro sacris lipsanis, Sancti Adalberti, donaverat celebratæ liberalitatis monumentum, Sigismundus III, Rex, & hoc Sanctius donarium ablatum, ac postea cum aliis cimeliis, in Sveciam deportatum. Post hoc sepulchra, in Ecclesia Metropolitana Gnesnensi, (sperantes se ibi quœque pretiosa erepturos) aperuerunt. Factum est, quòd Sepulchrum Nostri Mathiæ

thiæ

thiæ Archiepiscopi, & ipsum sarcophagum, ubi corpus ejus incorruptum jacebat, aperuerunt, & dum sacrilega manu, Crucem auream de collo ejus pendentem unus, alter annulum aureum de digito ejus deponerent, Mathias de tumba se levavit ac consurrexit, hostes Ecclesiæ & Patriæ terruit, ac à suo tumulo, & ab Ecclesia Metropolitana, in cujus gremio dormit Sponsus, miraculosè fugavit. De hoc extraordinario miraculo, præter plurimos, qui à Majoribus suis acceptâ Notitiâ, hic Gnesnæ constanter id referunt, etiam Academiæ Cracoviensis Doctor & Professor, in sua Panegyri, *Certamen Votorum*, intitulata, Annò Domini, millesimo septingentesimo undecimo, typo impressâ, (citans pro hac veritate in margine, Generosum Dunin, nobilissimæ in Regno Familiæ Virum, oculatum ejus rei & miraculi testem,) conscripsit sequentia: *Mathias Lubieński, post obitum suum corpore integer, hostes Ecclesiæ & Patriæ, à Sacra Synthesi Pontificalium, quibus illum Sponsa, non ad tumulum, sed ad thalamum æternitatis ornaverat, motu thaumaturgo manus & capitis coercuit, ut stupentes non auderent, profanissimas manus extendere, ad sacra Mathiæ lipsanorum ornamenta, vel rapta quædam injustè, cum timore restituere cogerentur.*

Postquam verò fama de hocce miraculo, per Civitatem Regalem Gnesnensem, imò per totam Archidiœcesim, divulgata fuisset, protinus Capitulum Metropolitanum Gnesnense, commissionem decrevit, & Commissarios, quatenus tumulum reviderent, & de rei veritate inquirerent, destinavit. Sed præstat ipsam commissionem, ex Actis Capituli Metropolitani Gnesnensis acceptam, hic inserere. *Actum Gnesnæ, in Capitulo septimanali, die vigesima secunda, mensis Decembris, Annò Domini, millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo: Perillustres & Admodum Reverendi Domini, Adrianus Smiełowski, Matthæus Judicki, Vladislaus Markowski, Vladislaus Obidowski, Albertus Terliński, Stanislaus Grabiński, Canonici Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis Capitulariter fuerunt congregati. Sub tempus incursionis Sveticæ, tumulus Divæ memoriæ, Illustrissimi olim & Reverendissimi Domini, Mathiæ Lubieński Archiepiscopi Gnesnensis, reclusus, & quædam digna consideratione feruntur ibidem patrata. Idcircò, ob reverentiam tanti Principis, æviternâ memoriâ digni, committitur Perillustribus Dominis, Matthæo Judicki & Alberto Terliński, Canonicis Gnesnensibus, ut eundem tumulum revideant, & quæ judicaverint digna veneratione, piissimorum manium, hujus Præsulis, diligenter exquirant, & quàm decentissimè componant & accomodent tumulum.* (*Locus* ✠ *Sigilli*) *ex Actis Reverendissimi Capituli Gnesnensis extractum & extradictum.*

Neque hoc solo, virtutem & Sanctitatem Mathiæ Nostri, Deus revelare voluit, sed & aliis admirandis modis, eandem indi-

cavit & demonstravit. In Palatinatu Siradiensi, in villa hæreditaria Dominorum Łubieńsciorum, denominata Kalinowa, dum Curia gravi incendio flagrâsset, & in hac Curia, imago Mathiæ Nostri pendens, in pariete fuisset, significatum Parocho, ut cum Venerabili Sacramento veniret, incendium benediceret, precibusque laboraret, pro exstinguendo incendio. Res mira! dum Parochus cum Venerabili Sacramento venisset, imago Mathiæ, ex illa ingenti flamma, absque alicujus adminiculo, sine aliqua læsione sui evolavit, & in aëre tam diu, supra Venerabile Sacramentum, sustentabatur pendula, donec ad manus cujusdam seniculi, vitæ commendatæ, illapsa esset. De hoc miraculoso eventu, referebat suæ Familiæ Viris, piæ memoriæ Andreas Łubieński, Scholasticus Cracoviensis, Cononicus Gnesnensis, à quibus ego id accepi.

Illud item notatu & admiratione dignum, quòd corpus ejusdem Mathiæ, hucusque incorruptum servetur, & jam uno sæculo completo, annis videlicet centum, ad Annum millesimum septingentesimum quinquagesimum secundum, quô hæc imprimo, absque sua corruptela, integrum observetur. Visitabatur idem corpus, variis temporibûs, à plurimis Viris, quovis honore & æstimatione dignis, & integrum cernebatur; visitabatur ab Alexandro Łubieński Castellano Gnesnensi, Viro non minus splendore generis, quàm pietate clarissimô, qui de eodem corpore, in suis manuscriptis domesticis, adnotavit sequentia: *Annô Domini, millesimo septingentesimo decimo septimo, die vigesima septima Octobris, fui sociatim cum Perillustri Reverendissimo Fratre meo Gnesnæ, & visitavimus sepulchrum Sanctæ memoriæ Proavi Nostri, Archiepiscopi, quò cum intravimus, odorem acsi balsami sensimus omnes, quotquot ibi fuimus, fuerunt autem visitantes personæ, plus minùs viginti, vidimus insuper faciem apparenter cute & corpore contectam, manus & pedes & totum corpus integerrimum, in apparatu Pontificali adhuc integro, præter albam & Rochetum, quod jam erat corruptum, cæterùm casula, stola, tunicella, vestis inferior, Chirothecæ in manibus, tibialia observavimus totissima & integra. Item Infula, pileolus in capite intactus. Levabat Stanislaus Vicarius illius Ecclesiæ, manum ejus, & apparuit vivida, acsi recenter mortui. Tangebamus item pedes, probando utrum in illis inveniatur corpus, & erat verissimè. Ad caput invenimus tabellam de ære, cum inscriptione, quòd vixerit annis octoginta uno, mortuus fuerit, Annô millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo, die vigesima octava Augusti, durante vita Innocenti X. Pontificis Maximi, Ferdinandi II. Cæsaris, Joannis Casimiri Regis Poloniæ. Vehementer mirabamur omnes, singulariter tam suavissimum odorem quem sensimus, præcipuè dum aperta fuisset urna, tum integritatem corporis, per annos sexaginta sex in sepulchro jacentis, qui pro nobis intercedendo-*

cum

cum Deo regnet, Amen. Hucusque manuſcriptum Alexandri Lubienſki Caſtellani Gneſnenſis.

Viſitavi & ego qui hæc ſcribo, ſtatim à principio poſſeſſionis meæ Præpoſituræ & Conventûs Sancti Joannis Gneſnenſis, corpus Mathiæ Noſtri, & acceptâ licentiâ & conſenſu, Reverendiſſimi Capituli Metropolitani Gneſnenſis, Annô, milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, die decima ſeptima Januarii, apertum fuit ſepulchrum, quò cùm intravimus, levatôque urnæ operculô, corpus integrum, in ornatu Pontificali incorrupto & totali conſpexi, tangebam manus & pedes, & corpore opertos vidi. Fuerunt tunc plurimi tam Prælati quàm Canonici, aliique Eccleſiæ Metropolitanæ & aliarum Eccleſiarum Presbyteri, imò & aliæ perſonæ ſæculares, & omnes conſpeximus, licèt jam protunc propè uno ſæculo in Sepulchro jacuerat, integrum & totale corpus. Aliqui qui id tunc temporis ſpectârunt, ejus ad Deum interceſſionem poſtulabant. Sic Joannes Mlicki, Eccleſiæ Metropolitanæ Gneſnenſis & Cathedralis Płocenſis Canonicus, dignitate Præſidentiali, in Supremo Tribunali Regni clariſſimus, pietate in Deum, candore in omnes & ſumma humanitate amabilis, viſo venerando corpore, hæc compoſitis manibûs, me & aliis audientibus protulit verba, *Sancte Archiepiſcope ad Deum intercede pro nobis.* Quia verò in Virgine Dei Matre, Mathias dum viveret, ſuſpiciebat, adamabat & æmulabatur Virginitatem, ex ſarcophago ſuo, ſvaviſſimum odorem diffundebat, & hucusque diffundit, quem inde diffluere multi ſenſerunt ac teſtati ſunt. Et quidem Alexander Lubienſki Caſtellanus Gneſnenſis, ſupra à me in hoc Capite laudatus, eundem ſvaviſſimum odorem, ex corpore Mathiæ Noſtri promanantem, cum aliis viginti perſonis ſe ſenſiſſe teſtatur, quod & in ſuis manuſcriptis notavit, & mihi ſub conſcientia ore ad os retulit. Tandem Adalbertus Wieczorkiewicz Sacræ Theologiæ Doctor, Canonicus Metropolitanus Gneſnenſis, Vir in Eccleſiæ negotiis præclariſſimè verſatus, dum pariter idem corpus Mathiæ, ante Annos circiter viginti viſitaſſet, eundem odorem fragrantiſſimum, (ut mihi ipſemet retulerat,) ſenſit; Quem & Ego indignus, dum idem corpus Mathiæ, Annô & die ſupra ſpecificato viſitaſſem, cum dulci meo ſolatio ſenſi, & inſuper digiti mei, quibûs corpus ejuſdem Mathiæ tangebam, illum odorem gratiſſimum, per aliquod tempus ſervabant & producebant.

Sicut & aliæ res admirandæ, quæ à ſenibus & annoſis Viris, circa Eccleſiam Metropolitanam inſervientibus, vulgò Swiątnicy dictis enarrantur. Sunt illi, à quibus nocturno tempore, viſebatur lux quædam, in hac Capella, ubi corpus Mathiæ Noſtri requieſcit; ſunt illi, à quibus videbatur perſona quædam veneranda, ornatu

Pontificali induta, ex Capella Lubieniana egrediens, & ante Sepulchrum Sancti Adalberti aliquandiu orans, & iterum ad Capellam prædictam rediens. Sunt & aliæ res admirandæ, niveô ut ajunt lapillô, in perennitate notandæ. Sicut ergo Optime Maxime Deus, his gratiis, tuum servum illustrasti, ita eundem ulterioribûs donis, illustrare digneris, ut judiciô Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Sanctorum numero inscribi valeat: quod à Te ardentissimis precibûs flagitamus.

CAPUT TRIGESIMUM.

Varia Elogia Mathiæ ex Variis.

UNiversam vitam Mathiæ Nostri, jam delibavimus, jam ejus florescentem ætatem, maturiorés annos & senectutem, merita in Ecclesia & Patria, & summas dignitates, tum ipsam eamque felicissimam mortem, admirandas virtutes & Sanctitatem, complexi sumus. Nunc quid de eodem, aliena ora proferant, ingenia sentiant, lingvæ enarrent, calami scribant, connotabimus. Principem locum dabimus sacrorum Principi, summo Christi in terris Vicario, cujus temporibûs Mathias Noster vixit, nempè Urbano VIII. Pontifici Maximo, qui videns continuos eosque indefessos labores Mathiæ in Ecclesia, zelum ardentissimum Catholicæ fidei, de eo publicè pronuntiavit sequentia: *In Polonia multi sunt Prælati, solus Mathias est Episcopus.* ut refert Thomas Janczyński, Societatis Jesu, in suis manuscriptis. Fuerant tempore illô, plurimi per Regnum Poloniæ Episcopi, & Senatores Regni, verùm nullus eorum, ita addictus erat Ecclesiarum commodis, ut Mathias, ideò hoc ex sensu Pontificis, meruit elogium & oraculum.

Post Summum Pontificem, quid coronata Regum Poloniæ Capita, de Nostro Mathia senserint, jam explicavimus, dum allegavimus eorum epistolas & dicta, juxta materiam superioribus Capitibus inserta, ubi tum Prælatus magnæ virtutis; tum Vir ab omni labe immunis; tum magnorum in Ecclesia & Republica Polona meritorum; deprædicatur.

Pares Regibus, majores Principibûs, Eminentissimi sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quanti Mathiam Nostrum æstimârint? inde colligere licet, quòd præter magna encomia, eidem à tota Sacra Congregatione Concilii data, ut superioribûs Capitibûs innui, eundem, tum de sui ad Cardinalitiam dignitatem promotione, certiorabant, tum se promptos & paratissimos esse, ad quosvis Mathiæ nutus pollicebantur. Sic Cosmus Cardinalis de Torres, antehac in Regno Poloniarum Nuntius, & de sui ad Cardinalatum evectione, certiorem

reddi-

reddidit, & propensi in se animi, erga Mathiam tunc Episcopum Chelmensem, non postremum argumentum in sequentibus Epistolis reliquit.

Illustrissime & Reverendissime Domine. Celeriùs opinione mihi ex Urbe, à Sanctissimo Domino Nostro, Cardinalitium Biretum missum, Tabellarius undecima Octobris attulit, cùm autem Sacra Regia Majestas, proximo die dominico, idem Biretum, Capiti meo ex more impositurum se dixit, ideò in decursu hujus Mensis, itineri me accingo. Ac proinde, summa cum festinatione, Illustrissimæ Dominationi Vestræ, hoc indicandum putavi, ut si fortè mea operâ Romæ, in quacunque re usui esse posset, eâ Illustrissima Dominatio Vestra, in præsentia utatur pro arbitratu suo, nam semper promptam & paratissimam in omni occasione reperiet. Auditor meus, Illustrissimum Dominum Successorem meum expectabit, illeque interim servire poterit, Illustrissimæ Dominationi Vestræ, cui studia mea & officia defero. Varsaviæ, die undecima Octobris, millesimo sexcentesimo vigesimo secundo. Illustrissimæ Dominationis Vestræ, Servitor, Cosmus Cardinalis de Torres.

Responsum Mathiæ ad easdem literas.

Susceptum à me nuper visitationis Ecclesiarum mearum negotium, ac ob id, à mea solita residentia, diuturnior absentia, fuit in causa, quòd & de amplissima Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ, ad dignitatem Cardinalitiam promotione, tardiùs intellexerim, & literas ab ea hac de re ad me ante unum mensem destinatas, nunc primùm ante aliquot dies acceperim. Quo factum est, ut & debitum gratulationis officium, hactenus intermissum, & ad literas Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ, omnis humanitatis & benevolentiæ plenas, tardiùs respondeam; Quod igitur gratulationem attinet, ego quidem hunc amplissimum in Ecclesia Dei honorem, Illustrissimæ Celsitudini Vestræ obtigisse, plurimùm lætor, sed tamen cùm ille, ob splendorem Familiæ, & ob singulares Ipsius virtutes, jure meritò Illi deberi videbatur, non minùs Ecclesiæ Dei, quàm Illustrissimæ Celsitudini Vestræ, de hac sua promotione gratulor, quippe quæ talem Senatorem, gravissimô Sanctissimi Domini Nostri judiciô sit nacta, à quo illa, quemadmodum subsidii, ita & ornamenti plurimùm sit habitura. Fruatur itaque, quàm diutissimè & felicissimè, ea dignitate Illustrissima Celsitudo Vestra, & summum etiam culmen honoris in Ecclesia Dei, Divinâ gratiâ ita disponente attingat. Quod ego Illustrissimæ Celsitudini Vestræ, pro mea debita erga Illam observantia, ex animo cupio & opto. Porro quòd Illustrissima Celsitudo Vestra, suam quoque gratiam & promotionem, in meis & Ecclesiarum mearum negotiis, in Urbe ultro mihi per literas offert, singularem in eo benevolentiam, Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ agnosco, & quo minùs me hac gratia dignum reperio, eò magis me tali beneficio, devinctum ei fore polliceor; hoc unum vehementer cupiens, ut Illustrissima Celsitudo Vestra

mea quoque vicissim operâ, si quæ fortè usui hic Illi esse poterit, liberè utatur, neque in numerum suorum servitorum & Clientum adscriptum, favore & patrocinio suo, deinceps complectatur. Cui ego interim humillima mea servitia defero. Datum Camoviæ, die decima Novembris, Annô millesimo sexcentesimo vigesimo secundo.

Collegia Canonicorum & Capitula Ecclesiarum Cathedralium, in encomia desudabant Mathiæ, ut ejus virtutibus, suæ non deessent coronæ, & magnis in Ecclesia meritis, suæ laudes. Sic postquam Mathias, ex Cathedra Chelmensi, ad Episcopatum Posnaniensem promotus, & Georgius Koniecpolski, ad eundem Episcopatum Chelmensem, à Rege fuisset per speciales literas, ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Chelmensis, commendatus, Idem Rex à Capitulo Cathedræ Chelmensis, tale responsum, cum summis laudibus Mathiæ Nostri accepit.

Serenissimè Rex Sigismunde, Domine Domine Noster Clementissime. Pietas cum eximia humanitate, ardor amplificandi cultûs Divini, solicitudo Ecclesiæ pene Apostalica, multæ aliæ virtutes præstantes, Illustrissimi & Reverendissimi Domini, Mathiæ Lubieński, Antistitis Nostri Chelmensis, excitabant desideria in animis nostris, ut pluribûs annîs nobiscum, merita meritis, temporalia æternis cumularet, sed aliam fuisse Dei voluntatem jam videmus, qua factum est, ut altiorem Episcopalis dignitatis gradum, per Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ gratiam, conscenderit. Pro tanto Pontifice, à Sacra Regia Majestate Vestra, Reverendissimum Dominum, Remigium Koniecpolski, Abbatiæ Andrejoviensis Administratorem, & Nominatum & Capitulo Nostro commendatum habemus, illi quidem gratulamur, nobis certè gaudemus. Non dubitamus, Eum opinioni à Sacra Regia Majestate Vestra conceptæ, responsurum, & fulgorem nobilissimarum virtutum, quibûs inducta Sacra Regia Majectas Vestra, honore tanto illum dignare voluit, magnis augmentis Dei gloriæ, & uberi animarum fructu, in Ecclesia cum tempore splendidiûs, splendidiûsque explicaturum. Nostrarum partium erit, Divinam Bonitatem precari, ut pro ista tanti Pastoris providentia, quod Regius Propheta Regibus optat: dies super dies, annos super annos, Sacræ Regiæ Mejestati Vestræ felicissimos, Regni hujus inclyti ornamento & solatio adjiciat. Datum Crasnostaviæ, vigesima octava Maji, Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, Sacræ Regiæ Majestatis, Domini nobis Clementissimi, devotissimi & submississimi, Prælati & Canonici Chelmenses.

Scripserat postea & Remigius Koniecpolski, Nominatus Episcopus Chelmensis, ad idem Capitulum Chelmense literas, quibûs Canonicos Chelmenses, de sui promotione, ad eundem Episcopatum certiores fecit, & sui boni & benevoli affectûs indicia explicavit. Ad quas literas, iterum idem Capitulum Chelmense, per suas literas respon-

respendit, quæ cùm pariter nobilissimas Mathiæ Nostri virtutes, & summa encomia explicent, easdem iterum inserendas existimavi.

Reverendissime Domine. Habemus quod Ecclesiæ Dei, Reverendissimæ Dominationi Vestræ, & nobis gratulemur, per literas Sacræ Regiæ Majestatis, Domini Nostri Clementissimi, certiores facti, de promotione Reverendissimæ Dominationis Vestræ, ad Chelmensem Episcopatum. Quidquid in Sancto isto negotio, inspiratione Divina, sed & per gratiam Sacræ Regiæ Majestatis factum, bonum, felix, faustum fore minimè dubitamus. Commendatio Sacræ Regiæ Majestatis, tantùm Auctoritatis apud nos habuit, ut lubentibus animis, in Serenissimæ suæ Majestatis sententiam, conveniremus. Illustrissimi & Reverendissimi Domini, Mathiæ Lubieński, pietas, eruditio, humanitas, zelus religionis, pastoralis solicitudo, & aliæ præstantes Nobilissimo Pontifice dignæ virtutes, incredibiles animorum nostrorum omnium, excitabant amores; de Reverendissima Dominatione Vestra, paria omnia nobis facilè pollicemur. Cùm & favor Divinus, & splendor generis, & ingenii bonitas, & Sacræ Regiæ Majestatis gravissimum judicium, Reverendissimam Dominationem Vestram, invitant, & quasi manuducant, atque ad capessendam sanè in Ecclesia dignitatem vocent, Deum Optimum Maximum precamur. &c. &c.

Desudant nunc infulata Capita, in elogia Mathiæ, & sua judicia, in adorationem Capitis Lubieńsciani submittunt. Ex his primus Michael Piechowski, Juris utriusque Licentiatus, primò Canonicus Chełmensis & Scarbimiriensis, postea Custos & Suffraganeus Premisliensis, qui in cornucopiis Infulæ Chełmensis, de Nostro Mathia, conscripsit sequentia. *Ut olim cæca Dea fortuna, Petrum Gamratum, per Supremos Ecclesiastici honoris gradus, (Deus misericors avertit, quia non in præceps,) duxit & abduxit, ità è contrario, Mathiam Lubienium, illa, quæ non hominum modò, sed etiam Angelorum, imò Dei ipsius in se trahit oculos & cor, virtus inquam eximia, ad Celsissimos, lento eoque securiori passu, duxit honores. Ille etenim primò Reverendissimus totius Sacri Ordinis, Canonicorum Regularium, Custodum Sacratissimi Sepulchri Hierosolymitani Christi Domini, Miechoviensium dicti, Præpositus Generalis. Deinde Annô millesimo sexcentesimo vigesimo, Episcopus Chelmensis renuntiatus, post quinquennium, ad Posnaniensem, inde ad Vladislaviensem Episcopatus, & ab his ultimò, ad Archiepiscopatum Gnesnensem, primam utique Primatialemque in Regno Poloniæ dignitatem Ecclesiasticam, Annô Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, fuit translatus. Ubique præclara, eaque non annis sed sæculis memoranda, post se, insignium virtutum & operum vestigia relinquens.*

Sequitur hunc, pari venerationis cultu prosequendus, Jacobus Radliński, Sacræ Theologiæ Doctor, & ejusdem plurimis annis,

meritissimus Professor, multorum librorum tum in lucem editorum, tum conscriptorum, & lucem expectantium, Celeberrimus Auctor, Mathiæ Nostri in Generalatu Sucessor, Ordinis Nostri Præpositus Generalis & Infulatus, Vir non minùs doctrinâ quàm virtute eximius, gloriæque Canonicæ æmulator præclarissimus, qui in uno ex suis manuscriptis libro, *Compendiosa Miechovia* intitulato, sequentem cedro auroque digissimam, & utinam quorundam cordibus, etiam ignito scalpro imprimendam, de Mathia Nostro veritatem, vivis planè depinxit coloribûs: *Mathias Lubieński, Canonicus Professus Ordinis Nostri, Regum amor, Instructor, Admonitor, & Coronator. Episcoporum vivum exemplar, Senatûs Poloni Gemma, Reipublicæ liberæ Basis, Consiliorum Arbiter, Evangelii Plantator, Schismaticorum Eliminator, Hæreticorum ardentissimus Impugnator, & colloquii Torunensis ad illos convertendos primus Motor, salutis animarum ferventissimus Zelator, Synodorum in multis Diæcesibus (quas rexit) Auctor, Clerique Reformator, Cathedrarum omnium, (quibus præfuit) copiosissimus Reparator, Ordinum Religiosorum Protector, Propagator & Defensor; Ecclesiarum plurimarum amplissimus Fundator & Dotator, vitæ Apostolicæ & Canonicæ norma, Ordinis Nostri, per Constitutiones à se cum consensu Capitulorum Generalium latas, & à Sancta Sede Apostolica approbatas, Reformator; os de ossibus nostris, ad maxima Ecclesiæ Dei & Regni subsellia vocatus, Primus Regni & virtutum Princeps, Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ, ac omnis perfectionis, & Sanctitatis Primas. Breviùs loquendo: Ecclesiæ Dei, Fidei Catholicæ, Regnique Sarmatici, firmissima columna; Ordinis Canonici Custodum sacrosancti Sepulchri, Suprema gloria, Decus & Ornamentum.*

Succedit his, Pontificum, Regum Poloniæ, ac rerum nedum in Polonia, verùm in toto Orbe gestarum, ac Ordinis Nostri Historiographus gravissimus, Samuel Nakielski, Ordinis Nostri Canonicus, qui de Nostro Mathia, in sua Miechovia, Classe tertia sic inquit: *Æternâ memoriâ dignus, ac dignopræconio laudum, per omne ævum deprædicandus, Illustrissimus & Reverendissimus Dominus, Mathias Lubieński, Archipræsul Gnesnensis, Regnique Primas, Instituti Canonicorum Regularium Custodum Sanctissimi Sepulchri Domini Hierosolymitani, pius Assertor, fert præ omnibus, qui se hoc quinto sæculo præcesserunt, palmam, egregium posteritati specimen præbens, qualiter ab aula, ad regimen Monasterii admoti, & Divinæ vocationi dignè per omnia respondere, & statûs sui integritatem, incorruptè conservare valeant.*

Huic adstipulatur, Nobilitatis Polonæ, eximius Encomiastes, Simon Okolski, Ordinis Prædicatorum, qui in suo Orbe Polono, sub stemmate: *Pomian*, sic de Nostro Mathia fatetur: *Verùm Mathiæ Lubieński pietatem, honorem Dei & cultum, utilitatem communem considerando, superat his plurimùm, sicut honore & titulo superavit omnes.*

Scit

Scit enim ita pietatem colere, ut illam Religioni non anteferat, cùm & pietatis gradus sit fides, & pietas vera, sit verus Dei cultus. Quo & pius est in Deum, & pius in proximum, & nulli vult esse nisi pius. Hinc in eo morum gravitas posuit domicilium, prudentia & dexteritas in rebus agendis signaturam, Religionis observantia condignum sacrarium. Non enim fastus, invidia, jurgium, duplicitas, simulatio, aliaque vitæ probatæ nociva & detrimenta, in illo reclinatoria inveniunt; sed virtus, bonitas, justitia, veritas, sua tentoria firmârunt, & radicârunt.

Præsulum Polonorum, ingeniosissimus Orator, Adamus Naramowski Societatis Jesu, in Facie rerum Sarmaticarum, inter Episcopos Chelmenses, perenne Mathiæ Nostro reliquit elogium, dum ibidem conscripsit: *Mathias Łubieński, quot cumulavit sibi merita, tot honores, multis oneratus, qui summis ferendis par fuit. Ex Præposito Miechoviensi, Chelmensis creatus Antistes, Annô Domini, millesimo sexcentesimo vigesimo; minora primùm capessivit fastigia, antequam altiora, quæ meruit, subiit, post quinquennium, Posnaniensi cessit Cathedræ, inde Vladislaviensi, demum Annô Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, Gnesnensi. Ubique paria summis honoribus posuit merita. Crasnostaviæ pietatis suæ indicium posuit, dum Ecclesiam de radice erexit.*

Idem præclarissimus Auctor, inter Episcopos Posnanienses, tali encomio Mathiam Nostrum celebrat: *Mathias Łubieński, de stemmate Pomian, pietatis in Deum, providentiæ in Ecclesiam, Charitatis in Patriam, ut summæ fuit, sic ad omnia clarissima, suas dotes applicavit. Florentem ævi partem, gloriæ ac obsequiis Reipublicæ impendit, de pietate nihil minuit, de ingenio nihil reliquit, quo rebus non succurreret lapsis. Quatuor Diæcesibus præfuit, ubique gloriosè, Chelmensi, Posnaniensi, Vladislaviensi, Gnesnensi; Nunquam terminum norunt merita, cùm ultra semper promovent.*

Tandem adhuc inter Archiepiscopos Gnesnenses, is idem facundissimus Auctor, numerando Nostrum Mathiam, eundem, ut in supremo Polonæ Ecclesiæ fastigio eminentem, ita in alto Sanctitatis culmine, collocatum fatetur, dum sic scribit: *Mathias Łubieński, ut emineret clariùs, eminere cœpit religiosiùs Chelmensem primò conspexit Infulam, quam vix cordi Præsul appressit, ad Posnaniensem perrexit, exinde ad Vladislaviensem, demum ut canam coronaret ætatem, Primatialem prensavit dignitatem, dignus tanto munere, qui tanto zeli sui Rempublicam & Ecclesiam adjuvit obsequio.*

Nicolaus Zalaszowski, Juris utriusque Doctor, Archidiaconus Posnaniensis, de vitis Episcoporum Posnaniensium succinctè tractans, Mathiam Nostrum, nemini in Sanctitate comparare audet, dum sic ibidem fatetur: *Mathias Łubieński, ex Episcopatu Chelmensi, Episcopus & Sanctitate & morum candore incomparabilis. Hoc in eo fuit mirabile, quòd quatuor Cathedras Episcopales virtutibus implevit, & in o-*

in omnibus Cathedris, singulari studio, cultum Divinum promovit, & pias fundationes fecit.

Concludunt encomia Mathiæ Nostri, Castri Cracoviensis Decreta, in quorum uno, de Anno millesimo septingentesimo tertio, feria tertia ante festum Sancti Bartholomæi Apostoli proxima, lato, dum causa agitaretur, inter Nostros Canonicos, & Canonissas Præmonstratensis Ordinis, Conventûs Zwierzynecensis, tale ab iisdem Canonissis, in sua ad Decretum instantia, reperitur Mathiæ Nostri elogium, ubi Mathias Noster, Episcopus pro tunc Chełmensis & Præpositus Generalis Ordinis: *Vir magni nominis & candoris eximii nominatur.* Pro coronide adhuc encomiorum Mathiæ, loquantur Consistorii Generalis Metropolitani Gnesnensis acta, in quibus ad calcem, de Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo, dum tristis nuntius de morte ejusdem venisset, tale eidem exaratum præconium: *Die Sabbathi, ultima Mensis Augusti, tristis nuntius mortis, humanâ lingvâ nunquam deprædicandi, Supremi Ecclesiarum in Regno, maximè verò hujus sponsæ suæ & pauperum, ac diversis casibus actorum hominum, subditorumque Archiepiscopatûs Gnesnensis Benefactoris, ad Venerabile Capitulum, Perillustrium Reverendissimorum, & Admodum Reverendorum Dominorum, Prælatorum & Canonicorum, Almæ Metropolitanæ Gnesnensis Ecclesiæ advenit, & ideò ejus oculis clausis, & acta Consistorii sui claduntur.* Ex quo laudum Mathiæ Nostri fragmento infero: si humanâ lingvâ, nunquam deprædicandus Mathias, igitur lingvis Angelorum laudetur, lingvis cælestibûs deprædicetur, & nos ad alia pro gloria Dei & utilitate, Ordinis scribenda, si Deus conatus nostros juvabit, properamus.

Ad MAJOREM DEI OPTIMI MAXIMI GLORIAM, VIRGINIS MARIÆ IMMACULATÆ CONCEPTÆ honorem, SS. PATRONORUM Ordinis Nostri, ac Domûs

ŁUBIENSCIANÆ

Tutelarium, Cultum perennem.



PRO-

PROTESTATIO AUTHORIS

APostolico Decreto, die decima tertia Martii, Annô millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, edito, de non imprimendis celebrium Sanctitate hominum vitis, ejusdemque Decreti declarationi, Die quinta Junii, Annô millesimo sexcentesimo trigesimo primo, & Confirmationi, die quinta Junii, Annô millesimo sexcentesimo trigesimo quarto, factæ, observantiâ ac reverentiâ qua par est insistendo, profiteor: Narratione virtutum Mathiæ Łubieński, Canonici Sancti Sepulchri, postea Archiepiscopi Gnesnensis Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ Primatis, Primique Principis, non me id agere, ut opinionem illi Sanctitatis arrogem, aut Cultum conciliem religiosum, gradumve struam ad solennes ipsi in Ecclesia decernendos honores, aut quæ narro, velut ab Ecclesia approbata Lectori exhibeam, potiùs omnia, non aliter accipi velle, quàm quæ humana tantùm Auctoritate nituntur.

AUTHORI OPERIS

Studium Theologicum Cracoviense, Ordinis Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri, pro Coronide laboris, talè Carmen inscripsit.

Vix Sol Occiduus sub terræ conditur antris,
Mox claram mundo subtrahit ore diem.
Sic sol Sarmatici Princeps Łubieńscius Orbis,
Occasûs postquàm limite clausus erat.
Sub terra latuit, mortis servatus in urna,
Nec vidit per tot tempora longa diem.
Sed dum Tu cunas ejus, Gentemque revolvis,
Dum Pueri pandis, gestaque summa Viri.
Custodum quando producis in Ordine vota,
Quæ spretô mundô, fecerat ille DEO;
Dum totam vitam, Fasces, narrásque Curules,
Totque Cathedrarum porrigis esse Patrem.
Hunc dum PRIMATEM, non tantùm Gentis & Orbis,
Ast & virtutum, ritè probando doces,
Dumque gravi calamô deducis Principis acta,
Per quæ Principibus Sanctior ille fuit.

Occiduo Soli, vitam cum lumine reddis,
Per Te de Tumulo, prodit ad omne solum;
Lingva tui calami de terra suscitat Ipsum,
Mortuus, est vivens arte styloque tuo.
In loculo stricto qui servabatur & umbris,
Implebit meritis omnia Regna suis,
Gesta sui relegent Reges, Regumque Ministri,
Hunc omnis Princeps poscet habere Ducem,
PRIMATEM tantum, Primates crede sequentur,
Ac illis speculum, regula svavis erit.
Ipsius vitâ, vitam tum munera Regni,
Sarmatici solii Numina magna Regent.
Principe ŁUBIENIO, praxim formamque docendi,
Pastores ovium Pontificesque ferent.
Tantorum de tam magno PRIMATE Bonorum,
Tu radix & fons, principiumque manes.
Ejus qui totam vitam, scrutatus & acta,
Clausisti docti corpore cuncta Libri.


ITEM ALIUD.

Quàm primùm cœpit magnus ŁUBIENSCIUS Orbi,
Virtutum meritis atque nitere bonis,
Tam primùm sensim Scriptorum nomina magna,
Cæperunt fastis gesta notare suis.
Hic tetigit vitæ puerilis grandia facta,
Alter descripsit gesta stupenda Viri,
Præsuleos alius concepit mente labores,
Aspexit zelum Pontificisque Pedum.
PRIMATIS reliqui venerati PRINCIPIS acta,
Atque Senatorem proposuere sacrum.
Unam virtutem vix multis scribere visum,
Ast plures calamô præteriere suô.
Sed nullus scriptor totius munera vitæ,
Attigit ingenii dexteritate sui,
Nullus pro tanto compegit PRINCIPE librum,
Nullum distinctum grande volumen adest.
Tu verò postquam cæpisti scribere gesta,
Magni ŁUBIENII Principis atque Ducis,
Omnia distinctô descripta volumine pandis,
Omnes virtutes PRINCIPIS acta probas;

A plan-

A plantis genibusque pedum deſcribis ad ungvem,
Quidquid amans PRINCEPS, geſſerat atque tulit;
A Cunis Pueri, tandem deſcendis ad urnam,
Tota tibi ſpeculum PRINCIPIS aula fuit.
Et dum LUBIENII, virtutes legeris omnes,
Has uno cumulo pronus amore colis.
Scripſiſti totum de Sacro PRINCIPE librum,
Hic quanto PRINCEPS dignus honore fuit;
Tam pulchrè, comptè, diſtinctè, cuncta locutus,
Ut nihil in factis poſſit abeſſe ſuis.
Quodſi LUBIENIUM quondam vidiſſet Apelles,
Si conſpexiſſet membra, ſuasque genas,
Nunquam tam pulchrè, clarè, pinxiſſet Eundem,
Ut Tu pinxiſti geſta ſuumque Decus.
LUBIENIUM vivum qui nunquam noverat olim,
Ex Libro vivum noſcere quisque poteſt.
Ex Libro pariter mundus cognoſcet eodem,
Quantus erat Scriptor PRINCIPIS atque Libri.

FINIS



INDEX

Nobilium atque Virorum Illustrium Regni Poloniæ, qui in hoc libro continentur. Numerus significat folium.

Głembo-

Łay-

W



Errata Typi ſic Corrige.

Folio 4. Verſu 8. Palatinatus Siradienſis Lege Palatinus Siradienſis
fol. 8. v. 2. Caſtellanis lege Caſtellanis.
fol. 12. v. 10. Wilczyńſka lege Wyleżyńſka.
fol. 16. v. 37. hæc lege hac.
fol. 17. v. 24. capeſſandas lege capeſſendas.
fol, 19. v. 23. Anguſtinianos lege Auguſtinianos.
fol. 21. v. 38. debebantnt lege debebantur.
fol. 24 v. 21. Caſimirus lege Caſimirus.
fol, 24. v. 24. Magnitudines lege magnitudinis.
fol. 24, v. ultimo & lege &.
fol. 26. v. 19. oratiionis lege orationis.
fol. 27. v. 14. propriorem lege propiorem.
fol. 28. v. 36. eundm lege eundem
fol. 29. v. 39. ubi Celſiſſimo lege ubi à Celſiſſimo.
fol. 30. v. 7, Comitis in Załuſki lege Comitis in Załuſkie Załuſki.
fol. 32. v. 41 ſcrpitura lege ſcriptura.
fol. 35. v. 39 Vladislaum 4. ſege Vladislaum IV.
fol. 44. v. 26. virutes lege virtutes.
fol. 48. v. 10. frequentior lege frequentiori.
fol. 48. v. 37. pro tunc Luceorienſis lege pro tunc Luceorienſis, natu minor, typis edita, publici juris fecit Łubienianæ erga Pſtroconium &c.
fol. 49. v. 18. Prncipes populi lege Principes populi
fol. 52. v. 14 Reiduplicæ lege Reipublicæ,
fol. 52. v. 40. qui & lege quieti.
fol. 56. v, 41. Movitiatus lego Novitiatus
fol. 58. v. 13. nquit lege inquit.
fol. 58. v. 15. Hierosomiytanorum lege Hieroſolymitanorum.
fol. 58. v. 35. Cononicus lege Canonicus.
fol. 59. v. 27. & virtutum *lege* & virtutum fama.
fol. 62. v. 41. ſuperfuerat lege ſuperfuerat.
fol. 70. v. 25. ex ſæculorum lege ſex ſæculorum.
fol. 72. v. 25. ejudſem lege ejuſdem.
fol. 75. v. 18. curam lege curiam.
fol. 75. v. 29. ſiigillis lege ſigillis.
fol. 77 v 40. neralatus lege Generalatus.
fol. 79. v. 34. cepiſſiet lege cœpiſſet.
fol. 84 v. 12. ideneos lege idoneos.
fol. 86. v. 42. immomor lege immemor.
fol. 89. v. 4. mojorem lege majorem.
fol 94. v. 41 & in ſua lege & ut ſua.
fol 96. v. 27. mandati lege mandatis
fol. 97. v. 2. literarmu lege literarum.
fol. 104. v. 12. ſaingvine lege ſangvine.
fol. 107. v. 11. Rei lege Regi.
fol. 109. v. 34. officii lege officii.
fol. 111. v. ultimo quæ recepta lege quia recepta.
fol. 121. v. 31. Ecclaſiæ loge Eccleſiæ.
fol. 125. v. 19. Subkoviæ lege Sobcoviæ
fol. 125. v. 36. popolum lege populum.
fol. 126 v. 24. millofimo lege milleſimo.
fol. 130. v. 7. Ecclaſiæ lege Eccleſiæ.
fol. 133. v. 39.. factum lege faſtum.
fol. 134. v. 9. Fnitis lege Finitis.
fol. 137. v. 13. ornemento lege ornamento.
fol. 140. v. 38. cepitibus lege Capitibus.
fol. 146 v. 10. epreſſa lege expreſſa.
fol. ibidē v. 12. qudrangularis lege quadrangulari.
fol, 147. v. 10. pro Eccliſiâ lege pro Eccleſiâ;
fol, 148. v. 39. reipiſcerent lege reſipiſcerent.
fol. 150. v. 20. cunsvetudinibꝰ lege cōſvetudinibꝰ.
fol. 151. v. 15. Illaſtriſſime lege Illuſtriſſimę.
fol. ibidem v. 21. Semivariâ lege Seminaria.
fol. 155. v, 36, quracunque lege quarumcunque.
fol. ibidem v. 37. Dacreta lege Decreta.
fol. ibidem v. eodem ecxercitio lege exercitio.
fol. 156. v 6. nagotio lege negotio.
fol, 170. v. 20. Qnod lege Quod.
fol. ibidem v. 42. immunitatis lege immutatis.
fol. 177. v. 2. Profectus lege Præfectus
fol 179. ſub Alph: Bbb. v. 2. juclyta lege inclyta
fol, ibidem v. 12. & privilegio Apoſtolico lege ex privilegio Apoſtolico.
fol. 182. v. 41. Tyſkiewicz lege Żytkiewicz.
fol, 184. v. 12. ad Chriſtam lege ad Chriſtum.
fol 188. v, 17. Vledislavienſis lege Vladislavienſis.
fol. ibidem v. 43. veut lege velut.
fol, 190. v 21. Ordnis lege Ordinis.
fol. ibidem v. 36, qum lege quàm.
fol. 194. v. 38. prerfuſis lege profuſis.
fol, 195. v. 34 ſactorum lege Sanctorum.
fol. 197. v. 43 Cononicis lege Canonicis.
fol. 198, v. 28. moſtro lege noſtro.
fol. 200. v. 1. de Devotione Mathiæ erga S. Patronos. lege de Devotione Mathiæ erga S. ſedem Apoſtolicam.
fol. ibidem v, 14. cantra lege contra.
fol. 202. v. 38. præcurriſſet lege præcucurriſſet.
fol. 205 v. 38. ut ubi lege ut ibi.
fol. 207, v, 29 prærer lege præter
fol. 210. v. 43. Joſkłowſki lege Jaſkłowſki.
fol. 212. v. 16. gecit lege jecit.
fol, 213. v. 34. noſtrum Canonicorum lege noſtrorum Canonicorum.
fol. 217. v. 18. Olſzewſki lege Olſzowſki.
fol. ibidem v. 40 prudentiæ lege prudentiâ.
fol. ibidē v. 43. loboriofiſſimus lege laborioſiſſimus:
fol. 218 v 3 offerendo lege efferendo
fol. ibidem v 25. emnentior lege eminentior.
frl. 230 v 41. proximis etiam ſangvine lege proximo etiam ſangvine
fol. 232 v. 31. gtavitatem lege gravitatem.
fol. ibidē v. 37. masvetudinē lege manſvetudinem.
fol. 234 v. 42. peſſeſſione lege poſſeſſione.
fol. 238. v. 32. veledixi lege valedixi.
fol. ibidem v. 12 depoſuit lege diſpoſuit.
fol, 239. v. 37 Chricti lege Chriſti,
fol. ibidē v. 38 pernecesſrium lege perneceſſarium.
fol. ibidem v. 40. Sanſtiſſime lege Sanctiſſime.
fol. ibidem v. 41. inſinuebat lege inſinuabat.
fol. 244. v. 10 intuli lege intulit.
fol 248. v. 42: de opiniene lege opinione.
fol. 250. v. 15. tampore lege tempore.
fol. ibidem v. 26. asoluto lege abſoluto.
fol. 254, v. 13, Cononicus lege Canonicus.
fol. 255, v. 39. ſicut lege ſunt.
fol 258. v. 17. Apoſtalica lege Apoſtolica.
fol. 259. v. 1. reſpendit lege reſpondit.